BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
34 I
19

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

43. 4. 32.

43 4 3
e
32. 32

14-32-b-12

ACIES
DISPUTATIONUM
POLITICARUM
METHODICE
INSTRUCTA.

Varias variorum Auctorum & Politicorum, tùm recentiorum, tùm veterum ſententias, Hiſtoriarum face illuſtratas, exhibens.

Ex legato [illegible] Cecini

Quam

Permiſſu & conſenſu Superiorum in illuſtri SALANA,

Nobiliſſimi & Florentiſſimi Juvenes, quorum Nomina proxima pagella refert, exercitii causâ ſubierunt.

AUCTORE ET PRÆSIDE

M. REINHARDO König/
MARPURGENSI HASSO,
J. U. C.

Editio Secunda, aliquot Diſputationibus auctior & correctior.

JENÆ
Typis & Sumptibus JOHANNIS BEITHMANNI,
ANNO cIↄ Iↄ CXIX.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Equeſtri & vetuſto generis ſplendore,
mentis candore, eruditione & virtute
Nobiliſſimis Viris-Juvenibus.

Dn. ADAMO PHILIPPO à Steinaw/
Cognominato Steinrück/ Eq. Franco.

Dn. JOHAN: ALBERTO von der Trenck/
Eq. Boruſſo.

Dn. WOLFGANGO ab Arenswaldt/
Eq. Boruſſo.

Dn. JONÆ von Kannacher/
Eq. Boruſſo.

Dn. JOHANNI Daldorff/
Eq. Saxonico.

Fautoribus & Amicis ſuis colendis.

NOn minus verè quàm eleganter dixit Scheurlus in Orat. Wittebergæ habitâ Anno 1510. virtus & eruditio tàm benè conveniunt, quàm benè gemma auro includitur, & roſæ liliis intexuntur. Serviunt namq; virtuti literę, magnum vel in comparanda ea adjumentum, vel in parata ornamentum, ſcribente Lipſ. cent.1.Ep.16. Idipſum

Viri-Juvenes Nobiliſſimi, ad vos optimo jure referri poteſt & debet. Quid enim? Geminatus quaſi radius tàm virtutis, propriæ & avitæ, q̃ eruditionis in mentibus veſtris refulget. Nobilitate quid hac re decentius? Ordine Equeſtri quid dignius? Indole veſtrâ quid honorificentius? quid præclarius? Nil quicquam! Macti indole præclarâ! Macti doctrinâ & virtute! Indolem iſtam tùm ex familiari converſatione & colloquio, tùm ex diſputationibus cum aliis Nobiliſſimis & Præſtantiſſimis Viris-Juvenib⁹ & Studioſis in Collegio noſtro Politico, cui omnes & ſinguli interfuiſtis, & in eo vos gnaviter exercuiſtis, habitis ſat cognovi. Non ergò prætermittere, volui, nec debui, quin aciem hanc Diſputationum Politicarum jam ſecundâ vice adornatam vobis exhiberem: tùm quia ipſi milites togati in ea ſtetiſtis, tùm ut publica mei erga vos amoris teſtificatio, & honoris ſignificatio extaret. Quod factum, ut æquâ mente æſtimetis, & laborem meum qualemcunque ſerenâ fronte accipiatis, majorem in modum à vobis contendo & peto. Valete. Datum JENÆ è Muſæo meo 25. Aug. Anno 1618.

VV. NN.

Addictiſſ. & Studioſiſſ.

M. Reinhardus König/

Marpurg. Haſſus.

Votivum ad Auctorem.

SI Λόγος & ſi πρᾶξις docet prudentia quid ſit,
Quæ faciles urbis moderatur & orbis habenas;
Nempè tibi primos dabo nominis hujus honores,
Virtutisque viros inter mi Regie. Solers
Argutâ ratione ſecas, quæcunque latentes
Colligit in nodos dubii fallacia veri.
Quin aliena tibi varios exempla miniſtrant
Uſus, Hiſtoricis quæ ſunt inarata libellis.
Hoc mihi teſtis opus, labor hic mihi teſtis, amicam
Quo ratione catâ formas uſuque juventam,
Perge docere Deo quæ grata, ſalubria vitæ,
Et Rex magnorum dicére, caputque Sophorum.

M. Wolffgangus Heider
Profeſſor public.

Ad Virum Clariſſimum

Dn. M. REINHARDUM König/

Fautorem & Amicum honorandum.

P*Urum ſed durum eſt ſubtus quod naſcitur aurum,*
Regia cui virtus extremis inſita fibris.
Ingenium Reinharde *tuum pretioſius auro eſt,*
Durus quippe labor purum clarumq; revelat,
Regia virtutis contingis culmina. Macte!
Laus tua per totum Doctis celebrabitur Orbem
Non moritura, Poli dum ſidera ſplendida fulgent.

Singularis Amicitiæ ergò
παχυλῶς fac.

M. Michaël VValtherus
Norimb. Facult. Phil. Adjunctus.

Index Diſputationum
& Materiarum.

Diſp. I. de Republica in genere.

Diſp. II. de Cauſis Rempublicam conſtituentibus, amplificantibus & conſervantibus: Itemque mutantibus ſeu corrumpentibus, convertentibus & evertentibus.

Diſp. III. de Amplificatione Rerumpublicarum per fœdera.

Diſp. IV. de Rerumpub. augmento per Ædificia & Negotiationes.

Diſp. V. de Formis Rerumpublicarum.

Diſp. VI. de Statu Imperii Romani, & Imperatore: Ejuſque Electione & Coronatione.

Diſp. VII. de Majeſtate, & Actibus Imperatori ſpecialiter reſervatis.

Diſp. VIII. de Statibus & Membris Imperii Romani.

Diſp. IX. de Religione & Legibus.

Diſp. X. de Magiſtratibus, eorumq; Conſtitutioniuibus: nec non Cenſoribus.

Diſp. XI.

Diſp. XI. de Officio Magiſtratus publico, eoq́ue Eccleſiaſtico & Politico.
Diſp. XII. de Officio Magiſtratus Oeconomico.
Diſp. XIII. de Virtutibus & Requiſitis Principis.
Diſp. XIV. de Conſiliariis & Conſiliis.
Diſp. XV. de Legatis & Legationibus.
Diſp. XVI. de principiis, conditionibus, & cauſis bellorum gerendorum.
Coronis de Jure Vectigalium, Tributorum, & Collectorum.

Nomi-

Nomina Reſpondentum.

VALENTINUS à Lützow/ Eq. Megapolitanus.
JOH: GUILIELMUS JUNIUS Oringenſis Hohenloicus.
} Reſpondentes diſp. I.

BALTHASAR Prauſer Sileſius.
BARTHOLOMÆUS Marienburger Elbingenſ. Boruſſ.
ADAMUS HENRICUS à Quingenberg/Eq. Miſnicus.
JOACHIMUS Kerſtens Solequellenſis Marchiacus.
GEORGIUS GEWOLFIUS, Ratisbonenſis.
JOHANNES FRIDERICUS VOLTZIUS, Spirâ Nemes.
ZABEL à Staffelt/Eq. Megapolitanus.
JOHANNES GEORGIUS SATLER, Würtembergicus.
JOHANNES MATTHIAS Walz/Francus.
CASPARUS SCHWERTELIUS Coburgenſis Francus.
JOACHIMUS Gottwaldt/ Frideberg. Sileſius.
ADAMUS PHILIPPUS à Steinaw/ Cognominatus Steinrück/Eq. Francus.
NICOLAUS Groſch/Rauenſtenio Francus.
JOHANNES EPPINGER, Ratisbonenſis.
JOHANNES Daldorff/Eq. Saxonicus.
WOLFGANGUS ab Arenswaldt/ Eq. Boruſſus.

DISP. I.

DISPUTATIO I.

De
REPUBLICA IN GENERE,

Reſpondente

JOHANNE GUILIELMO JUNIO,
Oringenſe Hoënloico.

THESIS I.

DE Républica & quæſtionibus inde dependentibus placidam collationem inſtituturi, ex monito Sapientum à definitione initium ſumus facturi.

2. Sic verò definit *Bod. lib. 1. de Republ. c. 1.* Reſpublica eſt familiarum, ſeu civium ſummâ poteſtate ac rectâ ratione multitudo moderata. Quæ definitio eſt materialis: ſi min⁹ placeat, ob id, quod genus & definitum ex eodem prædicamento peti debeant; Jam verò Reſpublica ſit ex prædicamento relationis, quia habet reſpectum ad aliud: Multitudo (quæ generis locum obtinet, & materiæ Reipublicæ competit: adeoque ſine legitima conſtitutione ac ordine confuſiones parit, & felici concordiq; vitæ obſiſtit) in categoria quantitatis: Formalem & magis logicam dabo ejuſmodi.

 3. Reſpu-

3. Reſpublica ſive Politia eſt ordo, in quo cœtus hominum ſecundùm honeſtas leges dirigitur ad civilem ſocietatem.

4. Quia tamen non ſimpliciter repudiamus definitionem Bodinianam, ſed tantùm logicè propter genus: Politicè autem, quoad ſenſum & rem ipſam non improbemus: & exinde multæ quæſtiones utiles elici poſſint, juvat eam explicare.

5. Definitum eſt *Reſpublica*, quàm à Re, hoc eſt, Imperio publico dictam eſſe putat *Buſius lib. 1. de Repub. c. 2.* At *Divus Auguſtinus lib. 2. de civit. Dei, c. 21.* Reſpublica, inquit, res populi eſt.

6. Hæc vox alias atque alias habet ſignificationes, quæ evolvendæ ſunt. Accipitur itaque primò generaliter, & ἐν πλάτει pro integro Imperio, Regno, Provincia, natione. Unde Caſſiodorus magnum Imperium magnam Rempublicam vocat. Sic olim Reſpublica Romana ex municipiis, præfecturis, & coloniis conſtabat. *Onuphrius in lib. de Imp. Rom. ſub tit. de præfecturis.* Perſica, ab extremis Indiæ populis, uſque ad Helleſpontum, centum ac viginti ſeptem Provincias habuit. *Eſther. cap. 1. v. 1. Herod. Plut. in Artaxerxe.*

7. Secundò Reſpublica ſpecialiter prò civitate, urbe, municipio, vel ſpatio exiguo terræ capitur *Ariſtot. lib. 3. Pol. c. 6. Dn. Beſold. in tr. de appell. c. 4. ſect. 4.* & patet *ex tit. de jure Reipubl. in Cod. & Legib. paſſim.* Sic dicitur: Reſpublica Babylonica, Hieroſolomytana.

8. Hîc verò refragatur *Bodin. lib. 1. de Repub. c. 6. nu. 49.* ubi de differentia inter urbem & civitatem agit, ac negat, urbem Reipub. nomine venire, per rationes ibi alleg. de quibus in ipſo diſcurſu diſpiciemus.

9. Deindè Reſpublica conſideratur abſtractivè vel concretivè. *Keckerm. in Præcognit. ſyſt. Polit. fol. 3. & 4.*

10. Abſtractivè capitur pro ordine ſive ſtatu, regimine, & admiſtratione publici cœtus, ut cum dico: Qualis

eſt

eſt Reſpublica Venetorum, nihil aliud quæro, quàm qualis ſit ordo & regimen in adminiſtranda Republica Venetorum. Et hæc ſignificatio vocis denotat formale Reipublicæ. Quo ſenſu Latini promiſcuè appellant Rempublicam & ſtatum, ſive regimen publicum.

11. Concretivè ſumitur pro cætu hominum publico, certo loco habitantium, & certo ordine gubernatorum, ut cùm Rempublicam Venetorum ſumo pro ipſa civitate, & hominibus Venetorum. Hæc ſignificatio materiale & objectum Reipublicæ deſignat. *Idem ibid.*

12. Quartò, notandum, quòd in ſcholis Politicorum Reipublicæ & Politiæ vocabula ſint *ἰσοδυναμοῦντα*, & convertibilia, de quo *Dana. l. 1. Polit. Chriſtian. c. 1. & 2.*

13. Quintò Reſpublica, aut eſt libera, aut alterius poteſtati ſubdita.

14. Et ſic Reſpublica & Politia reſpectu ordinis, vel regiminis, ſtatus, in æquipollentium cenſu habentur. *Dn. Gerhard. decad. 1. quæſt. Polit. 5.* Sed ratione artis, ſive diſciplinæ ipſa Politica à Republicâ diſtinctionem recipit.

15. Nam Politica Rempublicam, hoc eſt, certum ordinem ſive regimen in ſocietatem humanam introducit. *Dn. Arniſæ. lib. 1. doctrin. Polit. fol. 126.*

16. Vox autem Politicæ origine eſt græca: Sed uſu ipſo latinitatis jure & civitate donata. Derivatur enim à nomine *πόλις*, civitas, quæ objectum civitatis conſtituitur.

17. Politicæ variæ à variis definitiones dantur, quas refert *Timplerus libr. 1. Polit. cap. 1. quæſt. 2. Dn. Chriſtian. Matthiæ. Colleg. Polit. diſp. 1. theſ. 1.* Vulgò definitur juſtè ac ſapienter adminiſtrandæ civitatis ſcientia. Cujus definitionis auctorem Ariſtotelem prædicat *Joan. Caſ. libr. 1. Spher. civit. cap. 1. Hermanno Kirchnero de Repub. diſp. 1. th. 2.* Politica eſt civilis vitæ, quæ in Repub. verſatur, benè degundæ prudentia.

18. Platoni, Caſo, & aliis, qui genus Politicæ conſtituunt *ſcientiam*, itemq; Keckermanno, qui *prudentiam*, repudium mittit Timpler. & Chriſtian. Matthiæ dict. locis, quia Politicam non ex genere proprio & proximo definiunt, habitualiter eam conſiderantes, quatenus eſt habitus intellectualis: cum tamen ſyſtematicè debuiſſent delineare, quatenus ut methodicum ſyſtema certa præcepta tradat adminiſtrandi Rempub.

19. Proinde hic definit *diſciplinam practicam* ſocietates humanas rectè conjungendi, ad Rempublicam conſtituendam, in quâ homines benè beatéque vivant. Ille verò *artem* rectè conſtituendi & adminiſtrandi Rempub.

20. Sive igitur diſciplinam practicam, ſive artem appelles, non magnoperè intererit.

21. Præter genus, conſideranda hîc veniunt objectum & finis.

22. Objectum Politicæ, in quod operatur, cuique finem ingenerat, ab Ariſtotele ejuſque Interpretibus conſtituitur civitas, quia omnia in ea tractata ad civitatem ſolam reducuntur, quo ſcilicet pacto hæc legibus honeſtis ſit ordinanda & conjungenda, ad benè beatéque vivendum.

23. Eſt autem civitas hominum ſecundùm eaſdem leges viventium certâ ratione moderatus cœtus. *Schönborn. lib. 1. Pol. cap. 13. à pr.* ſeu, ut *D. Auguſtinus lib. 19. de civit. Dei*, eſt cœtus multitudinis, juris conſenſu & utilitatis communione ſecuratus.

24. Differt à Repub. quia civitas eſt quaſi materia, in quam Reſpub. tanquam forma inducitur. *Caſ. lib. 3. Sphær. civit. c. 1.*

25. Deinde differt ab urbe, quæ muris finitur. *l. 2. 87. & 173. §. 1. de verb. ſignific. & ibi Gœd.* At civitas non in parietibus, mœnibus, aut muris, ut loquitur Pompeius apud Dionem, ſed ipſa hominum cœtu & jure conſiſtit. *Bodin. l. 1. c. 6. n. 49.* Et ſic urbs lapides & ædificia: civitas incolas denotat. *Timpler. lib. 1. Pol. c. 6. q. 3.* Quamvis interdum urbs capiatur non pro ædificiis, ſed pro ſocietate hominum. *Keckerman. in præcognit. Polit. fol. 17.* & ſic in communi loquendi uſu confunduntur.

funduntur urbs & civitas, ut urbs pro civitate, & civitas pro urbe ſumatur.

26. Hæc circa objectum Politicæ: ſequitur finis, qui duplex eſt: Principalis vel minùs principalis.

27. Principalis, eſt publica honeſtas, ſive felicitas Politica, quæ aliàs ſummmum bonum Politicum appellatur, & in publica virtutum moralium actione & exercitio conſiſtit. *idem Keck. in præcogn. fol. 23. & in curſ. Philoſoph. diſp. 29. q. 4.*

28. Secundarius, eſt αὐτάρκεια, ſive omnium bonorum affluentia, & ſplendor. *Chriſtan. Matth. d. diſp. 1. th. 12. Keck. in præcog. fol. 28.* Secundarius dicitur, quia à Politia abeſſe poteſt citra ejus corruptionem aut deſtructionem.

29. A janua ergò aberrat *Bod. lib. 1. de Rep. c. 1.* qui civitatis finem in pulcherrima ſuaviſſimaq; ſublimium rerum conſtituit contemplatione, virgulâ cenſoriâ notatus *à Beſoldo, claſſ. 1. diſp. Pol. 1. th. 21.*

30. Hîc ſe offert nobilis illa quæſtio: An in ſtatu integritatis futuræ fuiſſent Reſpublicæ, ſive Politiæ, hoc eſt, rationes adminiſtrandi Rempub. quæ imperandi & parendi legib. continetur? Affirmantē tuemur *cum Tholozan. lib. 1. de Repub. Dn. Beſoldo d. diſp. 1. th. 26. Danæo lib. 1. Polit. Chriſt. c. 4. Dn. Daniele Ottone in jur. public. c. 1. fol. 4. Keckermanno in præcogn. Pol. fol. 12. & in curſ. Philoſoph. diſp. 19. q. 3.* qui hoc utitur fundamento: Sicut ante lapſum fuiſſet aliquod caput familiæ, ſive aliquis paterfamil. ita quoque futurum fuiſſet aliquod regimen Politicum, licet modus regendi planè diverſus futurus fuiſſet ab eo, qui nunc eſt.

31. Secunda ratio à Doctoribus hæc aſſignatur: Quia ſicut inter Angelos bonos, quibus potentatus & principatus rerum ſacrarum antiſtites attribuunt, locum habet regimē, & aliqua Reipub. forma: ita etiam inter homines locum habuiſſet, etiamſi non peccâſſent.

32. Tertia eſt: Quòd in brutis animantibus Reipubl. adumbretur ſimulacrum, quorum tamen natura primæva poſt lapſum haud mutata fuerit.

33. Definitio abſolvitur his verbis: Familiarum ſeu civium ſummâ poteſtate ac rectâ ratione multitudo moderata.

34. Genus eſt: Familiarum ſeu civium multitudo. Talis ſcilicet multitudo, quæ juris conſenſu, & utilitatis communione eſt ſociata, una & perfecta. *Una*, ratione ordinis: *Perfecta*, ratione virtutis, perducentis ad perfectum, à quo omnia eſſe, & benè habent.

35. Deindè dicitur: quod ſit multitudo *utilitatis communione* ſociata. Et ſic in communitate uſus, non inæqualitate poſſeſſionis conſiſtit. *Caſ. libr. 2. Sphær. civitat. cap. 1.*

36. Minùs rectè ergò *Plato libr. 5. de Repub. 5. de legib. & in initio Timæi*, æquilatatem omnium bonorum felicem & beatam prædicat, in qua voces iſtæ: *Meum* & *Tuum*, non audiantur.

37. Qualem communionem bonorum & uxorum aſſeruêre, & ad imitationem quoque traxêre Stoici, ut refert *Diogenes in vit. Zenon.* Sed & Eſſeni, nec non Carpocratiani hoc venenato ac pernicioſo dogmate fuêre imbuti & inſtituti, & hodiè eo infecti Anabaptiſtæ.

38. Sed rectè Doctor Doctorum, ut à Lipſio appellatur, *Ariſtoteles lib. 2. de Repub. cap. 1. & 2.* hoc præceptum, imò phantaſma è Republica veritatis exterminat, & pluribus argumentis refellit. Cui accedit *Bodin. lib. 6. de Repub. cap. 4. fol. 702.* dicens: nihil à natura, nihil à divina lege magis alienum cogitari poteſt, quàm bonorum, imperii ac fortunarum exæquatio.

39. Familiam Ulpianus dicit eſſe plures perſonas, quæ ſunt ſub unius poteſtate, aut naturâ, aut jure ſubjectæ, utputà patremfamilias, matremfamilias, filiumfamilias, filiamfamilias, quique deinceps vicem eorum ſequuntur, utputà nepotes, & neptes, & deinceps, *l. 195. §. 2. ff. de verb. ſignific.*

40. Cum verò nec Jureconſultus, nec Ariſtoteles expreſſerit, quot perſonæ ad familiam requirantur, ex mente tamen Arniſæi *l. 1. doctrin. Polit. cap. 2. fol. 38. & l. 1. de*

Repub.

Republ. cap. 1. ſect. 9. nu. 2. & 3. in promptu eſt oſtendere, quod de Collegiis JCtus enuntiavit *in l. Neratius. ff. de verb. ſignific.* tres facere Collegium, optimo jure de familiis quoque dici poſſe. Paucioribus, quàm tribus perſonis familiam conſtitui non poſſe, licet duabus conſervetur, ſimiliter ex *dict. l.* Neratius, colligit *Gædd. in com. ad l. 40. §. 3.* Sanè duos familiam non facere, expreſsè reſcribit *Ulpian. in d. l. 40. §. 3.*

41. Conſtituunt itaque familias (quæ ſunt veluti ſeminarium, officina, ac rudimenta rerum omnium publicarum, eisque originem præbent) ſeu ſocietates privatas & domeſticas: maritus, uxor, liberi & ſervi: quos licet Ulpianus ſilentio prætereat, à Politicis tamen modernis familiarum ordini & uſui annumerantur.

42. Hinc triplex oritur poteſtas domeſtica. 1. Conjugalis ſeu maritalis, mariti ſcilicet in uxorem. 2. Patria, patris in liberos. 3. Herilis ſeu dominica, domini in ſervos.

43. Maritalis eſt, poteſtas quam maritus habet in uxorem. Hanc maritus ab ipſo conjugii autore, Jehova altiſſimo accepit, ita Evam in Paradiſo alloquente: Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi. *Geneſ. cap. 3. v. 16.* Hinc cæteris omnibus, atque adeò parentibus poſthabitis, uxor jubetur ſequi maritum, *Geneſ. cap. 2. verſ. 24. Matth. 19. verſ. 5. &c.* Nec tantùm eſt juris divini illa poteſtas maritalis, ſed & naturalis *c. cum caput 23. q. 5. cap. eſt ordo 33. q. 5.*

44. De jure civili conſtitutum eſt, ut filiafamiliâs, niſi à patre emancipata ſit, nupta non tranſeat in poteſtatem ac manum mariti, atque adeò in patris ſui familia, quæ poteſtati eſt conſequens, permaneat *l. 1. §. 1. ff. de lib. agnoſcend. l. 1. §. 4. & l. 2. de exhibend. liber. l. cum qui §. ſi nupta. ff. de injur. cum ſimil.*

45. Cui juri civili generali omnium locorum conſuetudine derogatum eſt, & filii filiæque per matrimonium ſacris paternis eximuntur, & pro emancipatis habentur, prout teſtatur *Dn. Vult. ad §. 2. Inſt. de patr. poteſt. n. 3.* ubi de con-
ſuetudine

ſuetudine Germaniæ noſtræ in ſpecie refert. Unde nobis frenen dicuntur, qui matrimonium ineunt, quòd à nexu ſive vinculo poteſtatis patriæ liberentur. Ut de eo, qui ſibi jungit aliquam matrimonio, dici ſolet: Er ſoll hinförter ſein eigen Herr ſeyn vnd werden. Et de poteſtate illa maritali filiæq; emancipatione apud Saxones, eſt *Conſt. 10. part. 2.* Landrecht. *lib. 3.* & aſſerit *Weſenb. in paratit. de his, qui ſunt ſui vel al. jur. nu 3. & de rit. nupt. n. 6.* De Galliæ moribus atteſtantes habemus, præter alios, *Joan. Fab. in §. 1. Inſt. de SC. Tertyl. & §. 2. quod cum eo, qui in alien. poteſt. & Bodin. d. l.* Apud Hiſpanos, Luſitanos, & Burgundos idem jus uſu receptum eſſe, referunt *Fernand. Vaſq. & Chaſſanaus de conſuet. Burgund.*

46. Poteſtas illa mariti in uxorem uſque adeò erat rigida & inhumana, ut ad necem uſque extenderetur, & marito uxorem certis de cauſis impunè interficere liceret.

47. Sed & priſca Romuli lex tribus de cauſis ſpeciatim expreſſis vitæ ac necis poteſtatem marito tribuebat: Scilicet, ſi vel ipſam in adulterio deprehendiſſet, vel partum ſuppoſuiſſet, vel vinum bibiſſet. *Plut. in vit. Rom. Halicarnaſſ. l. 2. antiq. Rom. Gell. l. 10. c. 23. Valer. Max. l. 6. c. 13. Plin. l. 14. c. 13. ubi ait:* invenimus inter exempla, Egnatii Mecennii uxorē, quòd vinum bibiſſet è dolio, interfectam fuiſſe à marito, eumque cædis abſolutum à Romulo. Valerius vocat Egnatium Metellum, additque, non accuſatione tantùm, ſed & reprehenſione caruiſſe; imò optimo exemplo violatæ ſobrietatis pœnas illam dediſſe.

48. Sed aſperitas illa, & inhumanitas ſumma meritò exulare juſſa eſt, & poteſtas mariti in uxorem limitata, ac certis cancellis circumſcripta, ita ut modica uxoris caſtigatio marito de jure tàm divino, quàm conſuetudinario concedenda ſit.

49. De hoc verò controvertitur: An caſtigatio marito talis concedenda, quæ verbis tantùm fiat, non etiam verberibus? Ubi alii in affirmantem, alii ſimpliciter negantem abeunt ſententiam, & poteſtatem maritalem ad verba tantùm reſtringunt, ut quantumvis immorigera, enormiter mala ſit uxor, & graviter peccet, à verberibus tamen jubeant

abſtinere

abſtinere maritum, cum Cenſorio iſto Catone, hoſte alioquin mulierum. *Plut. in Cat. cenſ.* Nec ejuſmodi verbera ingenuis convenire, *ex l. 8. §. 2. C. de repud.* ſcribunt. Deinde verum amorem extingui aſſerunt, odii & diſſidii ſpargi ſemina, omnia rixis & contentionibus impleri: non emendari, ſed ſæpè evadere multò deteriores: Elephantinum corium, ut Comicus loquitur, induere, quotidianâ experientiâ id comprobante: ita ut uno ſpiritu malo excuſſo, ſeptem alii nequiores ingrediantur, & ſic eam ob cauſam longè ſæpenumerò conſultius ſit verbis, quàm verberibus, blanditiis & maritalibus ſermonibus, quàm pugnis & ictibus emendationem inſtituere. *Plut. in leg. Connub.* Quâ de re celebre Bernhardi Sylveſtri dictum circumfertur *ex epiſt. ad Raymund. de re familiari*: Malam uxorem riſu potiùs, quàm baculo caſtigabis. Tertio loco cogitandum, quod ſcriptum eſt: Nemo unquam carnem ſuam odit. Et quis tàm ſui negligens, qui ſeipſum verberibus afficiat? At verò non alia eſt perſona mariti, alia uxoris, ſed una eademq; perſona utriusq; eſſe intelligitur, cum ſint una caro *Geneſ. 2. verſ. 23. 24. Matth. 19. v. 5.* & uxor pars corporis mariti appelletur. *c. admonere 33. q. 2.* ortus quoque primæ mulieris reſpiciendus, quam *Lombardus 2. diſt. 8.* non ex pede deſumptam ait, ut pedibus conculcari, ſed ex latere, ut intimo corde amari debeat.

50. Hæc tamen ſententia aliis non probatur, & metum ſubeſſe putant, nimiâ iſtâ indulgentiâ imperium mulierum introductum iri, cum contumaces ſint mulierum animi. *Juſtin. libr. 20.* & ad dominandum proclives. *Eurip. in Oedip.* Hinc *Cato in orat. pro l. Oppia* præcipit, ut frena demus indomito & impotenti animali, ne ſi par eſſe cœperit, continuò ſuperius eſſe velit. Quod ſi caſtigatione reali omninò mariti abſtineant, quomodo poterunt conjugum plurimarum petulantiam coërcere? Hâc ratione ſibi verbera ab uxoribus metuenda eſſe, ſcribit *Hoſtienſ. in ſum de jurejur. §. quomodo verò.* & indulgentiâ iſtâ toti ſexui maſculino maculam inurent. *Alex. vol. 3. conſil.* & maritelli miſerrimi meritò nuncupabuntur. *Bl. in l. curator. C. de interdict. matr.* His accedit judicium Poëtæ:

Nux, aſinus, mulier, ſimili ſunt lege ligata,
Hæc tria nil recti faciunt, ſi verbera ceſſent.

51. Nos ſanè illos viros probare nec poſſumus, nec debemus, qui abſque omni cauſâ, ſub ſpecie maritalis poteſtatis, vel animi, vel motus faciendi gratiâ in miſeras irruunt mulierculas, omnem iram in ipſas evomunt, ut loquitur Comicus, mancipiorum inſtar tyrannicè & miſerrimè tractant: putantes *cum Caldero*, comam fœminis ideò non eſſe amputandam, ut mariti haberent, quò eas traherent & ligarent. Tales crudeles, imò crudeliſſimos eſſe fatemur.

52. Quare nos ita ſtatuimus, omnia prius humaniter eſſe tentanda, verbis & ſermonibus maritalibus uxorem emendandam: quòd ſi verò monitiones mariti nihil proficiant, tùm demum animadverſioni & caſtigationi reali eſſe locum, leniori tamen ac moderatæ, pro delicti commiſſi ratione, quam animadverſionem, ſi non ſit crudelis, tyrannica, atq; violenta, minimè iniquam eſſe judicant Juriſconſulti magni nominis, qui verbera levia & ex cauſa permiſſa eſſe tradunt, ut maritus uxorē ſuam delinquentem leviter tantùm poſſit corrigere & verberare. Quamvis alii ab admonitione & pœna leniori ad ſeveriorem progrediendum eſſe exiſtiment, & ſecundùm Hippocratis præceptum, extremo malo extremis occurrendum remediis; & malo nodo malum quærendum eſſe cuneum dicant. Nec tùm, inquit *Arniſæ. in doctrin. Pol. fol. 84.* maritus uxori facit injuriam: nec ſuo corpori infert vulnus, quando membrum mortuum, aut extremo vitio occupatum non ulteriùs membrum eſt, ſed enſe reſcindendum, ne pars ſincera trahatur.

53. Sunt etiam in jure civili cauſæ, ob quas pro gravitate commiſſi fuſtes & flagella correctioni maritali permittuntur. *Novell. 118. c. 14.* cauſam enim qui corrigendi habet, injurioſus non eſt, *l. 5. §. 1. & 3. ff. ad l. Aquil.* Nec maritalia verbera injuriam aut dolum ullum præſumunt, niſi atrocitas & ſævitia aliud oſtendant. *Alciatus ad l. 6. ad l. Aquil.*

54. Utilis eſt & illa doctrina *Schönborneri*, quam tradit *fol. 31.* Si nihil proficient monitiones mariti & propinquorum, cognitionem ſibi ſumat aut Magiſtratus, aut loco illius Conſiſtorium, litibus connubialibus in pleriſque Rebuſpublicis decidendis ordinatum: quemadmodum olim in Sacello Deæ viriplacæ redigebantur ad concordiam. *Valerius Maxim. l. 2. c. 1.*

55. Patria poteſtas eſt jus, quod pater habet in liberos.

56. Hæc quoque olim erat inhumana & atrox, conſiſtens in jure vitæ & necis in liberos, ut videre eſt *ex l. in ſuis n. ff. de libr. & poſthum. l. fin. C. de patr. poteſt. Halicarnaſſae lib. 2.*

57. Verùm & huic truculentiæ poſteà per Impp. & Juriſconſultos eſt obex poſitus, ut *in l. 4. C. de patr. pot. & l. 5. ff. ad L. Pomp. de Parricid.* ibi ratio aſſignatur, quod poteſtas patria debeat conſiſtere in pietate, non in atrocitate: & adeò quidem refrenata eſt illa dura poteſtas, ut graviſſimâ parricidii pœnâ liberorum interfectores puniantur. §. *alia deinde lex. Inſt. de public. judic. l. 1. ff. ad L. Pomp. de parricid. l. un. C. de his, qui parent. vel lib. occid.*

58. Ut ergò maritalis: ita & paterna poteſtas ad humanitatis rationem eſt revocata, ſic ut patri relicta ſit non ſevera nimis, ſed moderata, decens, & ratione temperata filii caſtigatio & correctio. Quod ſi quid gravius deliquerit filius, pater eum poterit caſtigandum offerre judici ſententiam dicturo *l. 3. C. de patr. poteſt. Meland. in idea ſtud. Pol. fol. 19.*

59. Jus tamen vitæ & necis in liberos patribus pernicioſo exemplo ademptum, reſtitui oportere clamitat *Bod. l. 1. c. 4. n. 22.* cujus rationes ad æquilibrium veritatis penſiculabimus in ipſa *συζητήσει*.

60. Dominica ſeu herilis poteſtas eſt dominorum in ſervos.

61. Quondam duriſſima ſervorum erat conditio, & in illos quoq; domini habebant poteſtatem vitæ ac necis, poterantque pro libitu occidi. *l. 1. §. de his, qui ſunt ſui vel alien. jur.* quin pecudibus æquiparantur. *l. 2. ff. ad l. Aq.* & pro nullis

habentur. *l. 32. ff. de reg. jur.* Apud Luſitanos etiamnum ad exemplum Mahometicum ſervorum greges veneunt publicè pecudum in morem. *Bod. l. 1. c. 5. nu. 42.* & in Africa hodiè catenis vincti ad inſtar equorum, agros colere coguntur, *idem Bodin. nu. 35.*

62. Verùm rectè immodica licentia hujus poteſtatis, vinculis legum ab Imp. Juſtiniano eſt conſtricta, ut caſtigare quidem ſervos ob delicta dominis liceat, ſed ita, ut nulla inhumanitas, aut gravior ſævitia in ea correctione deprehenderetur. *§. in poteſtate itaq. Inſtit. de his, qui ſui vel alien. jur. ſunt.*

63. Servi autem dicuntur, qui ex conſtitutione juris gentium contra naturam dominio alieno ſubjiciuntur. *§. 2. Inſt. de jur. perſon.*

64. Servi ex eo appellati ſunt, quod Imperatores captivos vendere, ac per hoc ſervare, nec occidere ſolent: qui etiam mancipia dicti ſunt, eò quod ab hoſtibus manu capiuntur, *§. 3. ſervi. Inſt. eod. l. 239. §. 1. de verb. ſignif.* Hodiè verò captivi nequaquam fiunt ſervi, niſi quod Turcæ, Saraceni, & Tartari etiamnum Chriſtianos in bello captos æquali ſeveritatis & ſervitutis jugo premunt. *Alciat. in l. hoſtes. ff. de verb. ſignif.*

65. Servi aut naſcuntur, aut fiunt. Naſcuntur ex ancillis noſtris: Fiunt aut jure gentium, id eſt, ex captivitate: aut jure civili: cùm homo liber major viginti annis ad pretium participandum venundari paſſus eſt. *d. §. 3. l. 5. § 1. ff. de ſtat. hom.*

66. An ſervitus ſit à natura, ita ut naturâ ſervi fiant, controvertitur inter *Ariſtot. & JÇtos.* Ille in affirmantem: Hi ſecuti *Juſtinian.* in negantem abeunt ſententiam. Quæ controverſia rectè à nonnullis dirimitur per diſtinctionem juris naturalis & juris gentium: de illo *Ariſt.* de hoc verò JC. ſententiam veram dicentes.

67. Germaniam veros ſervos nunquam habuiſſe, teſtis eſt *Corn. Tacit. de morib. German.* Apud cæteras gentes omnia ſervorum erant pleniſſima. *Dn. Vult. ad d. § ſervi. nu. 5.* Veratamen ſervitus hodiè inter Chriſtianos eſt ſublata ann. Chriſti 1250.

ſti 1250. *Bodin l. 1. cap. 5. num. 39.* ſuperſunt tamen in locis nonnullis Germaniæ etiamnum ſervitutis illius antiquæ quædam veſtigia, cùm reperiantur quidam aliis ſtrictiore jure devincti, ad ſervorum propius, quàm liberorum conditionem accedentes: qui cum revera ſervi non ſint, novo nomine, homines proprii, leibeigene Leute/oder zu alltäglichen Dienſten geſeſſene Unterthanen appellantur, eorum tamen omnium non eſt eadem ratio. Quibuſdam enim in locis, ut in Weſtphalia, deteriore jure habentur, cùm illi, quorum proprii ſunt, ipſis defunctis ſuccedant in ſemiſſem, & extra conſortium hominum propriorum liberos ſuos elocare nequeant, niſi hoc ab illis, quorum utilitati parent, impetraverint. Atque hi, ſi non ad libertorum, certè ad ſervorum conditionem accedunt quàm proximè. Alibi ſunt homines conditionis melioris, qui haud ſecus, atque reliqui non proprii, liberrimam bonorum ſuorum habent adminiſtrationem: atque ut defuncti quodammodò videantur fuiſſe proprii, vivi tamen fuerunt liberi, id eſt, reipsâ liberi, verbotenus proprii. Quæ ipſorum libertas, etiam ipſis defunctis, ex eo ſatis apparet, quod ex teſtamento, & ab inteſtato ſucceſſores habeant, perindè atque illi, qui proprii non ſunt, ut his verbis docet *Vult. d. l. num. 6.* Quare & *Gæddæ. in tract. de contrab. ſtip. c. 7. concl. 6. num. 76.* Germaniæ ejuſmodi ſervos non propriè ſervos, ſed inſtar colonorum conditione ſuâ colentium, & adſcriptitiorum eſſe tradit.

68. Apud Wandalos in ſuperiori Luſatia, ruſtici nobilibus ſuis corpore fortuniſque toti ſunt addicti, uſque adeò, ut quoſcunque labores gratis ipſis exantlare, agros colere, peregrè excurrere, fruges demetere, & omnia alia, quæ ad rem familiarem & œconomicam pertinent, negotia expedire teneantur, neque ſolùm commutare patrium ſine conſenſu voluntatéque ſuorum nobilium audeant, ut refert *Meland. in ſua Idea. fol. 27.*

69. Eandem eſſe conditionem ruſticorum apud Ruſſos, Lituanos, Polonos & alios, quos hi *Kmethones* vocant, teſtatur *Arniſæ. l. 1. de Repub. c. 3. ſect. 9. n. 2. & ſeqq.* & eos omnes id commune habere dicit, quod ita ſint annexi ditioni domi-

 ni, ut.

ni, ut ipſo invito ſeſe emancipare, aut aliò conferre, vel ad municipia civitatum, vel ad capeſſenda ſacerdotia, vel ad alium dominum non poſſint: & cùm non ſint ſui juris homines proprii, quod nec ſine conſenſu & voluntate domini matrimonium contrahere queant.

70. De Ruſſis refert *Sigiſmund. Baro in hiſtor. Moſcovit.* quod ſex dierum operas debeant dominis, ſeptimum ſuis operis integrum habeant, quia ſemitarii iſtic ferias nullas obſervant.

71. Lituanorum duriſſimam conditionem apertius deſcribit *Alexander Guagninus tom. 2. rer. Polonic.* Nam ut quiſque dominus famulorum catervâ ſtipatus, domum coloni alicujus ingreditur, impunè quidvis facere, res quaſcunque rapere, abſumere: & colonum etiam verberibus crudeliter cædere poteſt. Nec colonis ad dominos ſuos ſine munerib' aditus patet: & admiſſi ilicò ad officiales rejiciuntur: qui niſi donis mitigentur, nihil juſtè decernunt: & profectò in Lituania quodlibet judicis verbulum aurum eſt. Præterea ſingulæ ſeptimanæ in operas ita diſtribui ſolent, ut coloni quinque aut ſex dies negotiis dominicis impendant, die verò lunæ res privatas curent: & ſic plerunq; dieb. ſolis (nam ne feſtis quidem diebus ſunt feriati) quodvis opus abſolvant, arando, occando, runcando, & id genus: adeoque ſi quis Roxolanum interrogaverit: Quare dominico die laboras? continuò is reſpondebit, quia & Dominico comedere oportet. *poſt Guagnin. Dn. Lanſius apud illuſtriſſ. Ducem Würtemberg. Frideric. Achill. in conſultat. de Principatu inter Provincias Europæ, in Orat. contra Polon.* ubi ſimul refert, quòd Nobiles non ſolum in glebæ adſcriptitios, quos *Kmethones & Clophos* vocant, jus vitæ & necis paſſim uſurpent: Et ſi quis ex iſtis forte capitis fuerit damnatus, tùm de ſe ipſo, jubente domino, ſupplicium ſumere, ſuisq; manibus ſe ſuſpendere, minis, loris, & fuſtibus impellatur. *ex Sal. Neugeb. libr. 1. rer. Polon. & Alex. d. l.* Quæ dira conſuetudo haud dubiè Vitoldo, Lituaniæ Duce, originem traxiſſe dicitur in *prædict. orat.* cujus immanitatem & crudelitatem adeò provinciales extimuerunt, ut cùm dixiſſet aliquando duobus pluribúsve: Ite

ocius,

ocius, ac laqueo vos appendite: nemo imperium ſubterfugerit, auditusq; nonnunquam ſit, qui currens hortatur alios, ingeminaverit: *Eamus quam propemnter, ne bilem domini commoveamus. Æn. Sylv. in com. Alphonſ. lib. 2. c. 19.*

72. Poloni quoq; Nobiles olim, dum iter faciebant, diripiebant villas ruſticorum, & eorum ſumptu proficiſcebantur. Sed Caſimirus I. illud correxit, Ann. 1180. & Kmethonum poſſeſſiones tutas à vi dominorum reddidit: ex quo cœperunt bonis ſuis pro arbitrio, ſalvo jure domini, uti, & poſſeſſionem ad heredes tranſmittere, *lib. 1. ſtat. Polon. c. 17. art. 3. Cromer. lib. 6. hiſt. Polon.*

73. Dicebatur ſupra, genus definitionis conſtituere *multitudinem familiarum* (de quibus hactenus) *ſeu civium*. Cum enim Reipublicæ nomen ſanctum ſit, ab ea excluduntur latrones & piratarum cœtus, qui tanquam genus peſtiferum atque impium, ex hominum communitate exterminandi ſunt, ut loquitur *Cic. lib. 3. offic.*

74. Civem definit *Ariſt. lib. 3. Pol. c. 1.* eum, qui Imperii, ſuffragiorum, conſiliiq; publici eſt particeps. Quæ deffinitio anguſtior eſt ſuo definito, & non explet naturam definiti, cum *ipſo Ariſtotele teſte l. 6. Top.* in ſtatu populari tantùm locum habeat.

75. Rectiùs igitur *Plut.* à jure civium definit civem, qui legibus & immunitatibus civitatis fruitur. Hic ſi genus addideris, quod eſt: *Socius:* logica, adeoque perfecta erit definitio.

76. Civis vel eſt propriè dictus vel ſecundùm analogiam.

77. Civis propriè dictus, iterum eſt vel plenus, vel ex parte.

78. Plenus dicitur, qui habet plenum & totum jus civitatis, quod apud nonnullos vocatur, das groſſe Bürgerrecht. *Keckerm. l. 1. Syſtem. Pol. cap. 15. fol. 268. Danæus l. 2. Pol. Chriſt. cap. 4.*

79. Plenus civis iterum eſt vel originarius & naturalis, vel aſſumptus & adſcriptus.

80. Naturalis ſive origine civis eſt ejus civitatis, in qua natus eſt, ſive ex utroque parente civis naſcatur, vel ſaltem

paren-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

parte. *l. 1. §. 2. & 6. §. 1. ff. ad municipal. Vult. 1 Juriſpr. Rom. cap. 9. nu. 1.* plerisque tamen in locis ſatis eſt ad civem conſtituendum matrem habere civem. *Bod. nu. 48.*

81. Civis aſſcriptus, ſive receptione in civitatem eſt is, qui in civitatem & jus civium recipitur. *Vult. d. l.* vel etiam decennalis aut brevioris aut longioris incolatus pręſcriptione. *l. 1. 2. 7. C. de incol.* In civitatibus Germaniæ paſſim incolatus poſt annum acquiritur: neque permittit Magiſtratus, advenam diutius ibi commorari, ſi lapſo anno jura civium redimere nolit. *Geil. 7. obſ. 35. nu. 8.*

82. Ex parte civis dicitur, qui vel in civitate habitans, partiale jus civitatis habet, vel alibi habitans, cum civitate confœderatus eſt, ita ut civis ex parte ſit, vel inquilinus, vel extraneus. *Keck. d. cap. 15. fol. 269.* Idq; jus partiale vocatur, Das kleine Bürgerrecht. Sic ex mutuo fœdere communicatio civitatis eſt inter Genevenſes & Bernates, ita ut qui ex fœderatis ſociis ſuâ civitate deſertâ, in aliam ſociorum commigrare malit, eodem momento civis ac ſubditus fiat ſociæ civitatis, ſine cooptatione, rogatione, aut reſcripto ſingulari, *Bod. d. l. 1. c. 6.*

83. Civis per analogiam & impropriè dictus, eſt vel honorarius, vel forenſis.

84. Honorarius dicitur, cùm honoris & meriti ergò peregrinis, Regibus, & Principibus civitas datur titulotenus, nudo honorum & ſuffragiorum jure, abſq; omni ſubjectione, domicilio, & neceſſariis muneribus. Quo jure donati Franciæ Reges ab Helvetiis. *Bodin. dict. cap. 6. nu. 55. Comin. l. 6.*

85. Forenſis eſt advena, qui aliunde advenit, mox diſceſſurus, & foro, nundinis, & commerciorum jure uti poteſt, ſecundùm leges & mores civitatis, in quâ agit. *Althuſ. cap. 5. Polit.*

86. Præterea cives alii ſunt eminentioris conditionis, aut inferioris.

87. Eminentioris conditionis ſunt Nobiles, Doctores, vel aliàs officii ratione in dignitate aliqua conſtituti.

88. Nobi-

88. Nobilitatis nomen generaliſſimè complectitur omnes ordines & dignitates, magiſtratuumq; munera, quæ tum ſuapte naturâ nobilia, tum nobilibus & illuſtrioribus viris competunt. *Kirchner. de Repub. diſp. 12. th. 1. ad lit. b.* ſic Imperator ipſe Nobiliſſimus appellatur. *l. 3. ff. de natal. reſtit.* & Marchionem Miſnenſem Nobilis viri titulo inſignivit Innocentius III. *c. conſtitutis ext. de teſtib.* Unde *nobilitas officii* eſt, quæ in muneris, quo quis fungitur, dignitate conſiſtit. *Timp. lib. 1. Pol. c. 1. q. 7.*

89. Interdum capitur pro eminentia, excellentia, & & claritate quadam: ſive pro animi & corporis temperie, quâ homines ſingulariter propendent ad virtutes magnas, præſertim bellicas. *idem ibid. Keckerman. in præcognit. Et hic fol. 39.*

90. In hac ſignificatione eam accipit Socrates, cum interrogatus, quid ſit nobilitas, reſpondit: Illam eſſe *εὐκρασίαν ψυχῆς καὶ σώματος*, hoc eſt, bonam temperiem animi & corporis.

91. Idcircò etiam nobilis dicitur, quaſi noſcibilis, quod propter eminentiam & excellentiam illam, quam habet præ aliis, facilius ab omnibus cognoſcatur. *Timpl. d. l. Tiraquel. de nobil. Sinibaldus Vbaldus Jureconſultus in axiom. de nobil. 8.*

92. Et hæc nobilitas *naturalis* indigitatur à Timpl.

93. Nobilitas ſpecialius dicta conſiſtit in virtute, aut ſcientiarum abditarum ac præſtantiſſimarum cognitione, aut utraq; virtute nimirum & ſcientiâ. *Meland. in idea ſtud. Polit. fol. 47. & Bodin. lib. 3. de Repub. c. 8. n. 354* veram, inquit, nobilitatem virtute metiamur: Cum ea ſit non modò Philoſophorum ac Theologorum, verùm etiam Poëtarum, Hiſtoricorum, ac Juriſconſultorum penè omnium conſentiens opinio, qui negant, ullum ſine honeſtate nobilitati locum relinqui: ac duobus propoſitis, generis, inquam, ſplendore ac virtute, ſuperiorem ac dignitate priorem virtuti locum eſſe oportere decreverunt, ſeu de imperiis & honoribus, ſeu de teſtium gravitate ac pondere quæratur. Scientias præſtantiſſimas qui fuêre aſſecuti, diſertè *nobiliſſimi* vocantur *in l. 7. providendum. ff. de poſtuland. & Caſſiodor. lib. 9 epiſt. 7.* ex obſcuro, inquit, nobilem efficit doctrina.

94. Nobilitas illa virtutis, *moralis* vocatur à Timplero: quæ verò eſt ſcientiæ,& gradibus Academicis confertur, *perſonalis* à Kirchnero,eoq; majorem ejus dicit eſſe dignitatem, quo altius ex tertia & ſecunda ſtirpe deſcendat.

95. Nobilitas ſpecialiſſimè,quæ *civilis & politica* vulgò dicitur, ſumitur pro dignitate,ſive ſerie dignitatis, propagata à certis majoribus ad poſteros, *Keck. d. f. 39. in fi & ſeq. à pr.*

96. Hæc igitur eſt à fortuna,genere ſcil. vel lege, vel conceſſione principis.

97. Unde nobiles ſunt,quorum familiæ nataſium ſplendor imaginum,&gentilitatis,à principe, vel lege,vel conſuetudine, ob virtutes Reip. & vitæ communi ſalutares & commodas, ſcientiam videlicet, vel res præclarè geſtas ſunt collata, ut definit *Ubald. axiom. de nobil. 10.*

98. Quare nomen & dignitas nobilitatis ſecundum mores & inſtituta cujusq; civitatis &gentis habetur. Sic apud Romanos nobilis dici meruit,qui primus in ſua gente magiſtratum curulem adipiſceretur, ac ſtatuæ ſibi erigendæ jus haberet. *Bodin. n. 351.* Apud Græcos nobilitas aut à ſtirpe regum, aut Heroum, puta Heraclidarum, Æacidarum, Cecropidarum,& aliorum id genus ducebatur. *n. 352. & num. 353. ex Ioſepho* refert,quòd apud Hebræos illuſtrium ac nobilium virorum duo genera fuerint: alterum ab Aaronis ſtirpe, qui ſoli Sacerdotes erant: Alterum à ſtirpe Regum. Cùm enim, inquit,gens illa ſummam bonorum omnium in religionibus ac divini numinis cultu collocaret, ita Sacerdotes, qui proximè ad immortalis Dei numen accederent, nobiliſſimos omnium judicabat. Apud Venetos nobilitatem æſtimari vetuſtate earum gentium,quæ conſiliis ac negotiis intentæ fuerint: Apud Florentinos hodiè militiam parere nobilitatem: & apud Germanos nobilem cenſeri, qui majorum fortitudine ac virtute,tùm feuda nobilia,tùm inſignia clathratra parta hereditario poſſideat,tradit *Kirchn. loc. all.* ſed & *Alciat. in lib. de ſingular. certam. Guidoni Papæ decis. 388.* aliisq; juris Interpretibus placuit,militiam per ſeſe nobilitare.

99. Veritatis autem limites excedit *Bod. n. 350.* docens, politicam nobilitatem cum civili imperio primum introdu-

ctam

ctam à Nimrodo, ſcelere partam, & poſteris ad imitandum eſſe relictam, atro carbone ob id notatus à Kirchnero *d. l.* qui contendit, nullam gentem tàm barbaram extitiſſe, quæ ſceleri & flagitio nobilitatem aſſignârit.

100. E variis ſpeciebus nobilitatis *moralis* à Philoſophis dicitur vera & perfecta. *Timpler.* ſed *Herman. Kirchner.* omnium pulcherrimam vocat, quæ ad naturalem nobilitatem quam proximè accedit, eamq; in virtute tùm generis, tùm propria cujusq; maximè conſiſtere, *è Platon. 4. de legib.* tradit. Nam ut gemma in auro magis lucet: ita virtus in nobile. *Andreas Rey à Naglowice de Conſiliario diſcurſ. 6. apud Keck. in curſ. Philoſoph. fol. 485.*

101. Et ejuſmodi, qui tùm paternâ & avitâ, tùm propriâ virtute enitent, primas eſſe tribuendas, monet *Bodin. d. cap. 8.* ſive de honoribus adipiſcendis, ſive de ordine & conſeſſu agatur. Quamvis aliàs etiam in aſſequendis Magiſtratuum muniis, quemadmodum etiam in dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis Canonicatuum nobiliores præferuntur ignobilioribus. *Tiraquell. de nobil. c. 20. n 10 & ſeq.*

102. Diximus nobilitatem & claritatem acquiri virtute, ſcientiâ, & fortitudine bellicâ: ſeu, literis & armis. Non ergò illius cauſa erunt opes & divitiæ. Quid enim abſurdius, inquit *Bodin. d. l.* quàm dignitatem quæſtu, ordinem pecuniis, nobilitatem opibus metiri? certè tàm nobilis erit pauper virtute & generis ſplendore conſpicuus, quàm opulentus aliquis Crœſus & Midas. *Poſt Ubald. de nobil. axiom. 200. Milaud fol. 49.* quodq; nobilitas paupertate non amittatur, evincunt Dd. *ex l. 7. humilem. C. de inceſt. nupt.* Etſi enim divitiæ nobilitatis ſint fulcra & baſes, ipſa tamen nobilitas manet. *Tiraquell. c. 25. nu. 1.*

103. Hîc quæritur: An mercatura nobilitati officiat, & an per illius uſum hujus decus amittatur? ut placet *Tiraquello de nobil. c. 33. n. 4.* Nam conſtat, artium ſordidarum exercitiis non obfuſcari tantùm nobilitatem, ſed & planè tolli. *Schonborn. lib. 3 Polit. c. 39.* At verò ſordidam eſſe mercaturam, Interpretes tradunt *cum Ariſtotele lib. 1. Polit. c. 6.* Tradit & *Cicero lib. 1. offic.* his verbis: Illiberales & ſordidi ſunt quæ-

 ſtus

ſtus mercenariorum omnium: quorum operæ, non quorum artes emuntur. Atque hinc Tarquinium faſtidiendum ſcribit *Valer. Max. lib. 3. c. 4.* quod Mercatore Damarato fuerit genitus. Et *Julius Capitolinus* inter ſordes Pertinacis Imper. ponit, quod mercaturæ operam dederit.

104. Secundò; ex auctoritate juris civilis nobiliores, honorum luce conſpicui, & patrimonio ditiores mercimonium exercere prohibentur. *l. 3. C. de commerc. & mercat. l. 33. ff. ſi cert. petat. l. 16. C. eod. l. 46. & 62. ff. de contrah. empt. l. 15. C. de re milit.* ut ſcilicet inter plebejos & negotiatores facilius ſit emendi vendendiq; commercium.

105. Tertiò: Quemadmodum diſtincti ſubditorum ſunt ſtatus, ita diſtincti eorum debent eſſe acquirendi modi. *Kerkerman. in curſ. Philoſoph. diſp. 31. q. 8. fol. 595.*

106. Quartò: Legibus Imperialibus mercaturæ & negotiationi omnes aditus ad honores & Magiſtratus fuêre præcluſi. *l. 6. C. de dignit.* Hinc Thebani neminem ad Reipub. adminiſtrationem admittebant, niſi decennium mercaturâ abſtinuiſſet.

107. Quintò: Faciunt huc leges Germanorum, & articuli equeſtrium torneamentorum: itemq; ſtatuta Gallorum, quibus confirmatum & receptum, ne nobilis mercaturam exerceat. *Bod. n. 360.*

108. Sed tamen alii non deſtituuntur ſuis argumentis, quibus oſtendunt, mercaturæ ſtudium nobilitatis ſplendorem minimè intercipere. Certis igitur limitationibus adhibitis, & conſideratione habitâ conſuetudinis alicujus regionis, neceſſitatis &c. Utramque partem conciliabimus.

109. Jura & privilegia ordinis nobilium, quæ habent vel beneficio legis, vel conceſſione Principis, vel conſuetudine indulta, perſequitur *Timquell. in tract. de nobilit.* & quædam adducit *Schönborn. d. l.* quò brevitatis causâ me remitto.

110. Succedunt Doctores, qui ſunt eminentioris conditionis cives, quibus in facultate ſuâ publicè docendi & reſpondendi ex Cæſareæ Majeſtatis auctoritate facta eſt poteſtas. *Meland. in idea ſtud. Polit. fol. 51, in fin.*

111. Ex:

111. Ex auctoritate illa vel Cæſar ipſe immediatè Doctores creat. *Ferrar. Montan. lib. 5. feud. c. 7. Sixtin. de Regal. c. 2. n. 27.* vel unico etiam verbo, ſicut & Licentiatos ac Magiſtros, *ex Lancelloto idem Sixtin. n. 29. & 32.* vel mediatè per Comites Palatinos, quibus creandorum Doctorum facultatem concedit. *Ferrar. d. l. Matth. Stephan. de juriſdict. lib. 2. part. 1. c. 1. membr. 2. nu. 67. 68.* vel Profeſſor aliquis in Academiis Doctores renunciat eos, qui publico eruditionis teſtimonio petito, in ſolennibus antegreſſis examinibus illo ſeſe honoris gradu dignos probarunt. *Meland. fol. 52.* ubi hos propter accuratiorem examinis rationem illis meritò anteponit.

112. Renunciantur autem Doctores vel in ſapientia divina, vel humana.

113. Qui in ſapientia divina, Theologi dicuntur.

114. Sapientia humana vel juriſprudentia eſt, vel Medicina.

115. Qui in illa promoventur, Jureconſulti: qui in hac, Medici dicuntur.

116. Theologi primas merentur. Nam quanto æterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tantò Theologica facultas cæteris omnibus anteponenda. *Muret. in Orat. 1. de dignit. ac præſtant. ſtud. Theol. fol. 3. in med.* Et hæc ſapit ſola, reliquæ diſciplinæ, velut umbræ per inane volantes vagantur. *fol. 9. in fin.*

117. A Theologis proximum locum obtinent Jureconſulti, & præferuntur Medicis, non ex ratione, quam præ ſe fert ſcopticum illud, quod à ſcopticis & perverſis dicitur: Præcedant fures, carnifices ſequantur. Sed ex ratione petita à præſtantia finium harum diſciplinarum. Tàm enim JCti quàm Philoſophi docent à fine denominationem & præſtantiam cujuſque rei eſſe deſumendam. *Eberhard. à Middenburg in Topic. Legal. loc. ult. à virtute finis, nu. 2.*

118. Jam verò Juriſprudentia ad publicum bonum eſt comparata. *Caſſanæ. in Catal. glor. mund. p. 10. conſiderat. 25.* Verſatur enim circa juſtitiam adminiſtrandam, quæ maxima omnium aliarum virtutum. *Ariſtot. lib. 5. Ethic. c. 1.* heſperos

& lucifero formoſior. *Eurip.* civitatis domina & norma. *Caſ. in ſpec. Philoſ. moral. l. 5. c. 1.* ſine legibus & legali diſciplina ne momentum quidem ulla civitas ſtare poteſt. *Bodin. l. 3. de Repub. c. 8. n. 360.* Siquidem ut corpus animâ carens cadit: ſic civitas nullis adminiſtrata legibus evertitur. *Demoſth.* cujus rei veritas elucet in civitate Romana, quæ ſine Medicis annos anmpliùs ſexcentos floruit, *teſte M. Catone*, ſed non ſine legibus & legitima diſciplina.

119 Medica verò ſcientia privatum ſolùm bonum ſpectat, ſanitatem ſcilicet vel conſervandam, vel recuperandam, *è Galen. in art. parva. Dn. Gerhard. decad. 9. cent. quæſt. Polit. 6* Et quamvis apud Hebræos & Græcos in ſummo pretio ſemper fuerit habita, apud Romanos tamen à liberalibus artibus & profeſſionibus fuit disjuncta. *l. 1. Praſes. §. 1. Medicorum. ff. de variis & extraord. cognit. l. 1. exceptis. C. de decret. decur.* quin ſervilis & abjecta fuit Medicorum conditio. *l. 41. Thais §. 6. Lucius ff. de fideicom. libert. l. 16. alimenta. §. 1. libertis. de aliment. vel cibar. legat. l. 10. Sejo. §. 3. de annuis legat. & fideicom. l. 1. §. 5. ne autem. C. de comm. ſerv. manumiſſ.*

120. Doctoribus ſubjunguntur Magiſtri, qui Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, & Petri Rami Philoſophiam in ſuccum & ſanguinem converterunt. *Meland. fol. 52.* Et hactenus de civibus conditionis eminentioris.

121. Inferioris ſortis ſunt opifices, agricolæ, & mercatores.

122. Circa aſſcriptos & peregrinos in utramque partem diſputari ſolet: An expediat eos recipere, & jure civitatis donare? Nos non omnes recipiendos eſſe aſſerimus abſque juſta diſcretione & delectu. Latiùs de hâc quæſt. *Caſ. l. 5. Sphær. civit. c. 3. poſt Ariſtot. Arniſæ. l. 1. doctr. Pol. c. 13 Jun. part. 2. quæſt. 60. Tholoſan. l. 4. de Rep. c. 5. Keck. in ſyſt. Polit. c. 24. & in curſ. Philoſ. fol. 377. & ſeqq.*

123. Cæterùm ex civium coalitione ſodalitia & Collegia oriuntur, quæ ſodalitium ſuum unâ eademq; lege collectum & obligatum habent. *Bod. l. 3. c. 7.*

124. Collegium definitur legitima trium pluriúmve perſonarum ejuſdem conditionis, profeſſionis, & ordinis

conſo-

conſociatio, ut ex pluribus perſonis velut una perſona, & unum corpus fiat. *l. ult. ff. de excuſat. & l. 4. ff. de Collegiis.*

125. Tres ergò faciunt Collegium, ut ſcribit Neratius *in l. 85. ff. de verb. ſignif.* Duorum enim numerus ad eam rem ſolennis non eſt. *l. 1. ff. quod cujusq; univerſ. nom.* Rectè tamen jus Collegii per duos vel unum conſervari atque retineri dicitur, *l. 7. ff. eod.* vid. *Gædd. in comm. ad d. l. 85. n. 2. & l. 173. n. 1.*

126. Ex Collegiis oriantur corpora, quæ ex plurium Collegiorum conjunctionibus conſtant.

127. Ex his omnibus conflatur univerſitas, quæ eſt omnium familiarum, Collegiorum, & corporum ejuſdem Oppidi juris communione ſociata multitudo. *Bodinus l. 3. cap. 7. à pr.*

128. Hæc univerſitatis collectio civitas dicitur, hominum ſcilicet ſecundùm eaſdem leges viventium certâ ratione moderatus cœtus, ut definit *Schönborn. l. 1. Polit. cap. 13.*

129. Differt quandoque à Republica, quod civitas eſt quaſi materia, in quam Reſpub. tanquam forma inducitur. Quo ſenſu *Iſocrates* Rempubl. vocat civitatis animam.

130. Et hactenus de origine & progreſſu conjunctionis ac ſocietatis populi in unam Rempubl. ſeu Politiam fuit dictum.

131. Formam definitionis ſuprà propoſitæ abſolvunt illa verba: *Summâ poteſtate ac rectâ ratione moderata.* Dicitur primò *ſummâ poteſtate.* Nulla enim eſt Reſpublica, ubi non eſt ſumma imperandi facultas. Secundò additur: *rectâ ratione moderata.* Quæcunque enim, qui clavum imperii tenent, moliuntur, ex ratione ſecundum virtutem confirmatâ, ut fieri poteſt, dimanare debent: nulla actio ab iis ſuſcipienda, quæ honeſtati utilitatique publicæ adverſetur.

Auctaria.

Auctaria.

I.

AN Politica ſit omnium ſcientiarum præſtantiſſima & nobiliſſima? Architectonica & regina reliquarum omnium, ut aſſerit Ariſtot. l. 1. Ethic. c. 2. *ita ut homo eâ præſtantiorem ullam virtutem aſſequi nequeat*, Plutarch. in vit. Caton.? *Aff.*

II.

An Politica certis præceptis poſſit tradi? Aff.

III.

Utrum civitates leges & ſtatuta condere poſſint abſque confirmatione ſuperioris? N.

IV.

An verò Collegia decreta facere queant, quibus devinciantur Collegæ? Affirm. modò in præjudicium legis publicæ ne fiant.

DISPUTATIO II.

De CAUSIS REMPUBLICAM CONSTITUENTIBUS, AMPLIFICANTIBUS, ET conſervantibus: itemq; Mutantibus, Convertentibus, & Evertentibus.

Reſpondente

BALTHASARE Prauſer/ SILESIO.

THESIS I.

DEfinitionem Reipub. inſequuntur principia & cauſæ ejuſdem, ſcire ſiquidem eſt rem per cauſas cognoſcere, ut ait Philoſophus.

2. Harum autem aliæ ſunt univerſaliſſimæ & remotæ, aliæ particulares & propinquæ.

3. Cauſa efficiens omnium prima & univerſaliſſima Politiarum eſt Jehova altiſſimus, qui eas ab initio mundi inter gentes ac populos conſtitutas protegit & conſervat. *Geneſ. 9. verſ. 6. Joſ. 1. 1. Sam. 9. 10. & 16. 1. Reg. 1. Dan. 4. v. 14. Rom. 13. v. 1.*

4. Particularis & propinqua ſocietatis humanæ cauſa exiſtimatur triplex: Natura ſeu affectus naturalis. Homo

 enim

enim ſui naturâ eſt animal Politicum, ad ſocietates aptum, per rectam rationem ad civilem vitam congruenter apparatum. *Ariſtot. l. 1. Ethic. c. 7 & 9. l. 1. Pol. c. 2.* Quæ cauſa eſt impulſiva interna. 2. Eſt indigentia plurimarum rerum, quâ homines impulſi inſtar aquæ confluxerunt, ut ope mutuâ faciliùs ea conſequerentur, quibus indigebant. Hæc eſt cauſa impulſiva externa, utilitas ſcilicet. *Piccol. grad. 10. Philoſ. moral. c. 13.* 3. Sunt injuriæ, tàm ob ferarum ferociam & incurſum, quàm hominum aliorum violentum impetum. *Anton. Montecatin. l. 1. Polit. Ariſt. cap. 4. in pr.* Poteſt & quarta cauſa conſtitui, videlicet Religio, ob quam quidam homines conveniſſe arbitrantur, juxta illud Stigelii:

Utq; alios alii de relligione docerent,
Contiguas pietas juſſit habere domos.

5. His ita ſe habentibus meritò cum *Kirchnero in Repub. diſput. 1. theſ. 4. & auct. 3.* rejicimus ſententiam *Bodini lib. 1. de Repub. cap. 6. num. 46.* concedentis quidem, reſpectu cauſæ primæ, imperia legitima eſſe. Sed ſi de cauſis intermediis quæras, omnia Regna vi primùm coaluiſſe: & ita imperandi rationem ſui naturâ violentam: vimq; & cupiditatem imperandi Reipublicæ cauſam efficientem eſſe.

6. Explodimus etiam doctrinam Epicureorum, qui homines temerè & fortuitò in ſocietatem Politicam conveniſſe ſcribunt, perindè ut atomi temerè confluunt ſine ulla naturæ lege vel inſtinctu, quam refellit *Cic. 1. & 2. de nat. Deor.* Alias erroneas opiniones de prima ſocietatis civilis origine vid. apud *Keck. in præcog. ſyſt. Pol. fol. 11. & 12.*

7. Nunc ad materiam progredimur. Materia verò Reip. ſunt ſinguli homines in urbe degentes, proximè tamen & propriè ſunt cives, in quibus Reipublicæ forma recipi nata eſt. *Ariſt. l. 3. Pol. c. 2. Piccol. grad. 10. c. 6.*

8. Forma Reipubl. ſeu Politiæ eſt adminiſtrationis ratio, ſeu qualitas recta & proba, ac bonis legibus & conſuetudinibus temperata. *Tholoſan l. 1. de Repub. c. 1.* Etenim, ſi hæc abſint, ſocietas per ſe hominum potiùs dicenda eſt conjuratio & ἀταξία, ſeu confuſio Reipub. Magna ſiquidem

Regna

Regna abſque juſtitia nihil aliud ſunt, quàm latrocinia, *dicente Auguſtino.*

9. Finis, eſt conſervatio ſocietatis humanæ, ad verum decus & honeſtatem directa. *Bod. l. 1. c. 1. nu. 3.* vel: Finis Reipub. eſt duplex: unus, ut congruenter gignamur, nutriamur, ſervemurque incolumes: alter & poſtremus, ut benè beatéque vivamus. *Piccol. grad. 10. c. 14.* Quem finem temerè à definitione Reipub. removet *Bod. l. 1. c. 1. n. 3.*

10. Conſtitutionem Reipub. inſequitur ejuſdem amplificatio & conſervatio, quæ non minoris, imò majoris eſt virtutis, quàm acquiſitio. *Ariſtot. l. 5. Pol. c. 6.* & Poëta:

Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta, tueri.

11. Conſervantur autem imperia non ſolùm virtute, induſtriâ, potentiâ, &c. mortalium, ſed inprimis divinâ gratiâ. Nam ut ſcribit *Waremundus de Erenberg. lib. 1. de fœder. c. 1. nu. 22.* Providentiâ Dei immotâ, & in minutiſſimas res intentâ regitur mundus, mundi Regna, mundana omnia & mortalium conſilia.

12. Amplificatio autem eſt vel naturalis, vel induſtrialis.

13. Naturalis propagatio populi fit per legitimum matrimonium: quod ut principium urbis conſtituendæ, ita ſeminarium Reipub. amplificandæ & conſervandæ. *Cic. 1. offic.* & perpetuitatem humano generi largitur. Leo *Novell. 26.* immortalitatem artificiosè introducit Reipubl. *Juſt. Nov. 22.*

14. Induſtrialis rurſus eſt vel voluntaria, vel coacta.

15. Voluntaria, cùm ſpontè alienæ Reipub. homines tùm ſeſe tùm ſua aggregant, vel bonitate regionis, vel regni libertate, vel quavis aurâ illecti: Vel cùm amicitiis, donationibus, teſtamentis, legatis, emptionibus, oppignorationibus, pactis, ſucceſſionibus, nuptiis, adoptionibus, poſſeſſiones, Regna, ditiones adjiciuntur. *Hippolyt. à Collib. in princ. cap. 35. Kirchner. in Republ. diſput. 15. th. 1. ad lit. H. Schonb. l. 2. Pol. c. 16. 17. 18.*

16. Ita per voluntariam ſeu ſpontaneam exterorum

ſubjectionem Cyri imperium crevit. *Xenoph. l. 1. Cyropæd.* & auctum eſt Romanorum, cùm plures exiſtimarent, meliùs ſe ſub eorum poteſtate vivere poſſe, quàm in ſua libertate *L v. lib. 4.*

17. Ex teſtamento populus Romanus regno Attalorum eſt potitus. *Kirchn. de Repub. diſp. 4. th. 4. ad lit b.*

18. Plurimi lege commiſſoriâ pignoris Principatus retinuerunt. Ita Philippus Valeſius Delphinatum quadraginta millibus aureorum: Beroënſem Ducatum ſexaginta millibus oppignoratum habuit. *Hipp. d. l.* Sed cum plerunque oppignorationes materiam litibus & diſcordiis belliſque relinquant, cautè illis utendum *Comina. lib. 1.*

19. Per affinitates & nuptias imperium propagarunt Tarquinius, Theodoſius Junior, Romanus Argyropolus, & alii. *Hippol. d. l.* ubi etiam lectori ob oculos ponit familiam Auſtriacam, quæ Galliam, Belgicam, Hiſpaniam, Luſitaniam aliaque potentiſſima Regna dotis nomine accepit, *ex Franciſco Tamtta de regn. Hiſpan.*

20. Adoptione & arrogatione multis ſucceſſio eſt quæſita, inprimis Imperatoribus priſcis Romanis, ut memorant Hiſtorici, Sueton. Vopiſc. Capitolin. & alii. Sic Julius Cæſar adoptavit Octavium, Octavius Tiberium, Tiberius Caligulam, Claudius Neronem, Nerva Trajanum, Trajanus Adrianum, Adrianus primò Ælium verum, quo mortuo, adoptavit Antoninum Pium, Antoninus Pius Marcum Antoninum Philoſophum, natum ex fratre uxoris Antonini Pii, videlicet ex Antonino vero. Adoptavit Antoninus Pius & Lucium verum, quem fratrem ſuum adoptivum, Marcus initio ſui Imperii Collegam ſibi fecit, eumque Cæſarem & Auguſtum nominavit. Ac primùm tunc duo Auguſti, pari poteſtate regnare cœperunt. *Jul. Capitolin. & Melanchton. libr. 3. Chron. Carion. in vit. M. Ant. Philoſ.* aliàs enim Cæſares Auguſtis minores erant, iisq; tanquam filii patribus ſubjecti. *Onuphr. Panvin. in tract. de Comit. Imperat. c. 3.*

21. Referenda huc etiam eſt unio: quando nempe ex pluribus Oppidis exilioribus unam magnam conſtituimus civitatem: vel quando Reſpub. & Regna in unum concreſcunt

ſcunt Imperium. *Bartbol. Muſculus de ſucceſſ. anomala, part. 2. fol. 7. nu. 12.*

22. Hancque unionis ſpeciem incorporationem vulgò vocant. Sic Jagiello magnus Dux Lituaniæ, poſt amplexionem fidei Chriſtianæ, & ſacrum baptiſma Uladislaus vocat⁹, matrimonium contraxit cum Hedwigi Regina Poloniæ, magnumque Ducatum Lituaniæ, Samogitiæ, Ruſſiæ Regno Poloniæ incorporavit. *Alexand. Guagnin. tom. 1. Rer. Polon. in vit. Jagiel.* Sic Scotia cum Anglia fuit unita. *Orat. Sereniſſ. Reg. Angl. de ann. 1603. 19. Martii. Alberic. Gentil. diſput. Regia. 2.*

23. Coacta amplificatio fit jure belli, deditione nempe, vel expugnatione.

24. Jus autem deditionis eſt, ut populus cum urbe, agro, aqua, terminis, delubris, rebusque omnibus in poteſtatem & deditionem victoris veniat: ſicut formula deditionis *apud Liv. lib. 28.* oſtendit, *Forner. lib. 4. rer. quotid. cap. 24.* Auff Gnad vnd Vngnad ſich ergeben.

25. Ad conſervationem Reipub. plurimùm facit ærarium, cujus maxima eſt neceſſitas. Reipublicæ enim nervi in pecunia conſiſtunt. *Dion. in Veſpaſ.* Quod temerè impugnat *Nic. Machiavell. lib. 2. diſcurſ. de Repub.*

26. Septem autem genera conficiendæ publicæ pecuniæ, quibus cætera continentur, recenſet *Bod. l. 6. de Repub. c. 2. circa pr. Hippol. in princ. c. 33. Arniſæ. l. 2. doctr. Pol. c. ult. à fol. 558. ad 567.*

27. Primùm ex agris publicis eſt, quo genere nullum certius aut honeſtius videtur. Sic Romulus agrum Romanum in tres æquas partes diviſit: quarum unam ſacris faciendis: ſecundam Reipub. oneribus ſubeundis: tertiam hoſtibus aſſignavit. *Halicarnaſſæ. lib. 2.* Huc pertinet theſaurus in fiſcali loco vel publico, vel civitatis repertus, qui dimidius inventoris, & dimidius fiſci vel civitatis debet eſſe. *§. theſauros. 39. Inſtit. de rer. diviſ. l. 3. §. 10. de jure fiſci.* Ad fiſci divitias Fridericus Imper. etiam refert vias publicas, flumina navigabilia, portus, ripatica, bona vacantia, &c. *in cap. quæ ſint regal.*

 28. Secun-

28. Secundum genus ex hoſtium ſpoliis eſt, ut quæ bellis exhauſta ſunt, ſarciantur. Ita ærarium Romanorum locupletiſſimum redditum eſt, cum publicæ pecuniæ in illud inferrentur, & devictorum tributis conſtaret, *Liv. libr. 9.* ut nullâ extraordinariâ collatione eſſet opus uſque ad bellum civile. *Plut. in vit. Æmil.*

29. Tertium in amicorum donationibus ac legatis verſatur. In Turcia ærarium ferè conſtat ex donariis, quæ ab aliis Principibus, potiſſimùm Chriſtianis dantur: tùm etiam à ſuis ſubditis atque ſervis. *Dn. Beſold. claſſ. 2. diſput. Polit. 4. th. 4* ubi *è Laz. Soranzio. & Achil. Traducio* refert, nemini vacuis manibus ad Turcicum Imperatorem patere aditum, cùm magnificentiæ id tribuant, quod immenſam ſecum trahit utilitatem.

30. Quartus modus augendi ærarium eſt in ſociorum penſionibus, cùm annua penſio vel à clientibus, vel à ſociis civitatibus ex fœdere percipitur, ut ſi bellum ab hoſtibus inferatur, militem ſociis imperare liceat. Qui enim à Principe vel Republica tutelam & patrocinium expectant, pro labore & onere viciſſim aliquid conferant, æquitas ſuadet. Ita Romani, quamvis victoriâ ſæpè eſſent contenti, ut ait *Flor. lib. 3. cap. 2.* penſiones tamen de victis hoſtibus ſoliti ſunt imperare. Hodiè Reges Galliæ annua mille aureorum ex fœdere dependere conſueverunt Helvetiorum & Rhetorum civitatibus, eâ lege, ut Reges Galliæ exercitus imperare, & auxiliaribus eorum copiis uti ad imperii ſui tutelam, prætoriasq; cohortes ad corporis obſequium & cuſtodiam inde conſcribere poſſint. *Bod. l. 6. n. 2.*

31. Quintus conſiſtit in mercatura, abundanti ſcilicet & quæſtuosâ, quæ à Regibus & Principibus nonnullis, ſuo vel alieno nomine, uſurpata legitur, & num etiàm uſupatur, à Principibus Italiæ maximè. Hoc genus rarius eſſe, ac Principe minimè dignum, ſentit *Bod. n. 650.*

32. Sextum genus eſt antiquiſſimum & uſitatiſſimum, ex vectigalibus earum rerum, quæ aut evehuntur, aut invehuntur. In vectigalibus ſiquidem Principum ac Rerumpublicarum vires ſunt ſitæ. *Thucyd. libr. 2. de bell. Peloponnes.* &

reſcribit

reſcribit *Ulpian. in l. 1. §. 20. de quæſt.* Unde quis lucrum ſperat, inde cum gratia patitur aliquid decerpi, inquit *Cicer. in epiſt. ad Q. Fratr.*

33. Septimum ex ſubditorum tributis habetur. Quod ſi enim vis aliqua major inopinatò Remp. oppreſſerit, tunc demum cives ærario ſuccurrere oportet. Id enim juſtiſſimum eſt, quod neceſſarium: & pia illa, quę civibus imperantur tributa, ſine quibus civitas ipſa funditùs ſit interitura, ut ſunt verba *Bodini d. c. 2. n. 654.* quo loci meritò illud improbat, quod tributa ſubditis difficilimo belli tempore imperata, confecto bello ſæpiùs continuantur. Et hi ſunt regulares modi acquirendi pecuniæ publicæ, & augendi ærarium.

34. Conducit & inprimis juventutis recta inſtitutio. Ut enim in ſemente poſita ſpes meſſis eſt; ita totius reliquæ vitæ expectatio ab educatione pueritiæ pendet. *Anton. Muret. Orat. 2.*

35. Non ſolùm autem domeſticæ educationi oculus admovendus, ſed & publicis inſtitutionibus in Scholis, Gymnaſiis, Academiis, quas Reipub. impendiis extrui, ſtipendiis foveri & ſervari oportet. *leg. 6. C. de Prof. & Med.*

36. Publica verò inſtitutio privatæ ſemper anteferenda. *Fab. lib. 1.* Quæ forma inſtitutionis Lacedæmoniis, Athenienſibus, Perſis, Romanis, ac pluribus aliis placuit. *ex Xenoph. 1. Cyropæd. Plut. in Lycurg. Juſtin. l. 3. Dn. D. Gerhard. decad. 8. quæſt. 7. in cent. Pol. quæſt.* ubi pluribus de hac re agit. & *Jun. cent. 2. quæſt. Pol. 43. Kecker. lib. 1. ſyſtem. c 9. fol. 193. & in Oecon. fol. 44.*

37. Cauſas Rempub. mutantes, convertentes, & evertentes, alii dicunt pendere à fato, alii à fortuna, alii ab aſtris, alii ab eclipſibus, alii à terræ motibus, alii à fatali Regnorum periodo, alii à numeris Platonicis. Quorum ſententiæ ad ſcopum veritatis non videntur collimare: ideoque in eas inquiremus, & poſtea veras cauſas indagabimus.

38. Non ergò dependent à fato illo Stoicorum, quod tàm Philoſophi ſaniores, quàm Theologi rejiciunt. *Auguſt. de civit. Dei l. 5. Danæ. l. 3. Pol. Chriſt. c5.*

39. Nec

39. Nec à fortuna. Hæc ſiquidem nihil eſt, ſed nos ducimur regimurq; à divinitate quadam, quæ etiam ipsâ ſit potior ratione. *Scal. exerc. 188.*

40. Neque ab aſtris, errantium & inerrantium ſiderum vi ac poteſtate, petenda illarum mutationum cauſa: ſed rejiciendæ ſuperſtitiones Aſtrologicæ eorum, qui mutationes operationibus cœli neceſſariò aſſignant. Aſtra quidem inclinant, ſed non neceſſitant. Unde eſt illud: Sapiens dominabitur aſtris. Deinde Aſtromanteia eſt incerta, nullis certis principiis, ſed argumentis fallacibus innitur. Unde deprehenſum, Aſtrologos, qui ſtellarum vim in civitates, quicquid ad multos annos effecturæ ſint, ſine errore prædicere non potuiſſe. Et quî annorum plurimorum effectus, ex conſtellatione aſtrorum prænunciabunt, cùm ſæpè ea neſciant, quæ ante pedes ſunt, & in craſtinum futura. Sic Thales Philoſophus ſiderum atque cœleſtium rerum valdè Studioſus & indagator, cùm cœlum aſtraq; iter faciens intuêretur, & adverſo fato in foſſam præceps ruiſſet, dum eum anus inde educeret, audivit argutè ſibi ab ea dici: En, quomodo te, in cœlo quæ ſunt, ſpectare poſſe credis, ſi quæ inter pedes poſita habeas, non diſcernis? mordaci enim verbo homini Philoſopho nimiam eorum curam, quæ perfectè ſciri non poſſent, exprobravit. *Fulgoſ. de dict. & fact. memorabil. l. 7. c. 2.* Imò Deus ipſe illudit tales divinationes. *Eſai. 47. verſ. 13. & 14. c. 41. v. 22. & ſeqq. c. 44. v. 25. & Jerem. 10. v. 2.* ſiderum conſtellationes non metuendas Dominus apertè præcipit. Rectè itaque *Eobanus Heſſus:*

Ah miſeros, qui ſigna notant, & ſidera ſpectant,
Et ſpes inde hominum vanaq; vota trahunt.

Adſtipulatur *Scal. exerc. 251.* Non Matheſis eſt, ſed Matæa, quæ illis mortalium omnium fortunas, caſus, eventa cuncta, fatum ipſum tanquam à ſuggeſtu militari pollicetur. Imò Canones artem hanc divinatoriam, Aſtrologiam judiciariam ſeu Magiam, hujusque cultores, obſervatores & conſultores anathematis fulmine feriunt. *Cauſ. 26. q. 5. c. 1. ſi quis ariolus.*

arioloſ. c. 2. qui divinationes, & multis ſeqq. Adde *Levit. c. 19. v. 31. & c. 20. v. 6. & 27. Deut. 18. v. 10. & ſeqq. l. 2. & 5. C. de maleſic. & mathemat.*

41. De Cometarum tamen apparitionibus major alicui ſcrupulus injici poſſet. Docet enim multorum ſeculorum obſervantia, magnas clades orbi terrarum, excidia civitatum, mutationes Regnorum, obitus Magnatum, & alias calamitates publicas per eas denunciari, *Freig. libr. 25. Phyſ.* Ejuſmodi prodigia & oſtenta prænunciantia mortem Impp. Rom. narrat *Suet. in vit. Caſ. Auguſt. Calig. & Flavii Domit.* Cometa, qui excidium Hieroſolymitanum ſignificavit, per integrum annum in ſpecie enſis ſuper urbem Hieroſolym. ſtetit. *Joſeph. l. 7. de bell. Judaic.* Poëta *Manilius* ita cecinit:

In cœlo nunquam ſpectatum impunè cometam.

Verùm cum Cometæ pleriq; habeant cauſas naturales, ut diſputat *Plin. l. 2. hiſt. nat. c. 26. 27. & 28. Scal. Exerc. 79. ſect. 1. Magir. l. 4. Phyſiologiæ c. 3.* non poterit exinde Prognoſticon vel concluſio univerſalis, certiſſima, &, ut Philoſophi loquuntur, apodictica, ſed conjecturalis & probabilis deſumi. Et quòd Cometæ neceſſitatem inevitabilem non inferant, & quàm plurimi eorum ſine prænunciatione novi cujuſdam eventus fuerint viſi, teſtatur *Scal. d. exerc. 79. ſect. 2. à princ.*

42. Hinc judicium etiam ferri poteſt de Eclipſibus ſolis & lunæ, cùm enim & ipſæ naturales habeant cauſas, non eſt, ut inde noſtrarum actionum normam, & Regnorum interitum *neceſſariò* petamus, licet *interdum* poſt eclipſes factas mutatæ vel converſæ fuerint Reſpublicæ.

43. Terremotus tamen *ſæpiùs* ſunt ſigna mutationum & everſionum in Republica, attamen *non ſemper & neceſſariò.* Sic quamvis *Johan. Magir. l. 4. Phyſ. c. 10.* tàm ex Aſtrologis, quàm Phyſicis cauſas terræmotus naturales conſtituat: mox tamen cauſam finalem ejuſdem dicit eſſe ſignificationem iræ Dei. ex *2. Reg. 22.* & addit: Ea propter terræmotus eſt prænuncius magnarum calamitatum, ſicut teſtatur Plinius, inquiens: Nunquã urbs Romana tremuit, ut non futuri even-

tus prænuncia eſſet. Hinc Cardanus, terram inquit, ex *flatu* ſcindi, & maximas indicare ſeditiones, haud dubium eſt. *Hæc ille.* Nec deſunt exempla hujus rei plurima. Terræmotus ſub Tiberio duodecim celebres Aſiæ urbes evertit. *Tacit. 2. annal. 7.* Totidem Campaniæ oppida alius ſub Conſtantino. Mortem Theodoſii ſecundi Imperatoris, & ſequentes Imperii ruinas anteceſſit terræmotus, qui duravit ſex menſes, concuſſit Conſtantinopolin, & multa Aſiæ loca. *Ambroſ. in Orat. funeb. Theodoſ. Melancht. l. 3. Chron. Carion. in vit. ejus.* Hiſtorici etiam Polonici annotârunt, poſt terræmotum in Polonia ſingulares mutationes accidiſſe. *Herbort. lib. 6. Chron. c. 6. & lib. 7. c. 10.*

44. Ad fatales Regnorum periodos quod attinet, multi has ipſas defendunt, ac annorum numeris Imperia definiunt: ita ut quædam quingenteſimo vel ſeptingenteſimo anno aut alio ſint translata aut everſa funditùs, aut cũ nova commutata forma. Itaq; illud tempus volunt cuiq; Reip. eſſe periodum fatalem regnandi & dominandi. *Melancht. l. 4. & 5. Chron. Car. Peucer. de divinat. fol. 30. & ſeqq. Keck. l. 1. ſyſtem. Pol. c. 26. fol. 408. & ſeqq.* Pro cujus ſententiæ confirmatione exempla Imperiorum & Regnorum haud obſcura adducuntur. Sed eam rectè explodit *Bod. l. 4. c. 2. Arniſæ. l. 2. doctrin. Pol. c. 2. Dana. l. 3. Pol. Chriſt. c. 2. fol. 164. & c. 5. fol. 204.* Ubi aſſerere non dubitat, mutationes Rerumpublicarum ex certis periodorum & temporum metis & circuitibus metientes, fatum Stoicum ubiq; à Chriſtianis & piis viris damnatum inducere atque tueri: ac ſi ex connexione & ſerie ipſa, neceſſitate quadam inevitabili & abſoluta, cauſarum ſecundarum interitus, duratioq; rerum ſit definienda. Huic ſententiæ poſteriori calculos noſtros addimus, eamq; pluribus rationibus, & exemplis contrariis Imperiorum, Regnorum, & Rerumpublicarum præcipuarum, in ipſa collatione declarabimus: ſimulque ad partis adverſæ adducta reſpondebimus.

45. Devenimus nunc ad numeros Platonicos. Hos nemo adhuc probè explicare potuit, uſque adeò verum eſt, quod Antiquitas in ore habuit: Numeris Platonicis nihil obſcurius

ſcurius. *M. Tull. l. 7. epiſt. ad Attic.* vid. *Dn. Gerhard. decad. in quæſt. 2. Schonborn. l. 7. c. 25. Bodin. l. 4. de Repub. c. 2. nu. 410. & ſeqq. de method. hiſt. c. 6.* Ubi Plat. opinionem tanquam abſurdam rejicit.

46. Reſtat, ut veras, proprias, & adæquatas cauſas illarum mutationum excutiamus.

47. Sunt illæ vel Theologicæ, vel Politicæ.

48. Theologicæ, tàm ex parte Principum, quàm ſubditorum, ſunt horum impietas, blaſphemia, idololatria, & contemptus Religionis. *Eſai. 5. v. 24. Ezech. 5. v. 3. & 4.* Hoc luculenter teſtatur excidium urbis Hieroſolymitanæ, quæ propter neglectum DEI cultum, impietatem, & blaſphemias ſolo eſt adæquata.

49. Cauſæ Politicæ ſunt vel internæ, vel externæ.

50. Internæ ſunt vel reſpectu Principis, vel ſubditorum.

51. Reſpectu Principis ſive Magiſtratus ſunt præcipuæ; 1. injuſtitia, injuria, & legum iniquitas. *Eccleſiaſtic. 10. v. 8. cum ſim.* ubi non eſt pudor, nec cura juris, ſanctitas, fides, inſtabile eſt regnum, inquit *Seneca in Thyeſte.* Notabilis eſt *gloſſa C. de Juſtin. Cod. conf. in pr.* Duo iſta brachia: Arma & Leges, fecerunt urbem Conſtantinopolitanam præ omnibus aliis dominari. Quid enim verius illo Salomonico: Juſtitiâ firmatur ſolium? *Proverb. 16. v. 12.*

52. 2. Subditorum expilatio, tributorum nimia exactio, & oppreſſio pauperum. *Amos. 5. v. 11.* Et quæ alia cauſa defectionis decem tribuum Iſraëlis à Roboamo Rege, quàm gravium onerum impoſitio, & oppreſſio populi? *1. Reg. 12. 2. Paralip. 10.* Galli in Ludovicum XI. bellum excitârunt ad avertendas exactiones, cui *Boni publici* nomen prætexuerunt. *Arniſæ. l. 2. de Rep. c. 3. ſect. 6. nu. 51.*

53. 3. Tyrannis ſeu crudelitas. Unde *Juvenal. Sat. 10.*

Ad generum Cereris, ſine cæde & ſangvine pauci
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte tyranni.

54. 4. Intemperantia ſeu temulentia, luxus & libido. Luce meridianâ clarius eſt, urbis Trojanæ exſcindendæ cau-

ſam præbuiſſe Helenæ raptum. Et omnibus notum, Reges olim Romanos ob vim illatam caſtiſſimę nobili fœminæ Lucretiæ, Româ fuiſſe expulſos. *Liv. l. 1.*

55. 5. Imprudentia, inſcitia, ſtultitia, pigritia, & negligentia in tuenda ac conſervanda diſciplina & honeſtis legibus: & conſequenter impunitas ſcelerum. Nam, ut docet *Demoſthenes contra Leptinem*, non facilè Reſpublica conſiſtit, ubi non eſt præmium virtuti propoſitum, & pœna ſceleri. Et hoc eſt, quod Solon dixit: Rempublicam partim præmiis, partim pœnis conſtare.

56. 6. Auctoritatis amiſſio ſeu contemptus, qui ex tribus cauſis oritur. 1. Ex vitiis Principis. 2. Ex forma regiminis prava atque inepta. 3. Ex infelicitate. Conf. *Lipſ. l. 4. Polit. cap. 12.* addatur & 4. nimia cum plebe conſociatio.

57. 7. Temera legum & Religionum mutatio: nullâ enim fermè re tàm facilè mutationes Rerumpub. quàm Religionis mutatione introducuntur. Religio enim eſt potiſſimum vinculum & firmamentum Reipub. *Polyb. l. 6.* nihil ad moderandas ſtabiliendasq; Reſpublicas firmius. *Cromer. libr. 2. hiſt. Polon.*

58. Cauſæ ex parte ſubditorum, & quidem 1. Reſpectu ordinis Eccleſiaſtici, ſunt ambitio & curioſitas Sacerdotum, Politicam gubernationem appetentium, quæ πλυπραγμοσύνη publicis Magiſtratus edictis refrenanda eſt. Vid. *Schönborn. l. 3. Polit. c. 40. l. 2. c. 29. l. 7. c. 6.*

59. 2. Reſpectu ordinis Politici ſe offerunt domeſticæ civilesque contentiones & diſſenſiones, unde factiones, ſediones, ac bella civilia. Nec alia interitus Imperii Græcorum olim cauſa extitit, quàm diſcordia, *teſte Laonico Chalcocondylâ de reb. Turc. l. 1.* Omne regnum, inquit Chriſtus, in ſeipſum diviſum, deſolabitur. *Luc. 11. v. 17.* itemq; *Saluſtius:* Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur.

60. 3. Superbia, cupiditas regnandi, & divitiarum. Omnium malorum cauſa cupiditas Imperii & ambitio. *Thucyd. in*

cyd. in deſcript. ſedit. Corcyreæ. Exempla hiſtorica ſuppeditat *Camerar. in Medit. cent. 2. c. 46. à pr.*

61. 4. Scortationes & confuſiones libidinum. Ob has Regna & gentes exciſæ diſſipatæq; leguntur in hiſtoriis, tàm ſacris quàm profanis. *Gen. 6. & 19. Num. 25. Judic. 20.*

62. 5. Voluptates, luxus, ebrietas, ſaturitas, & abundantia. Avaritiâ & luxuriâ, inquit *Liv. l. 34.* omnia magna imperia evertuntur, & inter cauſas everſæ Sodomæ *ab Ezech. cap. 16. verſ. 49.* narrantur ſuperbia, ſaturitas panis & abundantia, & otium ipſius & filiarum ejus. Ob ebrietatem captivum ductum eſſe populum ſuum, teſtatur Jehova *apud Eſa. 5. v. 13.* Profana exempla & teſtimonia refert *Camerar. cent. 2. c. 30.*

63. 6. Excuſſio omnis reverentiæ, Magiſtratus, & legum, quam ſequuntur inobedientia & contumacia. Ita cùm apud Carthaginenſes in media proſperitate nec legibus, nec virtuti locus eſſet ullus: certiſſima interitus fuêre indicia: ut neceſſe fuerit paulò pòſt ab altiſſimo honorum gradu præcipites deturbari, ac Romanis inſervire.

64. 7. Nimia dignitas, infinita aut longa poteſtas uni vel alteri contra plures conceſſa. Hinc diligentem cautionem adhibendam eſſe, ne Magiſtratus nimiâ potentiâ armetur, & uni tanta concedatur poteſtas, quò conſuetas Reip. actiones ſiſtere aut impedire poſſit, monet *Machiavell. leg. 1. diſcurſ. c. 50. & Ariſt. l. 5. Pol. c. 8.* communem cujusvis omninò Reipub. ſalutem eſſe docet, nemini immodicam & immoderatam potentiam permittere. Idq; inter arcana Reip. eſſe dicit *Kirchner. in Repub. diſput. 8. auct. 4.* Ipſe quoque Auguſtus hoc præceptum reliquit Reipub. ne uni alicui totam Rempub. crederet, ne fortaſsè dominatum affectaret, vel ſi quid contra ſpem graviùs paſſus fuiſſet, ſecum unà perderet Rempub. *Dio lib. 36.* ſanè cui plus licet, quàm par eſt, plus vult, quàm licet. *Macrob. 2. Saturn. 7.* Et quot quæſo Imperatores Romani (ut omittam jam exempla, quæ aliorum Regnorum hiſtoriæ ſuggerunt) per nimiam potentiam Ducum exercitus Imperio fuêre privati, vel in eo moleſtati? En Sejanum: Hic per Trajanuum Imp. in ſummum dignitatis faſti-

gium evectus, & nimiâ potentiâ armatus, factionibus Imperium tentavit invadere. *Tacit. l. 4. annal.* Quis neſcit Perennem, qui inſidias ſtruxit Commodo? *Herodian. in vit. Com.* cui ignotus Ælianus, qui Nervæ fuit inſidiatus? *Vict. in Nerv.* cui Caſſius, qui Antonino? *Capitolin. & Dio in Com.* Quis non cognovit Macrinum Caracallam, Maximinum Alexandrum, *Lamprid. in Alex.* Philippum Gordianum, *Capitolin. in Gord. Jun.* quorum opibus ac potentiâ creverant, è medio tuliſſe? Unde rectè *Arniſæ. l. 2. doctr. Pol. c. 5. fol. 359.* cavendum monet, ne cum ſummis Magiſtratibus poteſtas armorum jungatur. Qui enim arma in manu habent, eorum arbitrii ait *Ariſt. l. 7. Polit. c. 9.* eſſe, ut maneat, vel non maneat Reſpub.

65. Ad minuendam Magiſtratus poteſtatem in promptu ſunt remedia. 1. Si potentiæ unius vel plurium opponatur alius Magiſtratus, qui horum acta impediendi facultatem habeat. *Arniſæ. d. l.* Quod etiam fuit conſilium *Tullii 3. de leg.* ut Magiſtratui potenti æquè potens opponatur, ut hâc ratione clavus clavo trudatur. Non enim tantùm minuitur potentia inter plures diviſa, ſed etiam mutuò, qui eam participant, ſe impedire poſſunt. Sic Lacedæmonii Regibus Ephoros oppoſuerunt. *Thol. l. 22. c. 10. nu. 7.* Præfecto Ægypti ab Auguſto adjunctus eſt Juridicus Alexandriæ, tanquam ſpeculator, qui in conſilia ejus inquireret. *Weſenb. in Paratit. de offic. jurid. Alex.*

66. Secundum remedium conſiſtit in eo, ſi magnis Imperiis breve ſpatium concedatur, nec diu quis Magiſtratum gerat. *Arniſæ. d. l. Jun. part. 1. quæſt. Pol. ult. Bod. l. 4. de Repub. c. 4.* monentes, ne Monarcha majores juriſdictiones & poteſtates, provinciarumq; præfecturas perpetuas eſſe patiatur, & *Ariſtot. l. 5. Pol.* tyrannides ortas fuiſſe docet ex Magiſtratibus, quod diuturni fuerint.

67. Tertium remedium poſt *Ariſt. l. 5. Pol. c. 11. Arniſæ. d. l.* dicit eſſe, ſi poteſtas inter plures dividatur, quò alius alium cuſtodiat & obſervet. Quod primo non multùm abſimile videtur. Et hæc ad præſervativam contra nimiam potentiam faciunt.

68. Nunc

68. Nunc cura eſt adhibenda de ſuppreſſione potentiorum, & malo amputando, ſi radices egerit. Quæ verò remedia, quæ uſtiones & ſectiones uſurpandæ, non liquet.

69. Sunt, qui conſulunt, ut opibus, potentiâ, & gratiâ maximè pollentes, aliò ablegentur, quod latius deducit *Clapmar. lib. 2. de arcan. Rerumpub. c. 11.* & ſubjicit: ablegationem iſtam ſub ſpecie honoris fieri debere. Quod etiam alii inculcant, ſpecie legationis potentiam formidabilem ablegandam eſſe. *Beſold. Claſſ. 2. diſp. Pol. 9. th. 61.*

70. Sic apud Athenienſes fuit oſtraciſmus, *Ariſt. l. 3. Pol. c. 9.* decennalis ſcilicet nimis eminentium, excellentium, & potentium virorum in exilium miſſio & relegatio: cui à calculis ſive teſtis, quæ Græcis ὄστρακα, quibus ſuffragia hujus judicii fiebant, & exulum nomina inſculpta erant, id nominis impoſitum. *Plut. in Alcibiad. in Nicia & Ariſt.* ubi hanc relegationem vocat gravioris poteſtatis moderationem & pœnam. Sic Themiſtoclem è civitate ejecerunt, ejusq; dignitatem ac nimias opes depreſſerunt. Sic Ariſtidem, qui animi æquitate omnes Athenienſes vicit. *Plut. in vit. Themiſt. & Ariſtid.*

71. Ejuſdem morbi curandi modus apud Syracuſios erat Petaliſmus, à foliis, quæ ſuffragiis adhibebantur, dictus. *Diodor. Sicul. lib. 11.*

72. Oſtraciſmi illius naturam ſapere ſcribit *Beſold. claſſ. 1. diſp. 7. th. 23.* quòd nobiles (cùm oligarchiam affectarent) ex Helvetiis, è quibuſdam Imperialibus civitatibus partim ſponte, partim vi coacti ſeceſſerint.

73. An verò Oſtraciſmus per omnia Reipub. ſit utilis, diſputant *Ariſtot. l. 3. Pol. c. 9. & Caſus in Sphær. civit.* ſuper illum locum. *Danæ. l. 2. Pol. Chriſt. c. 2. fol. 84. & 85.* Hæc de cauſis internis converſionum Rerumpub.

74. Externæ cauſæ ſunt reſpectu ordinis militaris, & ab hoſtibus proveniunt, vel vi majore. Sic Babylon, Hieroſolyma, Corinthus, Tyrus, aliæq; urbes manu hoſtili penitus deletæ ſunt.

75. Vi majore: ut quando peſte, fame, terræmotibus, terræ hiatibus, incendiis, fulminibus, diluviisq; Reipublicæ perdun-

perduntur. Sic Phlegiarum gens fulminibus & terræmotibus deleta. *Pauſan. in Bœot.* Sodoma & Gomorrha igne. *Geneſ. 19.*

76. Si quæ cauſæ præter enumeratas ſunt aliæ, ad haſce à nobis propoſitas commodè referri poterunt.

Auctaria.

I.

An ſolitaria vita approbanda? Neg.

II.

Improbanda inſtitutio adoleſcentiæ Moſcoviticæ, quæ in Scholis tantùm legere & ſcribere literas docetur, reliquis artium & diſciplinarum omnium rudimentis exploſis: Academiis & Collegiis nullis exiſtentibus: tùm ut hereſeon occaſiones omninò præcidantur, tùm, ne Duce ipſo doctior & ſapientior quiſquam videatur. Cujus voluntatem Dei eſſe putant ſubditi: & ob id clavigerum & cubicularium executoremq; voluntatis divinæ eum credunt eſſe. Alex. Guagninus tom. 2. rer. Polonic. c. 5.

III.

An converſiones & interitus Rerumpublicarum quodammodò proſpici ac præſciri poſſint? Affirm.

Disp. III.

DISPUTATIO III.

De AMPLIFICATIONE RERUMPUBL. PER FOEDERA.

Publicè Reſpondente

BARTHOLOMÆO Marienburger/ Elbingenſe Boruſſo.

THESIS I.

Retulimus in præcedente diſput. ſecunda modos amplificationis populi vel Reipub. tàm naturalis quàm induſtrialis. Cui modo poſteriori adjicimus jam illum, qui eſt per fœdera.

2. Ut autem circumſpectè & cautè feriantur, Reſpublica augmentum potiùs, quàm detrimentum & incommodum ſentiat, decem membra hîc proponemus. 1. quid ſit fœdus. 2. quæ fœderum genera. 3. an ineunda, & omni jure approbanda ſint. 4. qui contrahere poſſint. 5. cum quibus contrahenda. 6. quæ cautelæ obſervandæ. 7. quæ conditiones. 8. quis modus. 9. quæ ſolennitates. 10. quæ ſolutio debeat eſſe.

3. Ad primum membrum, ſeu definitionem quod attinet, fœdus à variis variè definitur, ut patet *ex Waremundo de Erenberg. in meditam. pro fœder. lib. 2. c. 1. n. 15.* Ubi in medium allatas refutat.

4. *Joannes Bodinus lib. 5. de Repub. c. 6. circa pr.* definit publicam populorũ Principumvè inter ipſos conventionem in perpetuum conceptam. Quæ definitio eſt anguſtior ſuo definito, adeoq; naturæ ipſius rei non reſpondet. Non enim omnia fœdera ſunt perpetua, ſed & quædam temporaria, ut paulò pòſt dicemus.

5. Magis probatur nobis illa, quam multis verbis præſcribit *Waremund. d. c. 1. n. 14.* Fœdus eſt Principum duorum vel plurium, aut populorum vel civitatum liberarum pactio publica & conventio indefinitè, vel ad certum tempus, juſtè, legitimè & neceſſariò ad repellendam vim, ad rem communem vindicandam, vel injuriam à communi hoſte illatam, vel ad defendendam religionem ac cultum Dei, vel libertatem, & Rempublicam conſervandam, vel mutuam amicitiã retinendam, ac mutuis auxiliis ad hoſtem perſequendum initio vel tractu temporis exiſtentem inita, jure divino, gentium, & civili introducta, ac hodiè plerunq; jurisjurandi religione, & datis obſidibus ceu fidejuſſoribus, & ſcripturâ interveniente approbata.

6. Brevius ita tradit *Job. Hockenhaff. apud Hænon. diſp. Pol. ult. th. 2.* Fœdus eſt pactio duarum vel plurium Rerump. de re quapiam ſibi mutuò præſtanda.

7. Fœdus, quod & Fidus ab Ennio dictum fuiſſe, teſtatur *Varro*, à fide denominationem habet, & inde Feciales, qui publicæ fidei inter populos præerant, ut fœdere fides pacis conſtitueretur, deducit *idem Varro in lib. de Ling. Lat. & lib. 11. de vita populi Romani*, ut refert *Bodin. d. l.*

8. Quod verò *Bodin.* jus fœderum, pactionum, & conventionum publicarum, communi nomine Feciale appellat, improbat *Joachim. Cluten. in faſcic. paradox. th. 19. ad lit. b.* quia jus feciale non ipſum jus conventionum publicarum eſt, ſed & munus & poteſtas ipſorum Fecialium.

9. Diviſiones & genera fœderum ratione conditionum, ſub quibus illa contrahuntur, multiplicia conſtituuntur.

10. Summatim alia licita & æqua ponuntur à choro Politicorum & Juriſconſultorum; alia illicita, vel non æqua.

11. Ex

11. Ex fine autem, ad quem fiunt, talia dijudicantur. Nam ſi reſpiciunt publicam Regni ſalutem, patriæ, libertatis, ſubditorumque conſervationem, defenſionem licitam &c. judicantur licita. *Mynſing. cent. 6. obſ. 2.*

12. A contrario ergò fœdera ad illicitam defenſionem vel offenſionem inita, illicita reputantur. *Mynſ. d. obſ. 2. & prædicta conſtitutio Aureæ Bullæ à pr.* conſpirationibus & conventiculis, ſeu colligationibus illicitis in civitatibus & extra, vel inter civitatem & civitatem, ceu deteſtandis & ſacris legibus reprobatis pœnas decernit.

13. Ex licitis diverſi diverſa ponunt genera. Proculus *in l. 7. ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* duo conſtituit genera: alterum par, amicitiæ causâ factum: alterum impar, cum pactio fit, ut is populus alterius populi poteſtatem comiter conſervaret. Hæc enim adjicitur, inquit, ut intelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur, alterum non eſſe liberum.

14. Hujus veſtigiis inſiſtit *P. Faber, 1. ſemeſtr. c. 7.* ubi fœdus ipſi eſt vel æquale vel inæquale.

15. Æquale cenſetur, cùm una Reſpub. ab altera confœderata exſpectat, quantum ſe ei præſtituram promiſit. Quale fœdus initur ferè inter Reſpub. bonis ac viribus æquales.

16. Rectè *Bodin. d. c. 6. n. 590.* Principum ac civitatum imperia ſtabiliora eſſe tradit, & ab injuria firmiorum tutiora, cùm ſocietates ac fœdera ſic contrahuntur, ut æquabilis quædam *ex* omnibus potentia exiſtat.

17. Eſtque hoc fœdus vel in eadem re, vel in ſimili; ut cùm una Reſpublica defenſionem, altera pecuniam, & commeatuum ſubminiſtrationem æquivalentem promittit.

18. Æquo item fœdere amicitia & ſocietas contrahitur, quando una pars confœderatorum ab altera auxiliares copias urgente populo accipit. Sic Reges Gallorum cum Helvetiis in ſocietatem æquis fœderibus venerunt: eâ lege tamẽ, ut Reges arbitrio ſuo exercitum Helvetiorum ad Regni ſui tutelam ſcriberent: ac viciſſim Helvetiis adverſus hoſtiles incurſiones opem ferrent. Et quoniam ad Regni illius tutelam frequentes exercitus ab Helvetiis acciri neceſſe erat, ne

hoſtes Helvetios à Gallorum ſocietate divellerent, Reges Galliæ penſionem mille aureorum in ſingulas civitates ſpoponderunt. *Bod. n. 582.*

19. Fœdus inæquale dicitur, cùm non tantum, quantum ab una parte promiſſum eſt, ab altera exſpectatur. Ac talia fœdera ineuntur plerunq; inter Reſpub. bonis & viribus admodum inæquales.

20. In fœdere impari aliquid ſubjectionis & deditionis deprehendi, tradit *Waremund. lib. 1. de fœder. c. 4. num. 3.* Quamvis enim populus vel civitas in eo fœdere non renunciet libertati, & ſocii ac confœderati tales Romanorum ſervi non fiant, ex auctoritate Valerii Maximi, Plutarchi, & Ciceronis: tamen ſi fuerint minores confœderatis, *Machiavello lib. 3. Pol. c. 18.* ſubſcribit, ſub amicitiæ dulciſſimæ nomine tales facilè opprimi, & in ſervientium ſpeciem redigi: ſicut Auguſtus urbium quaſdam confœderatas ad exitium licentiâ præcipites libertate privavit. *Sueton. in Auguſto. c. 47. & Tiber. cap. 37.*

21. Hujuſmodi fœdus inter Patronos ſeu Defenſores, aut Protectores, qui germanicè Schutz oder Schirmherren dicuntur, & eorum clientes, agnoſcunt Politici, *Althuſ. in Pol. c. 7. fol. 75. edit. prior. Keck. lib. 1. ſyſtem. Pol. c. 24. fol. 591. in fin.* talesq; Patronos Advocatos dictos vult *Dn. Beſold. claſſ. 2. diſp. Pol. 6. th. 21.* non ab Advocando, ſed à Germanico Vogt.

22. Vocatur aliàs fœdus clientelare, eſtq; omnium periculoſiſſimum, niſi benè accuratèque clientum libertati caveatur: quoniam ſæpiſſimè fit, ut Patroni in dominos, vel etiam in tyrannos, clientes in ſubditos, ſæpiùs etiam in ſervos evadant. *Bod. d. c. 6. n. 584.*

23. Multò verò periculoſius, ſi qui alterius clientelam ſubeant ſine juſtiſſima cauſa, cùm præcipua ſit bellorum ferè omnium materia, ex qua civitatum & imperiorum converſiones, ac ſæpiſſimè everſiones ſequuntur: cùm ſubditi à ſuorum Principû fide ac obedientia, ut alienis imperiis pareant, diſtrahuntur: qui etiamſi nullius imperio teneantur, ſeipſos tamen ſuaq; omnia potentiorum arbitrio ſubjungere videntur, ut eoſdem, quos illi, hoſtes habeant æquè ac pro ſeipſis

C 4 propu-

propugnare, & eadem, quæ illi, pericula ac detrimenta ſubire: victoriarum tamen utilitates nullas omninò adipiſci.

24. Cautè itaque protectionis capitula componenda, ne ex illis occaſio ſubjectionis potius, quàm protectionis beneficium oriatur. *Tholoſan. lib. 11. de Repub. c. 11. n. 6.*

25. Ejuſmodi cautiones clientelares præſcribit *Bodin. n. 584. & ſeq.* quarum prima eſt, ut æquiſſimis conditionibus uterque teneatur. Deinde, ut patrocinii tabulæ, quas protectionis literas vulgò vocant, clientibus à patrono dentur: quibus teſtatum ſit, Majeſtatis jura ſalva & integra clientib. futura. 3. Ut breviorum temporum intervallo finiantur. Ut ſi clientibus graviora videantur, mutari: ſi honeſta, continuari poſſint: idque potiſſimùm in popularibus & optimatum imperiis, quæ quodammodo ſempiterna ſunt. Quamobrem Genuates cum Bernatibus fiduciâ clientelari contracta, Anno 1528. patrocinium annis triginta definiviſſe refert.

26. Omnium autem cautionum maximam eſſe ait, ne Patroni clientum arces, vel oppida præſidio militari teneant. Quam obſervarunt Scoti, cum in Anglorum patrocinium venirent, Anno 1559. Prudenter enim ab iis proviſum eſt, ut & obſides Scotis darentur, quos renovare ſexto quoque menſe, nec arcem ullam Anglis in Scotia habere liceret.

27. Hodiè multis in locis clientes à ſubditorum conditione parùm differre, refert *Wæremundus d. c. 4. nu. 15.* & clientes, non ſecus, ac ſubditos & vaſallos, *fideles* nominari, unſere liebe Getrewen/ & ita in curia, ſive aula Sax. obſervari. Quorundam etiam Monaſteriorum Advocatis, præter œconomiam, & obventionum rationes, juriſdictionem criminalem, quandoque etiam civilem competere teſtatur *Beſold. th. 24.*

28. Interim tamen differentia ſubjectionis & clientelæ magnum in controverſiis ſubjectionum momentum adfert, ſicut in graviſſima quadam cauſa ſtatus obſervatum fuiſſe, ſcribit *Geil. in tract. de Arreſt. c. 7. nu. 13.*

28. Nam jus patronatus, aut protectionis, vel Advocatiæ, nullam patrono, ſeu protectori, vel Advocato in clientes ſuos per ſe tribuit juriſdictionem: Schutz vnd Schirm gibt

keine Obrigkeit / & ideò clientes Schirmsverwanten / non efficiuntur ſubditi, licet ſe alterius protectioni ſubmittant. *Geil. 2. obſ. 54. n. 1. & per tot. Waremund. d. n. 15. Tholozan. de Repub. lib. 11. c. 11. n. 6. Thom. Michaël. de juriſd. concluſ. 55.*

30. Patronus verò non ſuis, ſed clientis ſumptibus, & inſuper certâ annuâ penſione ſolutâ, clientes debet defendere. *Geil. d. obſ. 54. nu. 2. Waremund. d. c. 4. n. 12. Schurff. conſil. 23. cent. 3.*

31. Inæqualis fœderis genus & illud eſt, quod inter Principem, & ejus tributarios initur, eos ſcilicet, qui à potentiorib. victi pacem acceperunt, hâc tamen conditione, ut jura Majeſtatis retineant, victoris verò majeſtatem comiter obſervent: eique, ut libertate & pace fruantur, tributum annuum ſolvant. *Bod. d c. 6. n. 582. & lib. 1. c. 9. n. 142. & ſeq.*

32. *Idem Bodin. c. 6. n. 579.* tria conſtituit fœderum genera. Aut enim, inquit, cum amicis, aut cum hoſtibus fœdus eſt, aut cum iis, qui nec hoſtes ſunt, nec amici.

33. Cum hoſtibus inducias vocat diuturnas, aut pacem perpetuam, aut amicitiam. In eundem modum fœderibus temporariis *cum Waremundo de Erenberg. lib. 1. de fœd. c. 3. n. 29.* inducias annumerat *Hænon. th. 7. lit. a.* verùm rectiùs putat *Dn. Beſold. d. diſp. 6. th. 3.* huc non pertinere inducias vel pacificationes: quæ fine, totoque genere à fœderibus differunt: cum in fœderibus una pars alteri præſtet, qnod jure gentiũ ſine pactione non tenetur præſtare: induciæ verò & pacificationes conſiſtant in ſimplicibus juris gentium terminis, ne alter alterum offendat.

34. Tale fœdus cum hoſtibus Bodin. vocat etiam amicitiam. Verùm aliud eſt fœdus propriè ita dictum, aliud amicitia: niſi abuſivè ita dicatur. Sicut aliud etiam eſt fœdus, ein Bund vnd Bundseinigung / aliud ſocietas, Geſellſchafft / *poſt Meichßner. Wehner. de verb. & rer. ſignif. idem ibid.*

35. Metellus *apud Liv. decad. 4. lib. 4.* itidem tria facit genera fœderum: unum dedititium, cum bello victis dicuntur leges. Ubi enim omnia ei, qui armis plus poteſt, debita ſunt, quæ ex iis habere victor, quibus mulctari eos velit, ipſius jus atque arbitrium eſt. Alterum, cùm bello pares

æquo

æquo fœdere in amicitiam veniunt: tunc enim repeti reddiq; per conventionem res: & ſi quarum bello turbata poſſeſſio ſit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriuſque commodo componi ſolent. Captivi quoq; redduntur, ut reſcribit Pomponius *in l. 20. ſi captivus ff. de captiv. &c.* Tale inter Romulum & Tatium Sabinorum Regem contractum ſcribit *Dionyſ. Halicarnaſſæus lib. 2. antiq. Rom.* Tertium, cùm qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coëunt. Hi neque dicunt, neq; accipiunt leges. Id enim victoris victiq; eſt.

36. Sed nec hæc diviſio ſatis commoda eſt, & meritò *Waremundo lib. 1. de fœderib. c. 4. n. 5.* vitioſa videtur: & prius genus *miſerabile & flebile* appellari ſcribit: talesque dedititios non eſſe in fœdere, ſed in ditione: accedere propiùs ad captivos, & ſubjectos, quàm confœderatos: cùm plerique fiant ſubditi, & tributarii ac vectigales. *Joſua c. 16. & 17. Judic. c. 1. Maccab. lib. 1. c. 1. & 4.* idipſum docuit *Tholoz. in d. c. 11. nu. 5. Menoch. lib. 1. arbit. jud. quæſt. 100. n. 6. & 23.* nec non *Bodin. d. c. 6. n. 578. & ſeq. Althuſ. c. 7. Polit. circa fin.* dedititios propriè loquendo in fidem, non in fœdus venire judicant: & idcircò fœdus non niſi impropriè & generaliter dici.

37. Præterea fœdus eſt vel defenſionis, vel commerciorum, vel utriuſq; ſimul. *Keckerm. lib. 1. ſyſtem. Pol. c. 24.*

38. Fœdus defenſionis dicitur, quod contrahitur propter mutua auxilia præſtanda.

39. Fœdus commerciorum, quando ſanciuntur fœdera propter commercia, ut nempe confœderati habeant jus commerciorum ultrò citróque. Sic fœdus commerciorum eſt inter urbes Boruſſiæ, Torunium, Dantiſcum, &c.

40. Fœdus defenſionis & commerciorum ſimul eſt, quod præſtatur tùm ad præſtanda mutua auxlia, tùm etiam ad commercia liberè exercenda inter confœderatos. Tale eſt fœdus celebre civitatum Hanſaticarum, quod potentiſſimo Imperatori Carolo V. terribile extitiſſe, teſtis eſt ſciptor Hiſpanicus *Ludovicus ab Avila in Hiſtoria belli Germanici.*

41. Ratione temporis fœdera alia ſunt perpetua ſeu æterna, alia temporaria. *Bod. d. c. 6. n. 580.*

42. Per-

42. Perpetua tamdiu durant, quamdiu gentis & Reipublicæ nomen erit. *Kirchner. de Repub. diſp. 17. th. 1. ad lit. b.*

43. Ad hanc perpetui fœderis ſpeciem alii referunt illa jura hereditaria, ſeu confraternitatis, ſive pacta gentilitia, quæ non modò in arctiſſimam amicitiam & ſocietatem, ſed etiam in ſpem hereditariæ ſucceſſionis concepta. Jure enim fœderis, & illuſtri pacto mutuæ ſucceſsionis viri illuſtres inter ſe conveniunt, ut alterius ſtirpe extinctâ, ad alterum bona proveniant: quod pactum hereditatem conventionalem ſeu pactionalem, anomalam, item fraternitatem, germanicè Erbverbrüderung / Erbvereinigung vocant: talesq; paciſcentes fratres, & heredes conventionales, vel ratione pactionis, pactionales vocantur, Erbverbrüderte/Erbvereinigte. Quod non ſolùm Juriſconſulti, ſed etiam Politici ita tradunt *Schönborn. l. 2. Pol. c. 13. Althuſ. in Pol. c. 7. Waremundus de fæder. lib. 1. c. 4. n. 11.* poſt alios à ſe alleg.

44. Hinc ob reciprocum fœdus ad mutua invicem auxilia & copias militares tenentur. *Hippolyt. à Collib. in tract. de Princ. c. 3. Laudenſ. in tract. de confæd. Princ.* Et alterius Principis ſubditi alteri homagium & juramentum fidelitatis de futuro præſtant: quod tamen, vivente Domino naturali, nullam ſubjectionem inducit. *Althuſ. in Pol. d. c. 7. Schönborn. d. cap. 13.*

45. Ad vigorem autem iſtorum pactorum confirmatio ſuperioris requirenda eſt: non omittenda, ut nonnulli ſenſerunt & ſcripſerunt. Et ſic ritè facta fœdera iſta non tantùm ipſos contrahentes, ſed etiam ipſorum ſucceſſores obligant, cùm præſumantur ejuſdem eſſe voluntatis & affectus cum prædeceſſoribus. *Schonborn. d. l.*

46. Exempla hujuſmodi pactorum apud Hiſtoricos paſsim ſunt obvia. Tale viget inter Duces Saxoniæ & Landgravios Haſsiæ, initum Anno 1268. *Chytra. lib. 18. Sax. fol. 480.* cui anſam præbuit bellum novenne, quod Henricus illuſtris, Miſniæ Marchio geſsit cum Sophia, Ludovici Landgravii Haſsiæ & S. Eliſabethæ filia, deſponſata Duci Brabantino, *idem ibid. & Andr. Knich. de jur. Sax. nonprovoc. verb. Electorum. c. 2. nu. 61.*

47. Sic

47. Sic etiam Joannes Fridericus II. Joannes Wilhelmus, & Jannes Fridericus III. Duces Saxoniæ, cum Principibus Hennebergicis Anno 1554. pactum gentilitium de mutua ſucceſſione iniverunt; ut his deficientibus ad Duces Sax. perveniret Comitatus Hennebergicus: econtra hi in diſtrictu Coburgenſi ſuccederent. Conditio evenit in Principibus Hennebergicis, anno 1583. *Schonborn. lib. 2. Polit. c. 13.*

48. Jure familiari etiam utuntur Duces Bavariæ & Comites Palatini Rheni, tum in legitima bonorum ſuæ gentis ſucceſſione, tum etiam in Elect. Imper. munere, *Bod. d. n 13.*

49. Vi quoque hujus ſucceſſorii pacti & confœderationis Auſtriæ & Bohemiæ familiæ accretæ. *Choppin. de doman. lib. 30. Mutius lib. 8. rer. German. Bod. d. l.* Bohemiæ enim Regnum, Ludovici, Uladislai filii, morte, à Sclavica Regum Poloniæ ſtirpe, ad Auſtriacos translatum: & Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Philippi F. Maxim. nepos Rex Bohemiæ coronatus eſt, *Chytr. lib. 12. Sax fol. 303.*

50. Eadem confraternitas intercedit inter Bohemiæ & Ungariæ Regna, *Chytr. fol 305. Knich. de Jur. Sax. verb. Electorum c. 2 n 73. & 76.*

51. Ceterùm ſempiterna fœdera Hebræi appellant *fœdera ſalis*, ut videre eſt *Num. 18. v. 19.* quod ſint incorrupta & æterna. Nihil enim eorum, quæ concreta ſunt ex elementis, ſale incorruptius eſt: quo etiam ſenſu *ſtatuam ſalis* accipiendam docet *Bodin. d. l. 6. n. 615* non quæ ex ſale concreverit, *Geneſ 19.* ſed quæ ſempiterna ſit futura. Ubi ſubjicit: Ego tamen nihil in conſociandis Principibus ac populis perniciosius eſſe ſtatuo, quam ut perpetua [illegible]. Nam cui fœdus iniquum videtur, occaſione oblata fidem fallet propter perpetuam fœderis iniquitatem; Sin breviori temporis intervallo finiatur, etiamſi grave cuiquam ex ſociis videbitur, in eo tamen permanſurus eſt. Facile eſt autem tempore finitam ſocietatem emendare, aut novo fœdere antevertere ac præoccupare.

52. Verùm non immeritò Bodino repudium mittunt *Herman. Kirchner. diſp. 17. ad lit. b. Joachim. Cluten. in faſcic. paradox. th. 20. ad lit. a. Chriſtoph. Beſold. diſp. 6. th. 38* qui hanc

G

rem

tem ex circumſtantiis potiùs dijudicandam cenſet: maximè-que in popularibus & Optimatum Imperiis ſempiternas ſocietates æquiſſimis legibus coiri poſſe tradit.

53. Sanè multa hujusmodi fœdera paſſim à graviſſimis auctoribus celebrari & commendari in aperto eſt. Quid de prudentia [illegible] Romanorum, qui omnibus ſuis fœderibus æternitatem imponebant? *teſte Sabellico lib. 8. Ennead.* 2 Ubi hanc formulam apponit: Romanis atque omnibus latinis urbibus inter ſe pax eſto: donec cœlum terraq; eundem habebunt ſtatum. Quid de auctoritate Scripturæ ſacræ? in quâ Deus ipſe in ſempiternum contrahit fœdera. *Num. 25. v. 12. & 13.* ita loquitur: Ecce do ei pacem fœderis mei. Et erit tàm ipſi, quàm ſemini ejus pactum ſacerdotii ſempiternum.

54. Perpetuis tamen fœderibus opus eſt renovatione, ne temporis diuturnitate ac reticentiâ amicitiæ refrigeſcant. *Bod. d. nu. 615.*

55. Temporaria fœdera ad certum tempus, vel ad confœderati Principis exceſſum vigorem ſuum extendunt.

56. Sæpius tamen excipitur, ut alterutro Principe mortuo tres quatuorvè annos ſocietati cum ſucceſſore (a quo aliàsqui ratihabitio fœderis cum anteceſſore contracti exigi debet. *Bod. n. 584. fol 913. in fin. Hœnon. diſp. ult. th. 7. ad lit. e.*) locus ſit. *Bod. n. 580.* ſic quoties ea ſocietas, quæ Regibus Gallorum cum Helvetiis intercedit, diſertè caveri ſolet, ut in quintum annum à Principis obitu continuetur, *idem ibid. & p. 616. & lib. 6. c. 4. num. 713.*

57. Dicebatur *ad certum tempus* vigere fœdera temporaria. Non enim indefinitè in longum tempus, auff eine lange vnd geraume Zeit/ propter incertam longi temporis definitionem, ineunda fœdera. Quare conducibilius eſt brevi temporis intervallo, eoque certo, puta decennio vel viginti annorum conſtituto, fœdus concludere, cum pacto, ſi placuerit, de renovando. Si prolixiore tempore fœdus circumvallatum fuerit, vileſcit auctoritas & amicitia: & omnis ardor diligentiæ in conferenda pecunia remittitur, & planè extinguitur. *Cluten. d. l. Waremund. lib. 2. c. 1. n. 47. & 48.* Ubi admonet Principes viros, ne generalitati ſubſcribant, *& n. 51.* ait:

ait: Melius eſt certum tempus determinare, quàm ſe concertationibus Doctorum committere & ſubjicere. Doctores ipſi inter ſe non conſentiunt, quæ ſit locatio ad certum tempus ex *Pinell. & Zoarez.*

58. Denique *Waremund. l.1. de fœder. c.4. n.11. & 12. f. 338.* fœderibus aggregat ordines Equitum, Ritterorden / quos recenſet. Hos tamen impropriè confœderationum titulo venire, adſtruit *Beſold. d. diſp. 6. th. 19.* cùm ſubditi etiam eum acquirant honorem.

59. Ducimur jam ad membrum tertium: an fœdera ſint ineunda, & omni jure approbanda?

60. Utrum fœdera ferienda, & an è ſalute Reipub. vel minus ſint, ſæpè in deliberationibus agi ſolet, *ut apud Herod. l. 8. & Thucyd. lib. 1. & 6 de bell. Peloponneſ.* de qua quæſtione in utramque partem diſputat *Melch. Jun. part. 1. quæſt. Polit. 74.* Ubi concludit, quod 1. ad bellum feliciter gerendum fœdera & ſocietates ſint neceſſariæ. 2. Quod ſocietates & fœdera tum gloriam, tam potentiam noſtram augeant. 3. quod natura ipſa ſocietates & auxilia communia requirere videatur, quandoquidem ipſi homini duplices manus, ſocias aures, oculos geminos tribuerit, ut robuſtiùs perageretur officium, quod duorum ſocietate complendum fuit.

61. Jure naturali, & jure divino fœdera legitimè percuſſa probari rationibus & exemplis per diſcurſum quoque probat *Waremund. lib. 1. c. 2. n. 18. 19. 20. 21.*

62. De jure civili eadem eſſe conceſſa, apertè docet *l. 5. ff. de pact.*

63. Recte ergò *idem Waremund. d. c. 2. nu. 106. fol. 207. in fin.* improbat quod *Thomas Morus lib. 2. Utopiæ*, tanquam præclara in Repub. commendat, videlicet Utopiæ gentes, id eſt, prudentiores, fœdera cum nulla gente contrahere.

64. Sequitur membrum quartum, quod eſt de iis, qui ferire poſſint fœdera. Ubi ſcies, quod jus fœdera ſanciendi pro jure majeſtatis à Dd. habeatur. *Bornit. de jur. maj. c. 25. Beſ. d. diſp. 6. th. 8.* Ubi tradit, omnes Duces, jure vel uſu majeſtatem habentes, rite fœdera jungere, ex ſententia *Dd. in l. 7. ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* Et in talibus ſemper præſumi fœderis contrahendi juſtam cauſam: æquè ut in bello.

4. *Joannes Bodinus lib. 5. de Repub. c. 6. circa pr.* definit publicam populorũ Principumvè inter ipſos conventionem in perpetuum conceptam. Quæ definitio eſt anguſtior ſuo definito, adeoq; naturæ ipſius rei non reſpondet. Non enim omnia fœdera ſunt perpetua, ſed & quædam temporaria, ut paulò pòſt dicemus.

5. Magis probatur nobis illa, quam multis verbis præſcribit *Waremund. d. c. 1. n. 14.* Fœdus eſt Principum duorum vel plurium, aut populorum vel civitatum liberarum pactio publica & conventio indefinitè, vel ad certum tempus, juſtè, legitimè & neceſſariò ad repellendam vim, ad rem communem vindicandam, vel injuriam à communi hoſte illatam, vel ad defendendam religionem ac cultum Dei, vel libertatem, & Rempublicam conſervandam, vel mutuam amicitiã retinendam, ac mutuis auxiliis ad hoſtem perſequendum initio vel tractu temporis exiſtentem inita, jure divino, gentium, & civili introducta, ac hodiè plerunq; jurisjurandi religione, & datis obſidibus ceu fidejuſſoribus, & ſcripturâ intervenienti approbata.

6. Brevius ita tradit *Job. Hockenbaff. apud Hœnon. diſp. Pol. ult. th. 2.* Fœdus eſt pactio duarum vel plurium Rerump. de re quapiam ſibi mutuò præſtanda.

7. Fœdus, quod & Fidus ab Ennio dictum fuiſſe, teſtatur *Varro*, à fide denominationem habet, & inde Feciales, qui publicæ fidei inter populos præerant, ut fœdere fides pacis conſtitueretur, deducit *idem Varro in lib. de Ling. Lat. & lib. 11. de vita populi Romani*, ut refert *Bodin. d. l.*

8. Quod verò *Bodin.* jus fœderum, pactionum, & conventionum publicarum, communi nomine Feciale appellat, improbat *Joachim. Cluten. in faſcic. paradox. th. 19. ad lit. b.* quia jus feciale non ipſum jus conventionum publicarum eſt, ſed & munus & poteſtas ipſorum Fecialium.

9. Diviſiones & genera fœderum ratione conditionum, ſub quibus illa contrahuntur, multiplicia conſtituuntur.

10. Summatim alia licita & æqua ponuntur à choro Politicorum & Juriſconſultorum: alia illicita, vel non æqua.

11. Ex

11. Ex fine autem, ad quem fiunt, talia dijudicantur. Nam ſi reſpiciunt publicam Regni ſalutem, patriæ, libertatis, ſubditorumque conſervationem, defenſionem licitam &c. judicantur licita. *Mynſing. cent. 6. obſ. 2.*

12. A contrario ergò fœdera ad illicitam defenſionem vel offenſionem inita, illicita reputantur. *Mynſ. d. obſ. 2. & prædicta conſtitutio Aureæ Bullæ à pr.* conſpirationibus & conventiculis, ſeu colligationibus illicitis in civitatibus & extra, vel inter civitatem & civitatem, ceu deteſtandis & ſacris legibus reprobatis pœnas decernit.

13. Ex licitis diverſi diverſa ponunt genera. Proculus *in l. 7. ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* duo conſtituit genera: alterum par, amicitiæ causâ factum: alterum impar, cum pactio fit, ut is populus alterius populi poteſtatem comiter conſervaret. Hæc enim adjicitur, inquit, ut intelligatur, alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligatur, alterum non eſſe liberum.

14. Hujus veſtigiis inſiſtit *P. Faber. 1. ſemeſtr. c. 7.* ubi fœdus ipſi eſt vel æquale vel inæquale.

15. Æquale cenſetur, cùm una Reſpub. ab altera confœderata exſpectat, quantum ſe ei præſtituram promiſit. Quale fœdus initur ferè inter Reſpub. bonis ac viribus æquales.

16. Rectè *Bodin. d. c. 6. n. 590.* Principum ac civitatum imperia ſtabiliora eſſe tradit, & ab injuria firmiorum tutiora, cùm ſocietates ac fœdera ſic contrahuntur, ut æquabilis quædam ex omnibus potentia exiſtat.

17. Eſtque hoc fœdus vel in eadem re, vel in ſimili, ut cùm una Reſpublica defenſionem, altera pecuniam, & commeatuum ſubminiſtrationem æquivalentem promittit.

18. Æquo item fœdere amicitia & ſocietas contrahitur, quando una pars confœderatorum ab altera auxiliares copias urgente populo accipit. Sic Reges Gallorum cum Helvetiis in ſocietatem æquis fœderibus venerunt: eâ lege tamē, ut Reges arbitrio ſuo exercitum Helvetiorum ad Regni ſui tutelam ſcriberent: ac viciſſim Helvetiis adverſus hoſtiles incurſiones opem ferrent. Et quoniam ad Regni illius tutelam frequentes exercitus ab Helvetiis acciri neceſſe erat, ne

hoſtes Helvetios à Gallorum ſocietate divellerent, Reges Galliæ penſionem mille aureorum in ſingulas civitates ſpoponderunt. *Bod. n. 582.*

19. Fœdus inæquale dicitur, cùm non tantum, quantum ab una parte promiſſum eſt, ab altera exſpectatur. Ac talia fœdera ineuntur plerunq; inter Reſpub. bonis & viribus admodum inæquales.

20. In fœdere impari aliquid ſubjectionis & deditionis deprehendi, tradit *Waremund. lib. 1. de fœder. c. 4. num. 3.* Quamvis enim populus vel civitas in eo fœdere non renunciet libertati, & ſocii ac confœderati tales Romanorum ſervi non fiant, ex auctoritate Valerii Maximi, Plutarchi, & Ciceronis: tamen ſi fuerint minores confœderatis, *Machiavello lib. 3. Pol. c. 18.* ſubſcribit, ſub amicitiæ dulciſſimæ nomine tales facilè opprimi, & in ſervientium ſpeciem redigi: ſicut Auguſtus urbium quaſdam confœderatas ad exitium licentiâ præcipites libertate privavit. *Sueton. in Auguſto. c. 47. & Tiber. cap. 37.*

21. Hujuſmodi fœdus inter Patronos ſeu Defenſores, aut Protectores, qui germanicè Schutz oder Schirmherren dicuntur, & eorum clientes, agnoſcunt Politici, *Althuſ. in Pol. c. 7. fol. 75. edit. prior. Keck. lib. 1. ſyſtem. Pol. c. 24. fol. 391. in fin.* talesq; Patronos Advocatos dictos vult *Dn. Beſold. claſſ. 2. diſp. Pol. 6. th. 21.* non ab Advocando, ſed à Germanico Vogt.

22. Vocatur aliàs fœdus clientelare, eſtq; omnium periculoſiſſimum, niſi benè accuratèque clientum libertati caveatur: quoniam ſæpiſſimè fit, ut Patroni in dominos, vel etiam in tyrannos, clientes in ſubditos, ſæpiùs etiam in ſervos evadant. *Bod. d. c. 6. n. 584.*

23. Multò verò periculoſius, ſi qui alterius clientelam ſubeant ſine juſtiſſima cauſa, cùm præcipua ſit bellorum ferè omnium materia, ex qua civitatum & imperiorum converſiones, ac ſæpiſſimè everſiones ſequuntur: cùm ſubditi à ſuorum Principû fide ac obedientia, ut alienis imperiis pareant, diſtrahuntur: qui etiamſi nullius imperio teneantur, ſeipſos tamen ſuaq; omnia potentiorum arbitrio ſubjungere videntur, ut eoſdem, quos illi, hoſtes habeant æquè ac pro ſeipſis propu-

propugnare, & eadem, quæ illi, pericula ac detrimenta ſubire: victoriarum tamen utilitates nullas omninò adipiſci.

24. Cautè itaque protectionis capitula componenda, ne ex illis occaſio ſubjectionis potius, quàm protectionis beneficium oriatur. *Tholoſan. lib. 11. de Repub. c. 11. n. 6.*

25. Ejuſmodi cautiones clientelares præſcribit *Bodin. n. 584. & ſeq.* quarum prima eſt, ut æquiſſimis conditionibus uterque teneatur. Deinde, ut patrocinii tabulæ, quas protectionis literas vulgò vocant, clientibus à patrono dentur: quibus teſtatum ſit, Majeſtatis jura ſalva & integra clientib. futura. 3. Ut breviorum temporum intervallo finiantur. Ut ſi clientibus graviora videantur, mutari: ſi honeſta, continuari poſſint: idque potiſſimùm in popularibus & optimatum imperiis, quæ quodammodo ſempiterna ſunt. Quamobrem Genuates cum Bernatibus fiduciâ clientelari contracta, Anno 1528. patrocinium annis triginta definiviſſe refert.

26. Omnium autem cautionum maximam eſſe ait, ne Patroni clientum arces, vel oppida præſidio militari teneant. Quam obſervarunt Scoti, cum in Anglorum patrocinium venirent, Anno 1559. Prudenter enim ab iis proviſum eſt, ut & obſides Scotis darentur, quos renovare ſexto quoque menſe, nec arcem ullam Anglis in Scotia habere liceret.

27. Hodiè multis in locis clientes à ſubditorum conditione parùm differre, refert *Waremundus d. c. 4. nu. 15.* & clientes, non ſecus, ac ſubditos & vaſallos, *fideles* nominari, unſere liebe Getrewen/ & ita in curia, ſive aula Sax. obſervari. Quorundam etiam Monaſteriorum Advocatis, præter œconomiam, & obventionum rationes, juriſdictionem criminalem, quandoque etiam civilem competere teſtatur *Beſold. th. 24.*

28. Interim tamen differentia ſubjectionis & clientelæ magnum in controverſiis ſubjectionum momentum adfert, ſicut in graviſſima quadam cauſâ ſtatus obſervatum fuiſſe, ſcribit *Gail. in tract. de Arreſt. c. 7. nu. 13.*

28. Nam jus patronatus, aut protectionis, vel Advocatiæ, nullam patrono, ſeu protectori, vel Advocato in clientes ſuos per ſe tribuit juriſdictionem: Schutz vnd Schirm gibet

keine Obrigkeit / & ideò clientes Schirmsverwanten / non efficiuntur ſubditi, licet ſe alterius protectioni ſubmittant. *Geil. 2. obſ. 54. n. 1. & per tot. Waremund. d. n. 15. Tholozan. de Repub. lib. 11. c. 11. n. 6. Thom. Michael. de juriſd. concluſ. 55.*

30. Patronus verò non ſuis, ſed clientis ſumptibus, & inſuper certâ annuâ penſione ſolutâ, clientes debet defendere. *Geil. d. obſ. 54. nu. 2. Waremund. d. c. 4. n. 12. Schurff. conſil. 23. cent. 3.*

31. Inæqualis fœderis genus & illud eſt, quod inter Principem, & ejus tributarios initur, eos ſcilicet, qui à potentiorib. victi pacem acceperunt, hâc tamen conditione, ut jura Majeſtatis retineant, victoris verò majeſtatem comiter obſervent: eique, ut libertate & pace fruantur, tributum annuum ſolvant. *Bod. d. c. 6. n. 582. & lib. 1. c. 9. n. 142. & ſeq.*

32. *Idem Bodin. c. 6. n. 579.* tria conſtituit fœderum genera. Aut enim, inquit, cum amicis, aut cum hoſtibus fœdus eſt, aut cum iis, qui nec hoſtes ſunt, nec amici.

33. Cum hoſtibus inducias vocat diuturnas, aut pacem perpetuam, aut amicitiam. In eundem modum fœderibus temporariis *cum Waremundo de Erenberg. lib. 1. de fœd. c. 3. n. 29.* inducias annumerat *Hœnon. th. 7. lit. a.* verùm rectiùs putat *Dn. Beſold. d. diſp. 6. th. 3.* huc non pertinere inducias vel pacificationes: quæ fine, totoque genere à fœderibus differunt: cum in fœderibus una pars alteri præſtet, quod jure gentiũ ſine pactione non tenetur præſtare: induciæ verò & pacificationes conſiſtant in ſimplicibus juris gentium terminis, ne alter alterum offendat.

34. Tale fœdus cum hoſtibus Bodin. vocat etiam amicitiam. Verùm aliud eſt fœdus propriè ita dictum, aliud amicitia: niſi abuſivè ita dicatur. Sicut aliud etiam eſt fœdus, ein Bund vnd Bundseinigung / aliud ſocietas, Geſellſchafft / *poſt Meichſner. Webner. de verb. & rer. ſignif. idem ibid.*

35. Metellus *apud Liv. decad. 4. lib. 4.* itidem tria facit genera fœderum: unum dedititium, cum bello victis dicuntur leges. Ubi enim omnia ei, qui armis plus poteſt, debita ſunt, quæ ex iis habere victor, quibus mulctari eos velit, ipſius jus atque arbitrium eſt. Alterum, cùm bello pares

æquo

æquo fœdere in amicitiam veniunt: tunc enim repeti reddiq; per conventionem res: & ſi quarum bello turbata poſſeſſio ſit, eas aut ex formula juris antiqui, aut ex partis utriuſque commodo componi ſolent. Captivi quoq; redduntur, ut reſcribit Pomponius *in l. 20. ſi captivus ff. de captiv. &c.* Tale inter Romulum & Tatium Sabinorum Regem contractum ſcribit *Dionyſ. Halicarnaſſæus lib. 2. antiq. Rom.* Tertium, cùm qui hoſtes nunquam fuerint, ad amicitiam ſociali fœdere inter ſe jungendam coëunt. Hi neque dicunt, neq; accipiunt leges. Id enim victoris victiq; eſt.

36. Sed nec hæc diviſio ſatis commoda eſt, & meritò *Waremundo lib. 1. de fœderib. c. 4. n. 5.* vitioſa videtur: & prius genus *miſerabile & flebile* appellari ſcribit: talesque dedititios non eſſe in fœdere, ſed in ditione: accedere propiùs ad captivos, & ſubjectos, quàm confœderatos: cùm plerique fiant ſubditi, & tributarii ac vectigales. *Joſua c. 16. & 17. Judic. c. 1. Maccab. lib. 1. c. 1. & 4.* idipſum docuit *Tholoz. in d. c. 11. nu. 5. Menoch. lib. 1. arbit. jud. quæſt. 100. n. 6. & 23.* nec non *Bodin. d. c. 6. n. 578. & ſeq. Althuſ. c. 7. Polit. circa fin.* dedititios propriè loquendo in fidem, non in fœdus venire judicant: & idcircò fœdus non niſi impropriè & generaliter dici.

37. Præterea fœdus eſt vel defenſionis, vel commerciorum, vel utriuſq; ſimul. *Keckerm. lib. 1. ſyſtem. Pol. c. 54.*

38. Fœdus defenſionis dicitur, quod contrahitur propter mutua auxilia præſtanda.

39. Fœdus commerciorum, quando ſanciuntur fœdera propter commercia, ut nempe confœderati habeant jus commerciorum ultrò citróque. Sic fœdus commerciorum eſt inter urbes Boruſſiæ, Torunium, Dantiſcum, &c.

40. Fœdus defenſionis & commerciorum ſimul eſt, quod præſtatur tùm ad præſtanda mutua auxlia, tùm etiam ad commercia liberè exercenda inter confœderatos. Tale eſt fœdus celebre civitatum Hanſaticarum, quod potentiſſimo Imperatori Carolo V. terribile extitiſſe, teſtis eſt ſcriptor Hiſpanicus *Ludovicus ab Avila in Hiſtoria belli Germanici.*

41. Ratione temporis fœdera alia ſunt perpetua ſeu æterna, alia temporaria. *Bod. d. c. 6. n. 580.*

42. Per-

41. Perpetua tamdiu durant, quamdiu gentis & Reipublicæ nomen erit. *Kirchner. de Repub. diſp.17. th.1. ad lit. b.*

43. Ad hanc perpetui fœderis ſpeciem alii referunt illa jura hereditaria, ſeu confraternitatis, ſive pacta gentilitia, quæ non modò in arctiſſimam amicitiam & ſocietatem, ſed etiam in ſpem hereditariæ ſucceſſionis concepta. Jure enim fœderis, & illuſtri pacto mutuæ ſucceſsionis viri illuſtres inter ſe conveniunt, ut alterius ſtirpe extinctâ, ad alterum bona proveniant: quod pactum hereditatem conventionalem ſeu pactionalem, anomalam, item fraternitatem, germanicè Erbverbrüderung / Erbvereinigung vocant: talesq; paciſcentes fratres, & heredes conventionales, vel ratione pactionis, pactionales vocantur, Erbverbrüderte/Erbvereinigte. Quod non ſolùm Juriſconſulti, ſed etiam Politici ita tradunt *Schönborn. l. 2. Pol. c. 13. Althuſ. in Pol. c. 7. Waremundus de fœder. lib.1. c. 4. n. 11.* poſt alios à ſe alleg.

44. Hinc ob reciprocum fœdus ad mutua invicem auxilia & copias militares tenentur. *Hippolyt. à Collib. in tract. de Princ. c. 3. Laudenſ. in tract. de confœd. Princ.* Et alterius Principis ſubditi alteri homagium & juramentum fidelitatis de futuro præſtant: quod tamen, vivente Domino naturali, nullam ſubjectionem inducit. *Althuſ. in Pol. d. c. 7. Schönborn. d. cap. 13.*

45. Ad vigorem autem iſtorum pactorum confirmatio ſuperioris requirenda eſt: non omittenda, ut nonnulli ſenſerunt & ſcripſerunt. Et ſic ritè facta fœdera iſta non tantùm ipſos contrahentes, ſed etiam ipſorum ſucceſſores obligant, cùm præſumantur ejuſdem eſſe voluntatis & affectus cum prædeceſſoribus. *Schonborn. d. l.*

46. Exempla hujuſmodi pactorum apud Hiſtoricos paſsim ſunt obvia. Tale viget inter Duces Saxoniæ & Landgravios Haſsiæ, initum Anno 1268. *Chytræ. lib. 18. Sax. fol. 480.* cui anſam præbuit bellum novenne, quod Henricus illuſtris, Miſniæ Marchio geſsit cum Sophia, Ludovici Landgravii Haſsiæ & S. Eliſabethæ filia, deſponſata Duci Brabantino, *idem ibid. & Andr. Knichb. de jur. Sax. non provoc. verb. Electorum. c. 2. nu. 61.*

47. Sic

47. Sic etiam Joannes Fridericus II. Joannes Wilhelmus, & Jannes Fridericus III. Duces Saxoniæ, cum Principibus Hennebergicis Anno 1554. pactum gentilitium de mutua ſucceſſione iniverunt; ut his deficientibus ad Duces Sax. perveniret Comitatus Hennebergicus: econtrà hi in diſtrictu Coburgenſi ſuccederent. Conditio evenit in Principibus Hennebergicis, anno 1583. *Schonborn. lib. 2. Polit. c. 13.*

48. Jure familiari etiam utuntur Duces Bavariæ, & Comites Palatini Rheni, tùm in legitima bonorum ſuæ gentis ſucceſſione, tum etiam in Elect. Imper. munere, *Bod. d. n 13.*

49. Vi quoque hujus ſucceſſorii pacti & confœderationis Auſtriæ & Bohemiæ familiæ accretæ. *Choppin. de doman. lib. 30. Mutius lib. 8. rer. German. Bod. d. l.* Bohemiæ enim Regnum, Ludovici, Uladislai filii, morte, à Sclavica Regum Poloniæ ſtirpe, ad Auſtriacos translatum: & Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Philippi F. Maxim. nepos Rex Bohemiæ coronatus eſt, *Chytr. lib. 12. Sax fol. 303.*

50. Eadem confraternitas intercedit inter Bohemiæ & Ungariæ Reges. *Chytræ. fol 305. Knich. de Jur. Sax. verb. Electorum. c. 2 n 73. & 76.*

51. Cæterùm ſempiterna fœdera Hebræi appellant *fœdera ſalis*, ut videre eſt *Num. 18. v. 19.* quod ſint incorrupta & æterna. Nihil enim eorum, quæ concreta ſunt ex elementis, ſale incorruptius eſt: quo etiam ſenſu *ſtatuam ſalis* accipiendam docet *Bodin. d. c. 6. n. 615.* non quæ ex ſale concreverit, *Geneſ 19.* ſed quæ ſempiterna ſit futura. Ubi ſubjicit: Ego tamen nihil in contrahendis Principibus ac populis pernicioſius eſſe [illegible] quàm ut perpetua [illegible]. Nam cui fœdus iniquum videtur, occaſione oblata fidem fallet propter perpetuam fœderis iniquitatem: Sin breviori temporis intervallo finiatur, etiamſi grave cuiquam ex ſociis videbitur, in eo tamen permanſurus eſt. Facile eſt autem tempore finitam ſocietatem emendare, aut novo fœdere antevertere ac præoccupare.

52. Verùm non immeritò Bodino repudium mittunt *Herman. Kirchner. diſp. 17. ad lit. b. Joachim. Cluten. in faſcic. paradox. th. 20. ad lit. a. Chriſtoph. Beſold. diſp. 6. th. 38.* qui hanc

G rem

rem ex circumſtantiis potiùs dijudicandam cenſet: maximè que in popularibus & Optimatum Imperiis ſempiternas ſocietates æquiſſimis legibus coiri poſſe tradit.

53. Sanè multa hujuſmodi fœdera paſſim à graviſſimis auctoribus celebrari & commendari in aperto eſt. Quid de prudentia dicam Romanorum, qui omnibus ſuis fœderibus æternitatem imponebant? *teſte Sabellico lib. 8. Ennead. 2* Ubi hanc formulam apponit: Romanis atque omnibus latinis urbibus inter ſe pax eſto: donec cœlum terraq; eundem habebunt ſtatum. Quid de auctoritate Scripturæ ſacræ? in quâ DEUS ipſe in ſempiternum contrahit fœdera. *Num. 25. v. 12. & 13.* ita loquitur: Ecce do ei pacem fœderis mei. Et erit tàm ipſi, quàm ſemini ejus pactum ſacerdotii ſempiternum.

54. Perpetuis tamen fœderibus opus eſt renovatione, ne temporis diuturnitate ac reticentiâ amicitiæ refrigeſcant. *Bod. d. nu. 615.*

55. Temporaria fœdera ad certum tempus, vel ad confœderati Principis exceſſum vigorem ſuum extendunt.

56. Sæpius tamen excipitur, ut alterutro Principe mortuo tres quatuorvè annos ſocietati cum ſucceſſore (à quo alioqui ratihabitio fœderis cum anteceſſore contracti exigi debet. *Bod. n. 584. fol 913. in fin. Hænon. diſp. ult. th. 7. ad lit. e.*) locus ſit. *Bod. n. 580.* ſic quoties ea ſocietas, quæ Regibus Gallorum cum Helvetiis intercedit, diſertè caveri ſolet, ut in quintum annum à Principis obitu continuetur, *idem ibid. & p. 616. & lib. 6. c. 4. num. 713.*

57. Dicebatur *ad certum tempus* vigere fœdera temporaria. Non enim indefinitè in longum tempus, auff eine lange vnd geraume Zeit/ propter incertam longi temporis definitionem, ineunda fœdera. Quare conducibilius eſt brevi temporis intervallo, eoque certo, puta decennio vel viginti annorum conſtituto, fœdus concludere, cum pacto, ſi placuerit, de renovando. Si prolixiore tempore fœdus circumvallatum fuerit, vileſcit auctoritas & amicitia: & omnis ardor diligentiæ in conferenda pecunia remittitur, & planè extinguitur. *Cluten. d. l. Waremund. lib. 2. c. 1. n. 47. & 48.* Ubi admonet Principes viros, ne generalitati ſubſcribant, & *n. 51.* ait;

ait: Meliùs eſt certum tempus determinare, quàm ſe concertationibus Doctorum committere & ſubjicere. Doctores ipſi inter ſe non conſentiunt, quæ ſit locatio ad certum tempus *ex Pinell. & Zoarez.*

58. Denique *Waremund.l.1.de fœder.c.4.n.11.& 12.f.338.* fœderibus aggregat ordines Equitum, Ritterorden / quos recenſet. Hos tamen improprie confœderationum titulo venire, adſtruit *Beſold.d. diſp. 6. th.19.* cùm ſubditi etiam eum acquirant honorem.

59. Ducimur jam ad membrum tertium: an fœdera ſint ineunda, & omni jure approbanda?

60. Utrùm fœdera ferienda, & an è ſalute Reipub. vel minus ſint, ſæpè in deliberationibus agi ſolet, *ut apud Herod. l. 8. & Thucyd. lib.1. & 6 de bell. Peloponneſ.* de qua quæſtione in utramque partem diſputat *Melch. Jun. part. 1. quæſt. Polit. 24.* Ubi concludit, quod 1. ad bellum feliciter gerendum fœdera & ſocietates ſint neceſſariæ. 2. Quod ſocietates & fœdera tum gloriam, tum potentiam noſtram augeant. 3. quod natura ipſa ſocietates & auxilia communia requirere videatur, quandoquidem ipſi homini duplices manus, ſocias aures, oculos geminos tribuerit, ut robuſtius perageretur officium, quod duorum ſocietate complendum fuit.

61. Jure naturali, & jure divino fœdera legitimè percuſſa probari rationibus & exemplis per diſcurſum quoque probat *Waremund lib. 1. c. 2 n.18.19. 20 21.*

62. De jure civili eadem eſſe conceſſa, aperte docet *l.5. ff. de pact.*

63. Rectè ergò *idem Waremund.d. c. 2. nu.106. fol.267. in fin.* improbat quod *Thomas Morus lib.2. Utopiæ*, tanquam præclara in Repub. commendat, videlicet Utopiæ gentes, id eſt, prudentiores, fœdera cum nulla gente contrahere.

64. Sequitur membrum quartum, quod eſt de iis, qui ferire poſſint fœdera. Ubi ſcies, quod jus fœdera ſanciendi pro jure majeſtatis a Dd. habeatur. *Bornit. de jur. maj. c.25. Beſ. d. diſp.6. th.8.* Ubi tradit, omnes Duces, jure vel uſu majeſtatem habentes, ritè fœdera jungere, ex ſententia *Dd. in l.7 ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ.* Et in talibus ſemper præſumi fœderis contrahendi juſtam cauſam: æquè ut in bello.

 65. Prin-

65. Principibus tamen, & ordinibus Imperii Romano-Germanici, ex antiquiſſimo libertatis jure, nec non privilegio conceſſum eſt, ad publicam pacem conſervandam, libertatem tuendam, ſuamque legitimam defenſionem, vel inter ſe, vel cum exteris fœdus inire. *Aur. Bull. tit. 15.* von zuſammen verbindung. *ibi*: jedoch außgenommen die Gelübd vnd vnd Verbündnis/ ſo die Fürſten/ Städte vnd andere gemacht haben/ von gemeines Landfriedens/ wegen der Land vnd Leut/ die behalten wir ſonderlich/ vnd meynen/ die zu bleiben in gantzer Krafft/ als lang biß wir mit denſelben ein anders ordnen vñ ſchicken. *Receſſ. Imperii Wormat. de anno 1495.* §. auch ſollen wir. *Beſold. th. 9. Zacharias* Friedenreich *in Polit. c. 24.*

66. Quamvis verò confœderatio ad bonum finem inita, inprimis fundata in pace publica conſervanda, abſq; conſenſu Imperatoris poſſit fieri, *Menoch. lib. 1. conſil. 32. n 3.* tutiſſimum tamen eſt, ut ſemper expreſsè Imperator excipiatur. *Dn. Cluten. in faciſc. Paradox. th. 7.* Quod ipſum monet Friedenreich & alii, Principib. inferioribus vel Rebuſpublicis ſemper eſſe excipiendam majeſtatem Reipub. ſuperioris.

67. Indeque Imperio excepto in fœderibus, non excipi Imperatorem malè putare *Bodinum lib. 1. de Repub. c. 7.* ſcribit *Cluten. d. l.*

68. Ex dictis inferunt Doctores, Civitates Regalia & jura Imperii, ex privilegio, conſuetudine, & præſcriptione non habentes, fœdus inire non poſſe: nec illud ejus competere ſubditis.

69. De civitatibus mixti ſtatus, ut vocant, major eſt concertatio. Nam certâ lege & conventione ſuperiorem agnoſcunt, & extra pacta conventa ſua placidè fruuntur libertate *Geil. 2. obſ. 54. n. 10.* indeque iis talem facultatem ſanciendi fœdera pleriq; adſcribunt, exemplo ſcilicet civitatum Hanſaticarum, maritimarum, & aliarum Teutonicarum, quibus cohæret fœdus civitatum Wandalicarum, der Wenden Städte/ quæ adhuc durant, & numerantur 1. Lübeca. 2. Wiſmaria. 3. Roſtochium. 4. Stralefunta. 5. Gripeſwaldum. 6. Hamburgum. 7. Lunæburgum. *Crantz. lib. 1. Wandal. cap. 1. Chytra. libr. 23. Saxon.* circiter annum Chriſti 1270. in-

1170. inſtitutum, & confirmatum à Carolo IV. Imperatore. *Waremund. d. c. 2. n. 44.* (*qui n. 45.* notat errorem *Bodini l. 1. de Repub. c. 6.* exiſtimantis, circiter annum 1560. fœdus inter Wandalicas civitates contractum) in Receſſibus item Imperii paſſim nominatum & approbatum. *Receſſ. Spirenſ. de an. 1542.* §. Demnach. *verſ.* dergleichen auch die Hanne vnd Seeſtätte etc. *Receſſ. Aug. de an. 1548.* §. Vnd als erſtlich. *verſ.* daß mit den See- vnd Anſee Stätten gehandelt werden ſol. *Receſſ. Auguſt. de an. 1566.* §. Die Hayn- vnd Seeſtätt belangend. *Receſſ. Ratubon. de an. 1567.* §. Auff daß *verſ.* ſo ſtehen wir auch mit den Hayn- vnd Seeſtätten in tractation &c. *Receſſ. Ratubon. de ann. 1594.* §. Deßgleichen die freye Ritterſchafft. *verſ.* zuſampt den Hanſe- vnd Seeſtätten etc.

70. Hoc ergò fœdus Hanſaticum plurimis, ceu legitimum tuetur *Matthias Stephani lib. 2. de juriſd. p. 2. c. 4. num. 4. Bartholomæus Meſculus in diſſertatione de confraternitate ſive pactis ſuccſſorio Illuſtr. perſon. th. 17. Nicol. Betſius tr. de pact. famil. illuſtr. Hænon. diſp. ult. th. 3. ad lit. b. & in Apologia, ſeu* in der vereinigten Hanſeſtätte nothwendigen Verantwortung/ *de dato* Lübeck/ *24. April. ann. 1609.* probatur, quòd ad pacis publicæ conſervationem & executionem penitùs directum ſit.

71. È contrà autor quidam anonymus quorundam ſcriptorum, in quibus fœdus illud Anſaticum, ceu ligam prohibitam, factionem & conſpirationem impugnat, & ad commercia tantùm reſtringit, nec ad neceſſitatem tuitionis ſeu defenſionis, ipſarum imprimis urbium pertinere contendit. Verùm civitates Anſaticæ in dicta Apologia ſua multis argumentis docent, fœdus ſuum non ſolùm commerciorum, ſed etiam defenſionis, & ejuſmodi eſſe, quod omnibus juribus ſit conveniens. Sequitur *Hænon. d. l.* cùm omnia jura permittant & approbent colligationes, quæ fiunt ad aliquod bonum, puta ad defenſionem, quemadmodum multis probat *Mynſ. cent. 6. obſ. 2.*

72. Autori anonymo calculum ſuum addit *Andreas Knich. in velit. Apolog. & Waremund. de Erenberg. d. n. 44.* in hæc verba ſcribit: Quamvis initiò immenſa fuerit hujus fœderis utilitas, & ſanctio honeſtiſſima, contra Danos & Cimbricæ Cherſoneſis incolas & Succos initi, qui in Holſatiæ, Lunæ-

 burg.

burg. & Saxon. & regiones & civitates irruebant: tamen ſi penitùs examinaverimus hujus fœderis vel conventionis naturam, vix negare poterimus, quin ſapiat, quoad nonnullas civitates, ſpeciem conſpirationis: cùm multæ civitates eo comprehendantur aliorum Imperio ſubjectæ, quæ neque regalia à Cæſare Imperiovè habent, & ſuperiorem Magiſtratum præter Cęſarem agnoſcunt: quib. & alii Principes mandare poſſunt: quæ etiam nec in Comitiis, nec circularibus conventibus ſeſſionem ac votum habent, matriculâ ſunt comprehenſæ, nec contributionem Cæſari, ſed Principibus ſolvunt. Sed benè eſt, quod domeſticis inſidiis, & privato commodo faſcinati neſciant hâc potentiâ ingenti uti, cùm homines alant aliis Regibus Principibusq; addictos & obligatos, & concionatores ad quælibet vulgus incitantes Oſtendit hoc bellum Suecicum & Danicum, bellum Megapolitanum contra Roſtochienſes.

73. Huic aſſertioni reſpondet *Muſcul. in d. tr. de confrat. & Keck. in curſ. Philoſ. diſp. 33. q. 18. fol. 688.* periculoſum hoc valdè dictu ſcriptuq; eſſe aſſerit, & tale omninò, quod valdè optat ab iſto viro vel non ſcriptum, vel majoribus argumentis dediſſe evictum. Hanc igitur controverſiâ tanti momenti & præjudicii non faciemus noſtram, ſed in medio eam relinquemus.

74. In quinto membro videndum eſt: cum quibus fœdera percutienda ſint Non verò 1. Ratione cultus divini, cum manifeſtè impiis & infidelibus, ut Turcis, Saracenis &c. propter expreſſum Dei mandatum. Cave, inquit, *Exod. 23. v. 32. & c. 34. v. 12.* ne unquam cum habitatoribus terræ ipſius jungas amicitias, ne ſint offendiculum in medio tui. Non feries cum eis pactum *Deut. 7. v. 3.* Nec Judæorum ullum fuit cum Samaritanis comercium. *Job. 4. v. 9.* Et Paulus *2. Cor. 6 v. 16. & ſeq.* ita præcipit: nolite jugum ducere cum infidelibus. Quę enim participatio juſtitiæ cum iniquitate, aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?

75. Adde quòd reprehendantur à Prophetis Dei, qui cum impiis percuſſerant fœdera. Ita Aſa Rex Juda ob fœdus initum cũ Benhadado Rege Syriæ corripitur ab Hanani Propheta.

pheta. 2. *Paralip. 16. v. 7. & ſeqq.* & Joſaphat ob contractam amicitiam cum impio Achabo. 2. *Paralip.19.v. 2.* itemq; cum Ochozia 2 *Paralip 20.v.37.*

76. Impium ſiquidem in re impia juvare, eſt impietatis, & manifeſtæ in Deum diffidentiæ. Si hoc feceris, Deus ſinet te cadere coram hoſtibus tuis. *Keckerm. in curſ. Philoſ. diſp.33. q. 18. fol. 686.*

77. Talia quoq; fœdera occaſionem mutandæ religionis præbere poſſunt. *Richter Axiom. Polit. 277.*

78. Quoad diſſentientes in articulis quibuſdam fidei, in multis aliis autem conſentientes *Waremund. ab Erenberg. lib. 1. de fœder. cap. 2. n. 86 & ſeq.* Contra P. Coretum, Poſſevinum, Pamelium, Scipionem Ammiratum, & alios docet, non exacte conſenſum religionis in fœderibus exigendum: imò etiam cum Pontificiis fœdera contra Turcam non fugienda eſſe. Cujus ductum hodiè plurimi ſequuntur. Quam opinationem ſingulari cum cautione accipiendam eſſe ſcribit *Dn. Beſold. d. diſput. 6. theſ. 15.* cum fieri poſſit, ut in paucis articulis diſſidentium nimis arctæ conjunctiones haud periculo careant.

79. Ratione loci cum vicinis probanda fœdera, improbanda cum nimis remotis. Nam, ut habet Proverbium: Procul qui habitant amici, non amici. *Jun d. q 74.* Si enim loci opportunitas abſit, non facilè periculo auffulgebit auxilium, cùm remoti non ita cito ſe nobis conjungere poſſint, & vicinorum animi arctiùs etiam quaſi naturæ vinculo copulari videantur ad mutuum auxilium & defenſionem. *Keckerman. in curſ. Philoſoph. diſp. 33. q. 18. fol. 687.*

80. Ratione fortunæ & potentiæ, multi fœdera improbant cum miſeris & adflictis, aut valde periclitantibus, qui, ut loquitur *Lucan. lib. 8.*

> ———— *quærunt*
> *Cum qua gente cadant.*

Jun. d. q. 74. Althuſ. in Pol. c. 20. fol 275 edit. prior. Lipſ. l. 4. Pol. c. 9. Waremund d. c. 2. n 131 & ſeqq. ne ſcilicet Reſpublica cum illis periclitetur. Jubent felices colere, nec in caducum parietem inclinandum monent, juxta dictum Hadriani.

81. Po-

81. Potentiâ autem fines Imperii, opes, nummos, & opera: imò virtutes ipſius Principis viroſq; *cum Lipſio lib.1. de magnitudine Rom. Imperii c. 3. lib. 4. c. 11.* comprehendit *Waremund. nu. 133.*

82. Sæpiùs tamen fit, inquit *idem n. 135.* ut nos jungamus exiguæ potentiæ, ac ſummæ prudentiæ Principibus. Plus enim in confœderatis quàm opes, pecuniam, ac potentiam deſideramus. Animi enim dotes, fides, fortitudo, prudentia, magnanimitas ſæpè opes in Principibus ſuperant.

83. Sed & potens impotenti non ſine periculo jungitur. *Lipſ. d. c. 9.* unde periculoſa hæc ſocietas leonina dicitur à *Junio d. q. 74.* qualis plerunque eſt cum Regibus, aut aliis præpotentibus; eâ enim comodum omne ad unum aliquem tendit: reliqui ſocii ac fœderati interim fraudantur: damnum, non lucrum ſentiunt.

84. Sanè quod facilè occaſione & prætextu fœderis impotens à nimis potente opprimatur, & cùm ſuam ſuorumque incolumitatem anhelat, ad interitum ſui non ſine dolore potentiori viam recludat, nulla nullius ſeculi hiſtoria ignorat. Talis fuit Palæologorum cum Turca confœderatio, per quam Conſtantinopolis, quâ nihil habuit orbis poſt Romam majus, ſedes Imperii Orientalis, Chriſto periit & cœlo. Ita etiam Joanni Regi Ungariæ exitialis fuit cum Turca conjunctio, quâ Turcæ in Regnum allecti, id mirifice devaſtârunt.

85. Quare infeliciter ſuperiorum ambitur amicitia, quæ non niſi in æqualitate fundata eſt, *Keck. d. l. fol. 687. à pr.* Hâc de cauſa Argivi ſocietatem cum Lacedæmoniis iniituri, cum Regem ſuum non æquali cum Lacedæmoniorum loco eſſe viderent, ad Perſas defecerunt. *Herodot. lib 7.*

86. Non ſolum autem in fœderibus percutiendis habenda eſt ratio religionis, vicinitatis, & potentiæ, ſed etiam ſimilitudinis morum & humorum: quia diſſentientibus opinionibus & voluntatibus diverſa fiunt. *Thucyd. libr. 5.* Nec amicitia firma, aut tuta, ubi animorum exulat conjunctio. Suſpiciones ſæpe oriuntur, *idem ibid.* & refert *Jun. d. l.*

87. Conſequenter etiam periculoſa dubiaq; ſunt fœdera cum iis, qui in diverſa politiæ forma vivunt. quia diverſitas

ſtatus Imperii cum animorum plerunq, diſſenſione conjuncta eſt, & conſiliorum in agendo diverſitatem parit: quæ vel maxime fœderibus eſt inimica, utpote quæ diuturna eſſe non poteſt, niſi animi & opinionum conſenſu, & conſiliorum univocâ conſpiratione conglutinentur, *Keck.d.fol.686.*

88. Sed & anteacta vita perpendenda. *Jun. d. l.* Nimirum quales ſe ii erga alios ſocios & confœderatos geſſerint, qui inire fœdus nobiſcum cupiunt: cum levibus enim & inconſtantibus fœdera non tutò inſtitui poſſunt. *Thucyd.lib.1.*

89. Utrum conſultius ſit ſocietates & fœdera inire cum Regibus, Principibus, an Rebuſpublicis liberis, in utramq; partem differentem vide *Jun. d. q.74.*

90. Sexto loco, certæ cautelæ erunt obſervandæ. Nam verè *Bodin. lib.1.c.6.* nullâ re magis Principes ac populi periclitantur, quàm in pace cum hoſtib. ſancienda, & in feriendis fœderibus ac ſocietate ineunda. Unaquæq; enim res, quò majoris eſt utilitatis & amplitudinis, eò citius ad pericula pervehitur, ſuiſq; certis limitibus communienda eſt.

91. Quare a Principibus & Rebuſpublicis fœdera cautiſſimè ineunda, ne, dum promiſcuè fœderibus ſe implicant, eorum occaſione alienorum peccatorum, adeoque alienarum pœnarum participes fiant. *Althuſ. in Pol. c.26.fol.352. ed. prior.* ita in fœderibus plerunq; alienorum erratorum pœnas luendas eſſe Wolfgangus Palatin⁹ ab agnato Friderico Electore graviſſimè erat monitus, ut refert *David. Chytræ. in orat. de vit. Wolfg. Palatini.* Nec non *Strigel. 1 Reg.5.* Qui ſe, inquit, arctius fœderibus implicant; ſæpenumerò etiam rapiuntur ad negotia injuſta & pernicioſa. Quodque interdum ruina unius confœderati opprimat reliquam multitudinem, his verbis docet *Victorinus apud Richt. axiom. Polit.277.* Impliciti fœderibus ſequi coguntur alienos furores: quod adeò verum eſt, ut multi etiam ad propriam ruinā fœdera cum aliis contraxerint: quia ſemel datam fidem pręſtari omninò oportuit. Et ſicut in teſtudine, ſi una chorda diſcrepet, tota ilicò harmonia turbatur: ſic ſi unus confœderatorum premitur, alter quoq; idem continuò experitur.

92. Quamobrem optimum & firmiſſimum fœdus eſt, *Rectè agere*, ſecundùm præceptum Iſocratis, & oraculum prædicti Wolfgangi Palatini, de quo *Chytræ. loc. citat.* ſcribit: optimum & firmiſſimum fœdus hic Princeps exiſtimavit, juſta & neceſſaria modeſtè agere.

93. Quia autem fœderum pactiones valdè ambiguæ & periculoſæ ſunt, ſubditorum conſilium in iis faciendis regulariter admittendum eſſe, ſuadet *Waremundus de Erenberg. dict. capit. 2. num. 229.* cùm nullum firmius præſidium ſit Principibus ſubditorum benevolentiâ, *Liv. libr. 8. Senec. lib. 1. de clem.* Sanè nequit Princeps pacta ac fœdera in præjudicium vaſallorum contrahere. *Dd. in c. 1. §. prætereà, de prohibit. feud. alien. per Frideric. Waremund. d. l. Weſ conſil. 2.*

94. Ponunt & hanc cautelam Politici: loca ſilentio eſſe involvenda, in quibus fœdera panguntur invidioſa. Sic Carolus V. Imp. Schmalcaldiam civitatem, propter fœdus ibi factum, ſolo æquaſſet, niſi interceſſione Mauritii Electoris Saxonici fuiſſet placatus, *ex Spangenberg. in Chron. Hennenberg. l. 5. c. 53. Waremund. d. c. 2. n. 40.*

95. Omnium autem cautionum maxima putatur, ſi fœdera affinitate & propinquitate contractâ jungantur. *Bodin. d. c. 6. n. 508.*

96. Septimò, conditiones fœderum debent eſſe honeſtæ & æquæ, *Bodin. d. nu. 580. fol. 907.* non pugnantes cum pietate aut virtute aliqua politica, ſed potiùs ad harum præſidium facientes. *Hœnon. ib. 29.*

97. Cavendum ergo maximè, ut rectè monet *Waremund. d. c. 2. fol. 188.* ne utilitatis & privati commodi, vindicandæ injuriæ leviuſculæ illatæ gratiâ, & reſpectu occulti honoris vani, voluptatis ludicræ, ludi jociq; gratiâ, vel ſecuritatem in carnis mortalis brachio quærens quis contrahat fœdus. Niſi enim quis ad Dei gloriam, proximi dilectionem, patriæ libertatem, ſubditorum conſervationem reſpexerit, & ut majeſtas & religio ſalva ſit, is finem & effectum fœderis, ut non conſiderat, ſic neque cauſam & principium ejuſdem intelligit: & ob dictas rationes fœdera reprobata ſunt in Aſa Rege Judæ. Quis enim non ultrò concederet, fœdera diutur-

diuturna aut ſalutaria eſſe non poſſe, ſi fiduciâ virium & potentiæ propriæ & fœderum ſpe, non neceſſaria ſuſcipiantur, ſi diſpares ſunt confœderati, ſi non unum & ſolum publicum, ſed privata ſub prætextu publici quæſierint. *2 Paral. 16 & 19.*

98. Apage ergo confœderationes ad aliorum injuriam, offenſionem, & oppreſſionem libertatis, vel etiam religionis ſpectantes, tantumq; utilitatem abſque honeſtate habentes conjunctam, *Thucyd. lib. 1. in orat. Corinthiorum Jun. d. l.* Ubi & ipſe cauſæ bonitatem & æquitatem deſiderat.

99. Tale fœdus ſanguinolentum inter Pontificem, Hiſpanum, Sabaudum, & conjuratos in Francia Regiæ familiæ hoſtes contractum: mirabili Dei conſilio ſolutum divulſumq; eſſe tradit *Waremund. d. c. 2. n. 53.*

100. Nec ſolùm honeſtæ & æquæ confœderationes ut ſint neceſſe eſt, verùm etiam poſſibiles: ſcilicet ut pecuniarium & militum auxilia aliaq; neceſſaria præſtari poſſint.

101. Octavò: Modus ſanciendi fœdera debet eſſe clarus, perſpicuus, & apertus. Ambiguitatem n. verborum præcidere, & quoad ejus fieri poteſt, de pactis conventis amputare, utiliſſimum eſt, ne juſtorum aut injuſtorum ſpecie, perjurio latebra, decipiendiq; occaſio quæratur. *Bod d. c. 6. n. 594.* Tantæ ſiquidem ſunt hominum fraudes, tot in mentibus latebræ, tantiq; receſſus, ut fidei violandæ occaſio ex rebus quibusq; leviſſimis quæratur: quanquam perfidia deeſſe poteſt nemini perfidiæ latebras quærenti *n. 607.* Cujus rei exemplum nobis p[illegible]ent Thraces, qui poſt inducias 30. dierum cum Theſſalis, no[illegible] prædabantur facto excuſantes, q; non de nocte, verum de die pepigerint. Quo nomine meritò damnantur. *Strabo.* Idem judicium ferendum de Cleomene Lacedæmoniorum Rege, qui cùm & ipſe ſeptem dierum cum Argivis inducias feciſſet, tertiâ nocte, cùm Argivi ſecuri agerent, nihil p id tempus verentes, Cleomenes incautos adortus, magnum eorum numerum cæcidit atq; cœpit. Cum a. perfidiæ Argivi eum arguerent, ſeptem dierum ſe inducias dixit pepigiſſe: cæterùm de noctib. nullam prorſus feciſſe mentioné. *Baptiſtæ Fulgoſius lib. 6. de dict. & fact. memorabil. c. 2.* Alii non verba tantum, ſed & ſyllabas aucupantur, ut Ludov. XI Rex Francorum: qui, quòd Ludovicum Luxemburgum Magiſtrum

militum ad ſupplicium quæreret, amicorum in modum jactabat, ſe capitis tanti viri egere plurimùm: quæ ratio loquendi duo ſignificat, & capitalem pœnam, & conſilium, *Bodin. d. n. 607.* Alii deniq; ſententiam malitioſâ interpretatione corrumpunt, quorum exempla & facta refert *idem ibid.* Legatus quoque Romanorum malitioſè & ſophiſticè ſe geſſit cum Antiocho, qui cùm navium dimidium Romanis, & Regi conſtituiſſet dandum, eas omnes reipsâ dividi ac ſecari juſſit: id autem fecit, ut Rex navali præſidio funditùs deſtitueretur.

102. Deindè claris etiam verbis exprimi debet, utrùm cum Rege tantùm, an verò cum Rege populoq; fœdus contrahatur. Hoc etenim plurimùm intereſt. *Cabot. 2. diſput. 13.* Quorum verborum quanta vis eſſet, ſi non antea certè quidé intellectum eſt, cùm Edvardus IV. Rex Anglorum Regno exutus eſſet, ac Francorum opes fœdere pactas per Legatos imploraret: reſponſum eſt Legatis, cum Anglorum Rege Regnoq; contractum eſſe fœdus, nec adverſus novum Angliæ Regem Regnumvè ſalvis fœderib. bellum geri poſſe. Ea vis eſt horum verborum: *cum Rege populovè.* At cùm Rex Regi, & vir viro dat fidem, etiam Regno ſpoliatus auxilium jure petere poteſt. *Bod. ſæpè dicto loco n. 579.* Tutius tamen & melius eſſe judicat *lib. 6. c. 4. n. 713.* cum Principe, quàm cum populo res rationesq; contrahere, aut fœdus inire, eoque tutiùs, quo Principi cura dignitatis, quàm populo major eſt.

103. Hæc autem fœdera ut ſanctiora ſint, ſæpè in Senatu vel in curia majore, vel in Comitiis optimatum populivè promulgantur. *idem ibid.* Et ſic ad fœderis conſervationem conſultum, imò utile fuerit, ſtatis temporibus conventum agere, deliberationemq; ea de re inſtituere. *Hænon. diſput. ult. theſ. 26.*

104. Modus etiam requirit bonam, ſinceram, & integram fidem. Fides ſiquidem totius juſtitiæ, adeoque fœderum eſt fundamentum, *Cicer. l. 1. offic.* quam nulla utilitatis publicæ, nedum privati ratio violari patitur. Unde & infidelibus, hæreticis, & hoſtibus ſervanda. Etenim abrogatâ vel violatâ fide, omnis inter homines ſocietas tollitur: nullo

fœdere,

fœdere, nulli conditione pacis firmiter reparanda. Ipſemet Reipub. Princeps fiet omnium Præſul, ut loquitur *Bald. in l. Princeps. ff. de legib.*

105. Cùm itaque fœdera bonâ fide, hoc eſt, severè & ſeriò, ut vulgò exponunt, contrahi debeant: hinc in pacis maximè actionib. aut offenſiones acceptæ reticendæ, ut ſæpè fit, aut commemorandæ: atque omnium injuriarum oblivione pacta ſopiendæ, *Bod. n. 579. & Waremund. de Erenb. l. 1. de fœderib. c. 2. n. 201.* diligenter cavendum monet, ubi Principes fœdera ſint inituri, ſtatim initio, ſi quid rancoris lateat in cordibus, moderatis expoſtulationibus ejiciatur. Quomodo n. fœdus ſubſiſtet, ſi minutiſſima nubecula rancoris in corde hæret unius vel alterius partis, cùm conſtet ex amicitia & benevolentia mutuâ fœdera vires ac alimenta ſumere. Tali moderatâ expoſtulatione uſus eſt Abrahamus, fœdus percuſſur' cum Abimelecho, quem increpavit propter puteum aquæ, quem vi abſtulerant ſervi ejus, *& v. 26.* Abimelech modeſtè ſe excuſavit, quod neſciverit, quis illam rem fecerit.

106. Cùm ergò exprobratione aliquâ, vel etiam familiari declaratione præmiſſâ injuriæ ſint ſepeliendæ: non vulgi more, polinodiâ & formulis revocatoriis inſtitutis, abolendæ erunt.

107. Nec etiam vetuſtæ cauſæ, jamq; emortuæ excitandæ. Quod de cauſis vetuſtis belli non excitandis ſcripſit *Gentil. lib. 1. de jur. bell. c. 22.*

108. Quid commemorem cæremonias & ſolennitates fœderum [illegible] varia fuerunt, quas referunt *Herodot. lib. 3. & 4. Liv. lib. 10. decad.* [illegible] *ab Alex. l. 5. gen. dier. c. 3. Tacit. l. 4. Camerar. part. 2. medit. hiſt. c. 17. Waremund. l. 1. c. 3. n. 20. & 21. Bodin. d. c. 6. n. 609.* Ubi omnes inanes vocat, ſi cum perfido Principe res ſit. Quod ſi dignitas illi & exiſtimatio curæ eſt, inquit, ſermo pro lege: fides pro oraculo futura eſt.

109. Vetat autem lex divina alterius, quam Dei numen ac numen jurejurando obteſtari. *Deut. 6. v. 13. c. 10. v. 20. Matth. 5. v. 33.* Is enim ſolus eſt, qui & ſui nominis contemptores & perfidos ulciſci poteſt: non ii, qui nullam rerum humanarum procurationem gerunt. Rectè ergo David & Jona-

chas, qui novum fœdus coram Domino percuſſiſſe leguntur. *1. Sam. 23. v. 18.*

110. Talia juramenta, quibus fœdera confirmantur, rectè etiam Legatos vel Procuratores, ſpeciale mandatum habentes, præſtare, tradit *Dn. Beſ. d. diſp. 6. th 34. arg cap. 1. ſed utrùm, tit per quos fiat inveſt.* verùm in iis juramenta per Procuratorem non eſſe præſtanda, ut omnis evitetur eluſio, & fraudis ſuſpicio, ſentit *Waremund. lib. 2. c. 1. n. 123 & ſeq.*

111. Juramento præſtito, nihilominus obſides dantur interdum pro ſervando fœdere. *idem Waremund. d c 1. n. 170.* ut etiam pro ſervandis induciis. *Dd in l. obſides. ff. de teſtam. Geil. de pac publ. l. 2. c. 2. n. 10.* Sic in fœdere quod ictum eſt inter Henricum II. Regem Gallorum, & Mauritium Electorem Sax. Albertum Brandeburg. & Wilhelmum Haſſiæ Landgravium, duo Germaniæ Principes, Philippus Haſſiæ Junior, & Chriſtophorus Megapolitanus Gallo dabantur. *Sleidan. lib. 24. Warem. d. n. 170.*

112. In ſolennitate perficiendorum fœderum ſcriptura etiam plerunq; accedit: quæ ut requiratur, non natura, ſed uſus exigit, *Beſold. th 35.* Nam contracta multa fœdera abſq; ſcriptura, præſertim, ſi negotia bellica ſcribendi occaſionem præripuerint, ne vel confœderationes divulgentur. *Warem. d. c. 1. nu. 174.*

113. Sequitur membrum decimum & ultimum de ſolutione fœderum. Danda ergò eſt opera, ne fœdera ſemel facta mutentur aut violentur. *Jun. d. c. 74.* Nec probantur, qui ob leviſſimas quaſque offenſiones à ſociis acceptas ruptis fœderibus bellum inferre non dubitant: ut quondam Scoti adverſus Pictos graſſima bella geſſerunt ob canes ereptos, tametſi ſexcentos ferè annos pacem ac ſocietatem coluiſſent, ut memorat *Bodin. d. c. 6. circa fin. n. 620.*

114. Quoties verò illi, qui fœdere conjuncti ſunt, ſeceſſionem faciunt, & ſe diſſipari patiuntur, dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant. *Comin. lib. 2. de reb. geſt. Ludovici XI. Regis Gallorum, fol. 36.* Ubi paulò poſt ſubjicit, omnium verò mortalium optimè callebat Ludovicus Rex artem dirimendi ſocietates atq; fœdera, in eoq; non parcebat ulli vel ſumptui, vel labori, modò

per-

perficeret, quod vellet. Neq; v. Principes, verùm etiam familiares ipſorum ſollicitabat.

115. Quando ergò controverſiæ & contentiones inter fœderatos incidunt, non ilicò ad arma perveniendum: ſed hæ componendæ & dirimendæ judiciis ſunt. Hoc cogitandum: quicquid ex multis partibus conſtat, ita naturâ comparatum eſſe, ut aliqua ejus pars laboret, quæ non ilico reſecanda, aut expellenda: quod ita reliquum corpus aſpectu turpe redditur, totum denique breviter interit, *ex Dionyſ. Halicarnaſſ. lib 8. Jun. d q. 74.*

116. Et ſic omnia priùs tentanda, ac pleraque diſſimulanda ſunt, *Bod. d. l.*

117. Quamobrem in omnibus Principum ac Rerumpublicarum fœderibus concipiendis, pactis conventis utiliſſimum eſt, arbitros ac judices fœderum ac pactionum conſtituere: ſi qua inter ſocios controverſia oboriatur: ſic tamen, ut in utramq; partem arbitri pares ſint. Imò neceſſarium, ut idem monet *n. 592.* unum aliquem potentiâ, vel auctoritate præſtantem populum vel Principem excipere, qui ſociorum ac fœderatorum arbiter ſit futurus: ne aut bellum temerè inferatur, aut illatum non facilè exitum reperire poſſit.

118. Interdum etiam fœderis conſtituitur protector ſeu Præfectus, Obriſter Bundshauptman/quem malè *Bodin. l. 1. de Repub. c. 7* Ducem, ſuperiorem, & Principem fœderis appellat. Nam talem ſuperiorem fœderati non agnoſcunt: ut neq; Principes Imperii Henricum II. Gallum in fœdere Chambortino *Cluten. in ſyſt. Paradox. th 6.*

119. Concludimus nos: quod diſſolutio fœderis aliter fieri non debeat, quàm tempore, quod præfixum eſt, elapſo: vel alterâ parte fœdus violante. Nam nulla frangentib. fidem fides debetur. *Bod. n. 598. fol. 935. & n. 599. fol 937. in fin.* dicit, quod nullo perjurio teneatur, qui fœdifragis fidem non ſervat. *fol.* tamen *ſeq 938. à pr.* ſtatim addit: Sed hæc res interpretatione temperanda eſt. Nam cui rupta fides erit vel uno capite fœderis, jurisjurandi religione ſolutus eſt, ita ut nullo fœderis capite teneatur: non tamen ſi nova fœdera iisdem, quibus antea aut diverſis legibus feriantur, perjuria præterea repetere liceat: alioqui nullus religioni locus ſit, nec perjuria ullos exitus reperiant.

AUCTA-

AUCTARIA.

I. Confœderati corpus quidem efficiunt, ſed non unam Rempublicam.

II. Iniquiſſimis injuriis Sereniſſ. Electorem Sax. Mauritium onerat Bodin. lib.5. de Repub. c.6. n.616. *quòd à fœdere Chambortico, icto inter Henricum II. Regem Gallorum: Mauritium, Albertum Brandeburg. Philippum Landgravium Haſſiæ, & cæteros fœderatos Principes, intempeſtivè receſſerit. Quem meritò vindicat* Heig. lib.1. quæſt.11.

III. Fœdera pacis, ſeu induciæ hoſtibus, inprimis juratis Chriſtiani nominis & profeſſionis, ut Turcis, pro ipſorum libitu & poſtulatu non facilè concedendæ. Nam perfidos, ut è veteribus quidam dixit, nunquam cauſa deficiet, cur pactione non ſtent. Leunclavius in Procem. Hiſt. Muſulman.

IV. Quæritur: ſi ex tribus ſociis inter ſe fœderatis, unus alterius opem imploret contra vim à tertio illatam, num quando opitulari debeat? Hic ita progreditur Bod. d. c.6. n.614. *Si amicitia tantùm contracta ſit, auxilia non debentur: ſi ex fœdere auxilium debetur, antiquiori ſocio ſuccurri oportet: Si iiſdem temporibus contracta ſocietas eſt, ei opem ferre neceſſe eſt, qui arctiſſimo fœdere conjunctus erit, id eſt, qui hoſtes eoſdem & amicos cum ſocio ſeſe habiturum ſpopondit: ſin utrumq; par eſt, neutri auxilia debentur, ſed utriq; utrumq; conciliare oportet: aut efficere, ut ad communes ſocios judiceſvè arbitrium deferatur: eiq; qui vel arbitros recipere, vel rebus judicatis acquieſcere noluerit, bellum denunciare. Sed cauſæ quoq; reſpectus habendus erit, ut reliquis indifferentibus ſeu juſtiori cauſæ patrocinium præſtetur,* Alberic. Gentil. l.1. de jur. bell. c.18.

V. Cum vicini duo Principes, ſeu Civitates potentes, bellis mutuis conflictantur, præſtare docent Politici, alterum harum, quàm neutrarum partium ſequi Duces. Et quidem ſi pares ſint potentia, meliori: ſi diſpares, potentiori nos adjungere debere.

Quod tamen alii non ſimpliciter admittunt & quidem rectè.

DISPUTATIO IV.

De

REIPUBLICÆ AUGMENTO PER ÆDIFICIA ET NEGOTIATIONES.

Reſpondente

ADAMO HENRICO à Quingenbergk Eq. Miſnico.

THESIS I.

AD externum & induſtrialem Reipubl. amplificandæ modum, de quo in diſputionibus prioribus egimus, ſpectat etiam ædificiorum ſtructura, operum tum publicorum magnificentia, tum privatorum elegantia: nec non facultatum & negotiationum copia.

2. Hinc Auguſtus moribundus fuit gloriatus, quod è lateritia marmoream urbem feciſſet, & ſingulari libro omnes facultates, bona, fortunas imperii complexus fuiſſet, *è Suetonio in vit. Auguſt. Kirchn. de Repub. diſp. 15. th. 3. ad lit. a.*

3. Ædificiorum ſiquidem, publicorum inprimis, inſignis ſtructura & magnificentia, decus, ornamentum dignitatemque civitati maximam conciliat: quin etiam ob inſigne artificium, aut utilitatem non exiguam in ſui admiratio-

nem ſpectatores convertit. *Boter. lib. 3. de Politia illuſtrium c. 2. fol. 299.* Unde Impp. Dioclet. & Maxim. lege caverunt, ne ornamenta civitatis in agrum transferrentur. *l. 6. C. de ædific. privat.*

4. Proinde alliciendi ſubditi ad ædificia ſibi condenda in omnibus Regni partibus, quò creſcat Reſpub. & numerus ſubditorum magis magisq; augeatur.

5. Nec majorem gloriam aſſequi Princeps poterit, *dicente Vegetio*, quàm ſi novas civitates fundando, aut ab aliis conditas amplificando in ſuum nomen transferat. Rectè illud obſervavit Alexander M. cùm in Ægypto urbem de nomine ſuo Alexandriam dictam conderet, eamque privilegiis ampliſſimam redderet, ut auctor eſt *Joſephus*. Itemque Conſtantinus M. qui Byzantium, Thraciæ longè clariſſimum & maximè memorabile oppidum magnificè extructum atque munitum, Conſtantinopolin vocavit.

6. Quod ſi Princeps ſubditos ad amorem ædificiorum conſtruendorum non poſſit pertrahere, ſuadet *Keckerman. lib. 1. ſyſtem. Polit. c. 19. fol. 323.* ut Princeps advocet aliundè colonias velut quaſdam, ex iis nempe gentibus, quarum ingenia per naturam feruntur ad ædificia eleganter conſtruenda. Hoc enim ſolidum & firmum eſt Reſpublicas provehendi munimentum, *Lipſ. lib. 4. Polit. c. 7. Schönborn. lib. 1. Pol. c. 5.* Et tandem addit *Keck.* utque tàm ſubditos ſuos, quàm exteros magis ad eam rem poſſit allicere, præbeat è publico materiam, ligna, calcem & ejuſmodi alia, quæ ædificiis conſtituendis ſerviunt.

7. Talem ædificandi licentiam Sereniſs. Elector Palatinus conceſſit Belgis in extructione elegantiſſimæ urbis Francothalenſis, & hodiè largitur in erectione propugnaculi & novæ urbis Manheimiæ inter Rhenum & Nicrum omnibus, larem fortunarum ſuarum ibi conſtituere volentibus.

8. Cùm igitur Turcarum Dominus ſuis amorem condendorum ædificiorum non implantet, ſed eorum ingenia ſint aliena ab ædificiis, eaque nec libenter conſtruant, nec ſi ab aliis benè conſtructa inveniant, ſarta tecta cupiant ſer-

varii

vari, exinde ditiones Turcæ plurimæ manent vaſtæ & incultæ. *Auger. Busbeq. Epiſt.1. Turcica.*

9. Princeps autem dum ſubditorum oblectamenta quærit, eorum opes hirudinis inſtar exugere, atque ita ad deſperationem adigere minimè debet. Itaque quærat quidem Princeps, quî ſubditos oblectet, ita tamen, ne oblectationes illæ fortunis eorum fraudi ſint. Nam quò majus inde ſperatur emolumentum, hoc ſubditi ad juſſa ſunt promptiores: Sublevat hoc ipſum gravamina, cenſus imminuit, labores promovet: emolumentum autem hæc omnia ſopit, *Boter. d. cap. 2.*

10. Quare, ut ibid. monet, duo hîc vitanda ſunt. Primum, ne omninò ſint inutilia ædificia, quæ reprehenſionem potiùs, quàm laudem merentur: alterum, ne plus onerent, quàm ornent: & ſic ſubditi ad paupertatem ædificando perveniant. *Patrit. lib. 8. tit. 11. & Jun. part. 2. quæſt. Polit. 66.* ubi *ex Plutarch. de divitiar. cupidit.* citat illud de Megarenſibus, de quibus dictum fuit: *Eos* ædificare, quaſi ſemper victuri: comedere, quaſi altero die morituri.

11. Luxus itaque aberit. Magnificentia ſiquidem eſt virtus, quæ mediocritatem ſervat in magnis ſumptibus faciendis. *Ariſtot. lib. 9. Ethic. ad Nicomach. c. 2.* Unde officium magnanimi præcipuè conſiſtit in eo, ut habeat ſcientiam & rationem decori in illis faciendis. *Golius in com. ſup. d. c. 2.*

12. Hac de cauſa *Vincent. Caſtellan. lib. 3. de offic. Reg.* inſtitutum Regum Ægyptiacorum, qui ſubditos ſuos perpetuis laboribus, & immenſis ſumptibus perpetuò gravârunt, in extruendis ingentibus Pyramidum molibus, ad quarum ſplendorem & ſuperbiam Romanorum fabricas & antiqua opera nullo modo accedere, ait *Petr. Bellonus obſervat. 2. c. 42.* vehementer improbat, quamvis opera fuerint publica, tùm quia monumenta Regum erant, tùm quia ornamenta Regni. Quin inſanam illam fuiſſe Regum Ægyptiacorum profuſionem, non laudabilem magnificentiam concludit. Unam trecenta ſexaginta hominum millia conſtruxiſſe produntur. Erogata mille & ſexcenta talenta in operarios duntaxat pro raphano, allis & cepis. *Herod. lib. 7.*

Et rectè *Plin. lib. 36. c. 12.* otioſam & ſtultam pecuniæ oſtentationem eſſe dixit. Taxat etiam *Boter. d. l.* Coloſſum illum Veterum ſcriptis admodum celebrem. Notatur Claudius Imp. *apud Sueton. in vit. Claud.* quod opera magna potiùs, quàm neceſſaria & utilia perficeret. Irridetur *apud Plin. d. lib 36. c. 15.* domus aurea Neronis, quæ univerſam urbem cingebat. Ac ejuſmodi irritus labor & conatus inanis in Iſthmo Corinthiaco perfodiendo. *Xiphil. in vit. Neron.*

13. Multò minus ergo, ex monito Politicorum, permittet Princeps, domos nimis magnificas & ſumptuoſas à ſubditis extrui. Ad paupertatem enim ædificando multi perveniunt, cum illuſtrium magnificentiam æmulantur. Quare provideat, ut monet *Lipſ. lib. 4. Polit. cap. 11.* de domibus ſubditorum, ne ſuperbè nimis ſtruant aut inſtruant: & ſignis, aulæis, aliiſque operibus exornent, *ex Saluſt. ad Cæſ.* Deſipiunt enim illi, ut ait *idem*, qui omnia potiùs viſenda, quàm ſemet efficiunt: qui divitias per omnes ædium angulos diſſipant, tectaque ipſa fulgentia habent. *Senec. de tranquill. animi cap. 1.* Nam, ut monet *Cicero de divinat.* Domus domino ornanda eſt, non dominus domo.

14. Jam de ratione & modo conſtructionis alicujus urbis, an ad Orientem potiùs, quàm ad Occidentem, ad Septentrionem magis, quàm ad Meridiem ſit ædificanda, eſt diſpiciendum.

15. In ſitu autem alicujus urbis quatuor ſpectantur, ut docet *Ariſtot. lib. 7. Polit. cap. 11.* 1. Salubritas aëris. 2. belli opportunitas. 3. civilium actionum expeditio. 4. aquarum ſtantium & manantium copia. Quorum primum & ultimum cives: Secundum, hoſtes, tertium, totius civitatis bonum commune ſpectat, ut vulgò Interpretes Ariſtot. notant. Et *Otho Melander in idea ſtud. Polit. fol. 34.* urbem conditurus, inquit, tria potiſſimùm ſpectare & eligere debet. Primò, ut locus, in quo illam vult ædificare, ſit ſaluberrimus. Secundò, ut fertiliſſimus. Tertiò, ut ad negotiationes & ad res bellicas maximè ſit opportunus.

16. Salubritatem quod concernit, illa à duobus elementis, aëre & aqua, pendet. Ille enim in præcordia, hæc in viſce-

in viſcera quotidiè miſſa vitam & ſpiritum humanum ſervant. Et ut aër ſpiritus vivaciores: ita aqua cibos ſalubriores & faciliores concoctu reddit. *Caſ. lib. 7. Sphær. civit. c. 11.*

17. Redduntur verò vivaciores, reficiuntur & foventur ſpiritus tàm vitales, quàm animales, ſi aër ſit purus & ſubtilis. At ſi ſit craſſus, cor ipſum, fons vitæ, ſuffocatur. *Galen. lib. 1. de tuenda valetudine, & de methodo medendi lib. 9. cap. 14.*

18. Quia ergò purus requiritur aër: locus excelſus erit ſaluberrimus, *dicente Vegetio, & Vitruvio de architect. lib. 1. c. 4.* non nebuloſus, non pruinoſus, regiones cœli ſpectans neque æſtuoſas, neque frigidas, neque paludibus vicinas. Locus ſiquidem eminens ventis eſt pervius, quibus aër purus redditur. *Thomas de Aquin. lib. 7. c. 2.* Ex locis tamen montoſis admodum & aſperis plus incommodi ſentiunt incolæ, quàm ex iis, qui ſunt in planitie. Nam facilior in his commeatuum eſt ſubvectio, *è Scaligero lib. 3. Poët. Schönborn. lib. 1. Polit. c. 14.*

19. Et cùm cœlum purius multum faciat ad ſanitatem corporis, quæ in quadam temperie humorum conſiſtit, conſequenter etiam ad longitudinem vitæ. Nec ſolùm ad hanc, ſed & ad ingenii alacritatem conducit. Nam in confeſſo eſt, eos ingenio magis præſtare, qui cœlo fruuntur puriore, quàm qui craſſo, ceu madenti. Quæ una res potiſſimùm effeciſſe creditur, ut Athenienſes acumine ingenii multò præſtiterint Thebanis. *Hieron. Cagnol. in libro de recta Principis institutione c. 61. fol. 80.*

20. Quodq; ex influentiis cœli ſingulæ Nationes ſuas inclinationes, mores, & vires ſortiantur, tàm Phyſici quàm Aſtrologi experimentis docent, quibus conſtat, ſub Jove magnificos, ſub Marte bellicoſos, ſub Luna molles, ſub Mercurio dociles & inconſtantes naſci. Hinc etiam Scythæ bellicoſi, Hiſpani ingenioſi, Pœni leves, Græci mendaces, Ægyptii falſi & ſuperſtitioſi dicuntur. Si ergò privati affectus, quantò magis locorum mores à conſtitutione cœli fluunt? *Caſ. lib. 5. Sphær. civit. c. 12.* ubi inculcat, quod ad benè adminiſtrandam Rempub. ratio influentis cœli ſit habenda.

21. Paluſtrem verò locum averſentur incolæ, vel maximè ob moleſtiam culicum ibi naſcentium, niſi propugnaculum eodem loci habere velint. *Schönborn. d. c. 14.* Et quantum officiat locus depreſſior, humidus, paludibus & ſtagnis vicinus, vel ſola docet experientia. Exinde enim nebulæ, vapores, & ſpiritus venenati beſtiarum paluſtrium. *Vitruvius lib. 1.* Hinc Magiſtratus negligentiam & incuriam noſtrorum temporum accuſat *idem Caſus d. c. 11.* itemque *Junius part. 2. quæſt. Polit. 63.* dum non datur opera, ut civitates ſint mundæ, non oblitæ fimo aut putredine animalium, vel olerum. Sed ſæpè ſtagnis, ſentinis, ſterquiliniis, aliisq; fecibus contagioſis aër & aqua ſæpiſſimè inficiantur, quibus receptis cives non aliter, quàm veneno infecti, peſtem concipiunt & exhalant.

22. Severis ergò legibus hoc præcavendum ſcribit *Caſ.* ut ſordes civitatis longiſſimè ab ædibus, mœnibus, & portis in arva & agros exportentur: cùm nihil citiùs aut periculoſiùs ſuffocet civitatem, quàm magna cadaverum & ſterquiliniorum præ foribus & portis urbium accumulatio.

23. Et hæc de ſalubritate & commoditate loci, quæ etiam ſignis & indiciis quibuſdam indicatur & dignoſcitur, quæ refert *Thom. d. c. 2. Cagnol. d. c. 63.* videlicet, ſi quæ ex terra naſcuntur, ſint benè picta & probè colorata: & repoſita diutiùs maneant. Si pueri ibi multi & vivaces, ac ſenes multi reperiantur, ſi robuſta corpora: ut contrà ſignum malum eſt, ubi mali coloris homines, aut deformes, corpora debilia, membra exanimata, pauci pueri, pauciores ſenes inveniuntur.

24. Ex prælibatis circa aërem inferimus cum Philoſopho & vulgo Interpretum, quod urbes Orientem & Septentrionem verſus ſalubriùs ſint ſitæ & conſtitutæ, quàm quæ Auſtrum Solisq; occaſum ſpectant. Omnium verò ſaluberrimæ ad Orientem.

25. Ratio aſſertionis eſt, quia Orientalium urbium ſitus à cœlo, ventis, & aëre omnium benigniſſimam habet influentiam. *Caſ. d. c. 11. Timpler. lib. 1. Polit. c. 6. q. 4.* Nam 1. ex parte cœli Sol reliquaque ſidera orientia primam lucem, primos-

plimosq; radios iis communicant, & ſic vires ſuas in eas primùm effundunt. 2. Venti à Solis ortu ſpirantes ſunt ſaluberrimi, ſicciores, ventilant aërem, vapores diſſipant, temperant æſtum, fovent vitales æſtus præcordiorum. *Jun. d. q. 63. Schönborn. d. c. 14.* Et ſic aër ab Oriente redditur puriſſimus, quatenus à ventis & radiis ſolis temperatur, & à craſſis virulentisque vaporibus purgatur.

26. Hinc etiam *Jun. part. 2. q. 66.* monet, ut feneſtræ & portæ ædium ita ſint extructæ, quò venti Orientales ſtructuras illas ingredi valeant: & ut Sol unumquemque locum intrare queat: quia Sol aërem rectificat, *ex Avicen. lib. 1.* utq; loca ſic extruantur & diſtinguantur, quò rebus ipſis aſſervandis accommodata ſint: ſicca tecta frumentum, frigida vinum recipiant: cœnacula reficiendis hominib. ita extruantur, quò æſtate ſint frigida, hybernis calida.

27. Ex eadem ratione aſtruunt, aquas quæ ab ortu manant, eſſe ſaluberrimas.

28. Et ſic patet, quod urbes ad Orientem converſæ, & ad eos ventos, qui inde perflant, ſalubriores ſint. His ſecundæ & proximæ ſunt urbes, quæ Septentrionem ſpectant, à qua plaga mundi Boreas ſpirat. Ratio eſt, quia Boreales venti aërem quoque puriſſimum reddunt, intusq; pulſo naturali calore concoctionem faciliorem ac celeriorem efficiunt.

29. Auſtrales verò & Occidentales venti, ceu craſſiores & humidiores, alia his contraria effecta pariunt. *Caſ. & Schönborn. loc. alleg.*

30. Dabit quoque Princeps operam, ut ædificia in urbibus apto ordine diſponantur, ſic ut ſit *συμμετρία*, concinna diſpoſitio & forma ſingularum partium urbis: utque plateæ, ſive viæ urbis ordinem ſuum certum habeant & juſtam quantitatem, ſive latitudinem. *Keck. d. c. 19. fol. 320.*

31. In altitudine quoque non peccandum. Unde Imp. Trajanus legem ædificatoriam tulit: ne ædificiorum privatorum altitudo 60. pedes ſuperaret: idque propter ruinas faciles, incendia damnoſa, exitioſos ſumptus. *Aurel. Victor. in Cæſarum epitome.*

32. Ra-

32. Requirit etiam *Hieron. Cagnol. de rect. princ. Inſtit. c. 65. fol. 87.* Ut in conſtruendis urbibus eligatur locus, qui amœnitate habitatores delectet.

33. De ſtructura urbium peculiarem tractatum ſcripſit *Hippol. à Collib.* & de ædificiis publicis & privatis, quidque in iis obſervandum, eſt liber. 8. Cod. tit. 11. & 12. multaque collegit *Schônborn. d. c. 14. th. 15.*

34. Aquæ ſalubritas hominibus maximè quoque neceſſaria. Nam conſtat, plurimos, ut *Caſtellan. lib. 7. de offic. Reg. cap. 9.* inquit, quod aquis malis uſi fuerint, vel abſumptos, vel malè affectos eſſe.

35. Hinc veteres, ut eſt *apud Vitruv. lib. 1. cap. 5.* Oppida aut caſtra ſtativa conſtituturi, pecorum, quæ ibi naſcebantur, inſpiciebant jecinora: & ſi eſſent livida aut vitioſa, (quoniam de aquæ vitio arbitrabantur) locum quàm primùm mutabant, quod ſtatuerent, idem in humanis quoque corporibus metuendum eſſe.

36. Commendatur verò aqua à ſalubritate, quæ motu eſt velociſſima, aſpectu limpidiſſima, pondere leviſſima, concoctu facilima. *Ariſtot. d. cap. 11. Patrit. lib. 7. tit. 10.*

37. Aquæ etiam & fluminum, maximè navigabilium, copia utilitatem ac commodum inſigne affert ob exportandi facilitatem, ut evehi poſſint, quæ ſuperſunt, & advehi, quæ deſunt, *idem Patrit. eod. lib. 7. tit. 12.*

38. Quod ſi aqua propria & naturalis deſit, aqua pluvia ciſternis & receptaculis certis debet aſſervari, ita, ut deeſſe, ſi quando civitas obſideretur, nunquam poſſit. *Jun. d. q. 63. Meland. in idea. ſtud. Polit. fol. 35. in fin.*

39. Non ſolùm autem ſalubritatis, verùm etiam fertilitatis victusq; ratio ineunda eſt in extruenda urbe. Nec enim commodè hominum multitudo cohabitabit, ubi victus copia non ſuppetit.

40. Unde juſtè reprehenſus eſt Architectus Dinochares ab Alexandro M. quòd in condenda urbe Alexandria, quam in altiſſimo monte Athon collocari ſuadebat, rationem alimonii non perpendiſſet. *Plut. in vit. Alex.*

41. Duo

41. Duo tamen ſunt modi, quibus civitati poteſt rerum eſſe copia: unus, propter fertilitatem regionis omnia aliunde producentis, quæ humanæ vitæ requirit neceſſitas: alius, per negotiationis & mercaturæ uſum, quo mediante neceſſaria vitæ diverſis ex partibus adducantur.

42. Primus autem modus convenientior eſt: & dignior civitas, ſi rerum abundantiâ ex proprio territorio fruatur, quàm ſi per mercatores abundet, cùm illud etiam ſit ſecurius propter bellorum eventus, & diverſa bellorum diſcrimina, quibus commeatus adportatio facilè impediri poteſt, ejusq; defectu opprimi civitas, *Cagnol. d. tr. c. 64. fol. 84.* imò non major eſt via ad Regnorum amplificationem & conſervationem, quàm ſi in rebus neceſſariis exterorum operâ & importatione quàm minimum indigeat, *Keck. lib. 1. ſyſtem. Pol. cap. 8. fol. 185.* Addit & hoc *Cagnol.* quòd civitas hæc magis conducat, cui circumjacens regio ſufficiens ſit ad neceſſaria vitæ, quàm illa, quæ neceſſe habet ab aliis per negotiationem accipere.

43. Rectè enim tradit *Machiavell. in diſcurſ. lib. 1. cap. 1.* vitandam eſſe loci ſterilitatem, & fertiliſſimum agrum in urbibus conſtruendis deligendum: Ut in eo civibus numero auctis alimenta ſuppetant, potentiâq; auctæ hujuſmodi novæ urbes omnem externam vim propulſare queant.

44. Nec tantùm in loco civitati captando ſpectanda uberrima frugum gleba, ſed etiam paſcua irrigua, ſylvæ & nemora. *Kirchner. de Republ. diſp. 13. act. 6.*

45. Tertia opportunitas loci reſpicit actiones civiles, ſeu negotiationes, & res bellicas, ut facilis ſit civibus in aliena egreſſio, hoſtibus autem difficilis aditio, ac difficilis circumdatio, *Meland. in idea ſtud. Polit. fol. 33.* Sic Alexander M. civitatem Alexandriam inter paludem & mare extruxit, & ſic ipsâ naturâ loci munitam fecit, & dum poſitionem ejus elegit in vicinia portus Phari, negotiationibus & mercaturis exercendis reddidit idoneam, quoniam omnes illius vicos ita diſpoſuit, ut omnes ſlatorum venti, qui anniverſarii dicuntur, inſpirarentur. *idem ibid.* Non enim ignoravit, maritima loca populoſiſſimis & opulentiſſimis civitatib. conſti-

K tuendis

tuendis lectiora, quàm mediterranea, *Kirchner. d. diſſ. 13. ad-dit.* 7. ubi refert, idem judicium veteribus Wandalis fuiſſe, à quibus Balthicum littus pulcherrimis urbibus coronatum, quæ exiguis ab initiis ad ſumma culmina emerſerunt, *ex Crantz. in Wand.*

46. Ad alliciendos autem mercatores, magnâ curâ illis ſervanda privilegia, nundinarum præcipuè tempore. *Hippolyt. à Collib. in princ. c. 29. fol. 164.*

47. Hîc duæ illuſtres quæſtiones diſcutiendæ ſe offerunt, quarum prima eſt: Utrum ad utilitatem, ſecuritatem, & tutelam civitatis & privatarum ædium munitiones firmiſſimas extruere expediat? Quòd ſic, ſuadent Politici & Polemici, & *Althuſ. in Polit. fol. 79. edit. prior.* metropolin munitam eſſe vult, ut inferiores urbes tempore belli perfugium habere poſſint.

48. Sic Iſraëlitæ urbes munitas extruxêre. *Num. 32. v. 16.* Pii quoq; Reges in V. T. multas urbes munitiſſimas in Juda ædificarunt. Sic Salomon *2. Paralip. 8.* Roboam *2. Paral. 11. v. 5. & multis ſeqq.* Aſa. *2. Paralip. 14. v. 6. 7. & 8.* Joſaphatus *2. Paralip. 17. v. 2. 12. 19.* Joatamus *2. Paral. 17. v. 3. 4.* Ezechias *2. Paralip 32. v. 5.* Manaſſes *2. Paral. 33. v. 14.* Nehemias, *Nehem. 2. & 3.*

49. Et conſtat, urbes ac civitates propterà primùm extructas, poſt confirmatas muris fuiſſe, ut contra hoſtium incurſiones tutæ eſſent fortunæ, ſalva bona, libera ac ſoluta à periculis. *Plat. Bod. Vitruv. de Archite. l. 2. c. 1.*

50. Almacidas ſanè Dux Lacedæmoniorum rogatus, cur ipſorum urbs mœnibus non eſſet cincta, oſtensâ juventute civitatis reſpondit: Quid opus eſt muris? Muri hi ſunt, hi ſunt caſtra & mœnia civitatis: at paulo pòſt Thebani Ducibus Pelopidâ & Epaminondâ Lacedæmonem obſeſſam expugnarunt, ipſum hunc Almacidam ceperunt, murosque iſtos nobiles, defectu murorum, nudos facilè ſuperarunt. Salus profectò fuiſſet Lacedæmoniis, ſi muris circumſcripti hoſtibus reſtitiſſent, *Caſ. lib. 57. Sphar. civit. cap. 11.* quo capite pro munitionibus cum Ariſtotele tres rationes in medium ad-

adducit, quarum prima, eſt *decus urbis*. Secunda, *ſalus civium*: Tertia, *terror hoſtis*.

51. Secunda quæſtio eſt de jure aſylorum: an talia in civitate ſint extruenda & permittenda? Nos ex auctoritate legis tam divinæ quàm humanæ negantem defendimus ſententiam. In lege enim divina Deus ipſe ab altari avellere jubet eum, qui datâ operâ & ex inſidiis proximum interfecit, *Exod. 21. v. 14.* ſic Adonias fugiens ad aram, inde retractus legitur, *1. Reg. 1. v. 50. & ſeqq.* Pariter lex humana ſicariis, adulteris, & virginum raptoribus ad templum fugientibus delicti veniam non concedit, ſed inde extrahi & ſupplicio affici jubet, *Novel. 17. c. 7.* Nec enim Ille beneficium legis meretur, qui contra eam delinquit, *c. fin. de immun. Eccleſ.* Limitationem tamen addet συζήτησις.

52. Tandem devolvimur ad augmentum Rerumpubl. per negotiationes. Ex his verò multum Reipublicæ accedere accrementum, non opus eſt multis probatum dare, cum vel experientia ſatis loquatur, quantum ſæpè unius opificii celebritas & induſtria in ea augenda poſſit. In Gallia civitas Toletana decem millia hominum lanæ & ſerici texturâ ſuſtentat, *Hippol. à Collib. de princ. c. 34.* Et quis adeò hoſpes in Germania noſtra, qui vel unius civitatis Hamburgenſis ex mercatura neſciat amplitudinem, & multitudinem populi? Metallicorum ſtudiorum felicitate urbes & oppida florentiſſima, quæ olim nulla erant, in Miſnia & aliis ditionibus Germaniæ nata. *Kirchner. de Repub. diſp. 15. th. 1. ad lit. g.* ubi refert *ex Albino part. 3. Chron. Metal* intra 79. annos ex una Snebergenſi fodina per decimas duntaxat & prærogativas mallei ſignatorii, vulgò Schlegſchatz/ in ærarium Saxonicum, perveniſſe 41118. myriadas, ſive, ut hodie loquimur, tonnas auri.

53. Hîc quæritur: An negotiatio ex mercatura ſit licita & laudanda? Mercatura enim pernicioſa & inofficioſa à viris non quintæ claſſis prædicatur: *à Platone in lib. de legib. & Ariſtotele lib. 7. Polit. c. 9.* virtutibus inimica, ſcilicet propter negotiatorum mendacia, perjuria, fraudes: quodque ad lucrum vel turpiter faciendum proniores ſunt, ut loquitur

Paulus JC. *in l. 44. §. 1. ff. de ædilit. edict.* Difficile enim exuitur negotians à deceptione, *Ecclеſ. c. 26. v. 28.* Ejiciens Dominus vendentes & ementes de templo, ſignificavit, quia homo mercator vix aut nunquam poteſt Deo placere. Et ideò nullus Chriſtianus debet eſſe mercator, aut ſi voluerit eſſe, projiciatur de Eccleſia Dei, ut ait *Chryſoſtom. homil. 38. ad cap. 21. Matthæ.* & habetur tranſſumptivè *in c. ejiciens XI. d. ſt. 88.* Nec non *Hieronymus ad Nepotianum de vita Clericorum*: Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili glorioſum, quaſi quandam peſtem fuge, *c. negotiatorem 19. ead. diſt.*

54. Nec modò pernicioſa, ſed & ſordida, homineq; liberali indigna dici meretur mercatura *ab Ariſtot. lib. 1. Polit. c. 6. & Cic. lib. 1. offic.* his verbis perſtringitur: Illiberales & ſordidi ſunt quæſtus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. Eſt enim in illis ipſa merces auctoramentum ſervitutis. Ea de cauſa Romæ quæſtus omnis patribus indecorus eſt viſus. *Liv. lib. 1.*

55. Verùm pro legitimo mercaturæ uſu affertur in contrarium, quod illa non tantùm civitatibus utilis, ſed etiam honeſta ſit: nec ſolùm honeſta, verùm etiam neceſſaria. Quid enim, inquit *Bodin. l. 3. de Repub. c. 8. n. 359.* ſi ſolo tàm ſterili condita ſit civitas, aut eo loco poſita, ut in ea non modò non commodè vivi, ſed ne vivi quidem poſſit? cujusmodi Athenas fuiſſe accepimus: qualis etiam eſt Limogea Gallorum, Norinberga Germanorum, ipſiusq; maris mediterranei decus Venetiæ: quæ quatuor civitates ſine mercatura nunquam tales tantæque extitiſſent.

56. Cum igitur uni regioni, perinde ut nec uni homini, DEUS non det cuncta: hîc ſegetes, illic veniant feliciùs uvæ, *canente Virgilio lib. 1. Georg.* defectus iſte rerum, quâ ſumus indigi, importatione à mercatoribus ſuppletur. Unde conferuntur pedibus in corpore humano, qui reliquis neceſſaria transferunt, *è Tholozan. lib. 4. de Repub. cap. 7. Dn. Gerbard. in cent. quæſt. Polit. decad. 9. q. 8.* ubi ſimul mercaturam licitam dicit, ſi ad finem honeſtum dirigatur: ſi ad ſuſtentationem familiæ, pauperum, Reipublicæ: ſi lucrum habeat

habet moderatum, ſi fiat ſine mendacio & perjurio, ſine impoſtura & injuria, *è Szegedin. in locis tab. de Mercat.* ſic etiam *Ariſtot lib.1.Polit. c. 6.* turpem ac ſordidam illam mercaturam vocat, quam odioſi fœneratores profitentur, qui non ad victum, ſed ad quæſtum, non ad uſum, ſed ad exceſſum, non ad neceſſitatem vitæ, ſed ad augmentum pecuniæ (cujus nullus eſt modus) ſuas res omnes locant & nundinantur. Iſti ſunt voraces quaſi corvi in Reſpub. & quaſi lupi inſatiabiles, quorum ſitis non extinguitur, quorum hydrops nullis curatur herbis aut medicinis, *Caſ. in com. ad d. c. 6.*

57. Stet igitur: quod mercatura ſit legitima & probanda, ſi civibus ſit neceſſaria, aut certè utilia advexerit, & inutilia evexerit. *Plat. in lib. de legib.* Addit *Cic. libr. 1. offic.* ſi magna ſit & copioſa, inquiens: Mercatura ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt: ſi magna & copioſa, multa undique apportans, multisque ſine vanitate impartiens, non eſt admodum vituperanda. Et ſic ex albo ſordidorum hominum eximit eos, qui uberem & quæſtuoſam, non qui tenuem exercent mercaturam. *Bod. d. l.*

58. Adde, quod DEUS ipſe legitimum mercaturæ uſum approbet, dum præcipit, ut ſtatera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, *Levit. 19. v. 36.*

COROLLARIA.

I.

REfert *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 2. n. 665.* Venetos, ut ærarium augerent, pecuniam à privatis ſub trientibus uſuris, id eſt, quinq; pro centum, accepiſſe, ſine ulla ſpe recuperandæ ſortis. Nec alios quoq; Reges potentiſſimos, maxima cum aliorum jactura, iiſdem abſtinuiſſe, *n. 666.* Verùm *Hermannus Kirchnerus diſp. 16. de Repub. aſſ. 3.* indignum Reipublicæ amplitudine judicat, ex uſuris ærarium collocupletari. Laudabilius fuiſſe inſtitutum apud Romanos prædicat *Bod. d. l.* ſic Auguſtus referto pecuniis ærario partem ſine uſuris dabat iis, qui prædibus ac prædiis caverent, ſe duplum reddituros, niſi ſtato die petîtam pecuniam in ærarium inferrent. *Tranquill. in Auguſt.*

II.

Quemadmodum ſcelerati & facinoroſi ab aſylis repellendi: ita viceversâ miſeri & afflicti recipiendi & defendendi, imitatione Herois incomparabilis canis Scaligeri, qui cùm in ampliſſima iſta fortuna viveret, ut inter Italos

P. P.

P. P. ſinpularis penè eſſet, tria habuit Palatia, quæ erant aureis literis inſcripta: *Bonæ ſpei pro principibus*. Et inter ea, ſi apud Pontifices in offenſam Cardinales veniſſent, aſylum & adumbraculum habebat, quod appellabatur *Paradiſus*. Digna certè hoc cane virtus.

III.

Ædificia connexa & cohærentia præferimus diſcretis & ſpacio circumdatis, *cum Domino Matthia Berneggero in miſcell. quæſt. ad Corn. Tacit. de morib. Germ. cent.* 1. *dodecad.* 4. *q.* 3. Territoria ergò ſint continua, non interrupta alterius Principis dominiis. Diſcontinuatio enim territoriorum, dominiorum, diſtrictuū, & provinciarum magnas parit confuſiones ac difficultates in regimine, & tempore belli non ſatis firmum præſidium præſtare Magiſtratui poteſt, *Keckerm. lib.* 1. *ſyſt. Polit. c.* 15. *fol.* 274. *& in curſ. Philoſoph. diſp.* 31. *q.* 15. *Schönborn. libr.* 1. *Polit. c.* 12. Atque hoc axioma demonſtrant exemplo potentiſſimorum duorum Regum, Galliæ videlicet & Hiſpaniæ. Illius potentiam idcircò magnam & formidabilem eſſe dicunt, quia Regnum Galliæ nullo planè externo dominio eſt diſcontinuatum, ſed omnes ejus partes.

tes arctè ſunt continuatæ, & quidem continuatæ in circulum, ita ut ab omnibus partib. extremis Galliæ ſubditi Lutetias, tanquam ad regiam facilè confluere neceſſitatis tempore poſſint, velut lineæ à circumferentia ad centrum. Hiſpaniarum verò Regem, etſi immenſis opibus & theſauris cumulatus eſſe videatur, tamen potentiâ vix ſuperare Regem Galliæ: & parum feliciter bella gerere etiam adverſus anguſtas & parvas provincias, ut Hollandiam. quia nempe ejus dominia & provinciæ ſint nimis diſcontinuatæ & interruptæ, ita ut nec regi ſatis feliciter poſſint, nec ſibi mutua auxilia ferre, quoties opus eſt.

Disp. V.

DISPUTATIO V.

De

FORMIS SEU SPECIEBUS RERUMPUB.

Reſpondente

JOACHIMO KERSTENS/ Soltquellenſe Marchiaco.

THESIS I.

HActenus de Rerumpublicarum natura & cauſis conſtituentibus, conſervantibus, & corrumpentibus egimus. Methodi ratio exigit, ut de ſpecieb. earundem diſſeramus.

2. De formis verò illis conſtituendis acriter inter ſe certant Politici. Alii enim tres tantùm ſimplices Imperii formas, eaſque bonas, ponunt: alii ſex, earumque tres bonas, totidemque improbas & malas agnoſcunt, quorum Dux eſt *Polyb. lib. 6.* prolapſas in eadem ſerie collocans cum rectis. Sub cujus vexillis militat *Piccolominius grad. 10. Philoſ moral c. 7.* Ubi 1. Imperii formam conſtituit Monarchiam. 2. Huic oppoſitam tyrannidem, in quâ ſumma poteſtas eſt penes unum, qui non ſecundùm leges, ſed pro voluntate & arbitrio ſuo imperat. 3. Ariſtocratiam. 4. Huic oppoſitam oligarchiam: Ubi ſcilicet poteſtas eſt penes paucos, qui vel per potentiam, vel gratiam, aut fraudem & malas artes imperium ſibi acquiſiverunt. Vel, ut ait *Dn.*

Beſold. claſſ. 2. diſp. Pol. 9. th. 23. cùm pauci quidam ita cæteris, ut ſervi imperant: cùm pauci illi ſe (etiam ſingulatim conſideratos) cives eſſe fateri nolunt. Ex quo fit, ut vel populus ipſe ad ſe trahat imperium, vel unius alicujus poteſtati lubentiùs, quàm ejuſmodi factioni Magnatum ſe ſubjiciat. Qualis fuit Athenis tyrannorum triginta: Romæ, cùm à Decemviris, & poſteà Triumviris adminiſtraretur. 5. Democratiam. 6. Huic adverſam ochlocratiam, id eſt, turbulentam Reipub. factionem, & quaſi furorem multitudinis. Cujuſmodi dicitur fuiſſe forma Reipub. Athenienſis, à Piſiſtrato jam everſa, & tyrannide eam invadente. *Polyæn. lib. 1.*

3. Tres verò ſimplices Reipub. formas ſub bonarum titulo venientes, Monarchiam ſcilicet, Principatum unius: Ariſtocratiam, potentiam optimatum: Democratiam, gubernationem populi agnoſcunt *Bod. l. 2. Tholoz. l. 5. c. 1.* aliiq; quàm plurimi, quibus ſubſcribimus, & malas, quas vocant, non formas & ſtatus, ſed παρεκβάσεις & φθορὰς, digreſſiones, peſtes, & interitus juſtarum Rerumpub. dicimus, auctoritate *Ariſtot. l. 8. Ethic. c. 4. & 5. l. 3. Pol. c. 4. & 5.* itemque *Platonis l. 8. de legib.*

4. Argumenti noſtri robur ponimus in eo, quod habet *Ariſtot. l. 1. Ethic. c. 6. & Jul. Scal. exerc. 307. ſect. 15.* unum, bonum, verum, & ens convertuntur. Unde ita argumentamur: Vera Reipublicæ forma convertitur cum bono & ente: Atqui hæc profligata non convertitur cum bono & ente; Ergo non eſt vera Reipub. forma. Et ſic nomen tantùm Reipub. manet, non vera ejuſdem eſſentia & res ipſa.

5. An præter tres haſce ſimplices formas detur mixta aliqua, longè gravior eſt inter Politicos concertatio. Communiter talem dari affirmant, in quâ permixtio illa ſit vel ex duabus tantùm, vel pluribus. Et noviſſimè *Kirchner. in Republ. diſp. 3. auct. ult.* docet, neque Monarchiam, neque Ariſtocratiam, neq; Democratiam ullam unquam puram putam ſine temperamento extitiſſe, neq; oſtendi hodiè poſſe. Sed divortium ab iis facit *Bodin. l. 2. de Repub. c. 1. n. 175.* & prolixè contendit, omnem Reipub. formam ſimplicem eſſe, nec ullam

lam mixtam dari poſſe. In cujus rationes in ipſo diſputationis actu inquiremus.

6. Nunc de formis Rerumpub. ſigillatim nobis erit dicendum. Et primò de Monarchia.

7. Eſt autem Monarchicus ſtatus, quando ſumma totius Reipub. eſt penes unum, qui ſecundùm leges imperat, id eſt, qui legitimè Regnum adminiſtrat. Talis forma Reip. Rom. ab initio fuit, cum adhuc Reges haberent. Et hodiè eſt in Gallia, Hiſpania, Anglia, &c.

8. Hunc ſtatum omnium tùm antiquiſſimum, tùm præſtantiſſimum atque optimum eſſe, ſequentibus confirmabimus.

9. Antiquiſſimum eſſe, Hiſtorici & Philoſophi antiquiſſimi teſtantur. In terris nomen Imperii id primum fuit, *Saluſt. in Catilin.* omnes antiquæ gentes primùm Regibus paruerunt, *Plat. l. 3. de legib.* Principio rerum, gentium, nationumq; omnium imperium penes Reges erat. *Juſtin. libr. 1.* Et Regnum ſtatum poſt tempora diluvii floruiſſe docet Moyſes, *Geneſ. c. 10. v. 8. & 9. Philip. lib. 1. Chron. Carion.* Talis forma fuit Aſſyriorum & Chaldæorum, Perſarum, Græcorum, Ægyptiorum, Lydorum, Scytharum, Parthorum, Gothorum & Wandalorum. Hinc Turcæ in eo quoque non leve præſidium ſuis rebus ponunt, quod Optimatum & populi ſtatu rejecto, ſemper Imperii forma primâ, Monarchicâ ſcilicet, uſi fuerint. Hinc illæ voces ipſis perquam familiares: Deus unus in cœlis, unus in terris Princeps, ut refert *Joan. Leunclavius in Proœmio Hiſtoriæ Muſulmanæ*.

10. Præſtantiæ & convenientiæ exempla plurima habemus. 1. *In Archetypo omnium rerum, Deo,* qui mundi globum ſolus regit & gubernat. Ita in Monarchica Repub. penes unum ſumma poteſtas eſt, & ab uno ſalus Reipub. dependet. Eſt enim ſummus Princeps Dei omnipotentis in hiſce terris viva imago, & ejus nobis potentiam aliquo modo ob oculos ponit. *Bodin. l. 1. de Repub. c. 10. & pr. Thol. l. 5. c. 7.* 2. *In mundo Angelico*, ubi & Hierarchiæ certæ aſſignantur, quibus omnibus unus præeſt. 3. *In mundo ſiderali* unum eſt aſtrum, quod ſplendore & dominio cæteris antecellit, Sol.

4. *In mundo animali*, ſeu ipſa natura, egregium & admirabile ejus exemplum videre eſt in gruibus, apibus, de quibus *Plin. lib. 1. Hiſt. Nat. c. 7. & lib. 10. c. 23.* Eſſe, inquit, ſine rege non poſſunt, invitè autem interimunt eos, cùm plures facti fuerunt, potiusq; naſcentium domos diruunt. Non ſolum autem in avibus, ſed & feris ſylveſtribus idem patet, quia gregem cervorum cuſtodit & ducit unus, *Engelbertus Abbas Admontenſis in lib. de ort. & fin. Rom Imp.* 5. *In Microcoſmo* una eſt anima, quæ dominatur omnibus facultatibus ac organis. 6. *In Oeconomia* ejus exemplum & idea ſe nobis offert, quæ parva quædam, ſeu, ut loquitur *Dantes Aligherius l. 1. de Monarchia*, obliqua Reſpublica eſt: in quâ unus Paterfamiliâs in uxorem, liberos, & famulos imperium tenet, & mandat, ut omnia rectè atque ordine gerantur.

11. Præterea, Principatu nihil eſſe tutius in Repub. inde apparet, quòd populus majeſtatem admiratur, eamq; veneratur: nullo ſtimulo invidiæ excitatur, ſuamq; ſalutem nullam eſſe putat, modò Regis defendatur. Et contra Rex tantùm populum reſpicit, ipſiusq; ſalute vehementer gaudet.

12. Faciliùs quoque reperitur unus vir bonus & juſta ſervans, quàm plures: faciliùs etiam unius inſtituto accommodare animos ſubditi poſſunt, quàm multorum & variorum opinionibus placere, *Beſold. claſſ. 1. diſp. Pol. 9. th. 21.*

13. Quin Princeps ſibi magis conſentire conſpicitur, quàm optimates, qui moribus, & voluntate diſcrepant: Unde diſſenſiones & ſimultates naſcuntur. Et quamvis multorum ſententiæ & vota conſpirent, res tamen ſæpè non patitur morã, donec colligantur. Quod ſi Athenienſes & Tegeatæ apud Plateas diutiùs de loci prærogativa diſputâſſent, perdidiſſent victoriam. *Herod. lib. 6.* Refert itaq; *Polyd. Vergil. lib. 16. Hiſt. Anglic.* Bellicis rebus Monarchia optima, cum bello nihil ſit utiliùs, quàm unum habere Imperatorem, cujus nutu cuncta gerantur. Ita nihil periculoſius, quàm cùm multorum arbitrio res ipſæ adminiſtrentur. Nec de nihilo invaluit adagium: Multi duces perdidêre Cariam. *Et Homer.*

Multos imperitare malum eſt, Rex unicus eſto.

Loquun-

Loquuntur id incunabula Romæ, quæ, ut condita eſt, duos fratres ſimul Reges habere non potuit. Quâ de re *Lucan. l. 1. bell. civil.* ita canit:

Nulla fides Regni ſociis, omniſq; poteſtas
Impatiens conſortis erit: nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

14. Denique magnum Reipub. munimentum eſt consilia habere ſecreta. Sed in ſtatu Polyarchico, Ariſtocratico ſcilicet & Democratico, vix poſſunt conſilia tegi, quia multis communicantur. Quæ vero à multis ſciuntur, ab aliquibus ſaltem evulgantur, *Arniſ. l. 1. doctrin. Pol. cap. 10.* Hæc de Monarchia.

15. Ariſtocratia Reipub. forma eſt, quando Imperium eſt penes optimates, qui prudentiâ, juſtitiâ, & cæteris virtutibus antecellunt, & proptereà dicuntur optimates, quaſi optimorum [illegible] aliquorum numero.

16. Optimates verò dimidio pauciores debent eſſe universis, *Bod. l. 2 de Rep. c. 6. & [illegible] bod. hiſt. c. 6.* Quò enim pauciores Optimates, eò diuturniores ſemper Ariſtocratiæ *nu. 704 de Repub.* Rationem ſeu cauſam diuturnitatis in Ariſtocratia [illegible] concordiam ponit *Ariſt. l. 5 Pol. c. 6.* quæ non tam facilè inter multos, quam inter paucos conſervatur. Inde Lacedæmoniorum Reipublica ſtabilior, [illegible] plures quam [illegible] Pharſaliorum, qui non plures quam viginti habuerunt. [illegible] Duumviratus & Triumviratus, *Bern. t. partit. Pol. 1. fol. 31.*

17. Ariſtocratiam hodie obtinent Veneti, *Pet. Bembus & Contaren. de Repub Venet.* Floruiſſe olim (& quidem Ariſtocratiam majorem, quæ eſt, cûm tota aliqua Provincia & Regnum regitur ab optimatibus, *Kecherm. l. 2. Syſt Pol. cap. 2. fol. 545*) in Politia Iſraelis ſub 70 ſenioribus & tribuum & familiarum ſingularum Principibus ante Regum electionem, *Levit. c. 9. Joſ. c. 22. & 14. Jud. c. 1. & 2. Eſdras cap. 22 v. 14. Arbem. c. 5.* Videtur *Althuſio in Polit. c. 32* & aſſeritur *a Joſepho*

 ha-

libr. 4. Antiq. Judaic. Sigon. libr. 6. de Republ. Petro Martyre, cap. 19. Judic. & aliis, adductis *ab Arniſæo lib. 2. de Repub. c. 4. ſect. 5. n. 1.* Quamvis *Bellarmin. l. 1. de ſum. Pontif. c. 2.* Monarchiam fuiſſe contendat: alii verò, ut *Zepper. libr. 3. Polit. Judaic. c. 5. & Joach. Stephan. l. 1. de juriſdict. c. 7. nu. 12. 17. 18.* Monarchiæ & Ariſtocratiæ mixturam ſtatuunt. Verùm à Moyſe puram introductam fuiſſe Ariſtocratiam, multis conatur demonſtrare *Dn. Arniſ. n. 6. & multis ſeqq.* idq; luce meridianâ clarius patere, ait *ex Deut. c. 17.* & ſimul ad exempla à Bellar. adducta contrarium reſpondet.

18. Hanc autem formam ut Monarchiæ poſtponimus, ita Democratiæ ſeu populari ſtatui præponimus. Nam ex optimis viris optima conſilia: at populus incertus, vagus, inconſtans, variabilis, in periculis timidus, in ſeditionibus audax & temerarius, difficilè componitur, ut beſtia multorum capitum. *Tholoz. l. 5. de Rep. c. 3. Piccol grad. 10. c. 9.*

19. Tametſi autem optimatum ſtatus populari ſit melior, duplici tamen incommodo afficiuntur optimates, niſi concordiam & amicitiam colant. Unum ab hoſtibus, alterum à plebeiis impendet. Nam ſi optimatibus inter ſe graves controverſiæ fuerint, plebs in eos armari conſuevit. Quæ res omnes Græciæ civitates afflixit & evertit, *Juſtin. l. 3.* Nec enim durare poteſtas valet, ubi diſſenſio regnat. *Æn. Sylv. l. 2. Epiſt. 125.* Econtrà concors paucorum gubernatio non facilè ex ſe perit. *Ariſt. l. 5. Pol. c. 6.* exemplo Venetorum, quorum Ariſtocratia, ut omnibus florentior, ita diuturnior fuit. Nam, ut teſtatur *Bodin. l. 6. de Rep. cap. 4. n. 707.* in ſenatu eſt ſumma prudentia, ſumma inter optimates concordia, ſummus tenuium cum potentioribus conſpirantium inter ſe conſenſus. Hujusque optimè conſtitutæ Ariſtocratiæ veſtigium quàm proximè exprimere Noribergenſes, refert *Kirchner. in Republ. diſp. 20. th. 3.*

20. Arcendi verò ſunt maximè Demagogi, i. e. plebis aſſentatores, ductores, & oratores, ne privatim calumnientur, & publicè populum concitent adverſus optimates, potentiores, & opulentiores. *Ariſt. l. 5. Pol. c. 5.* Peſſimum hoc in Repub. hominum genus, quod noſtrâ ætate ſunt importuni &

ni & turbulenti concionatores, *Clapmar. l. 3. de arcan. Rerumpub. c. 22. Tholozan. l. 7. de Repub. c. 18. n. 14.*

21. Quoad optimates, & hoc ipſis eſt obſervandum, ut conſilia ſua habeant ſecreta, ne ad vulgus emanent. Nam, ut loquitur *Val. Max. l. 2.* Taciturnitas optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum eſt vinculum.

22. Denique in ſtatu Polyarchico è re eſſe ſcribunt Politici, ut tempore motuum bellicorum, aliisque temporibus periculoſis, unus dignitate, auctoritate, & experientia præ cæteris pollens, eligatur, penes quem belli ſumma ſit, & qui quaſi Monarchæ, & ad quem omnes reſpiciant, teneat locum. Turbatâ etenim Republicâ, in conſiliis moram (quæ ferè conjuncta eſſe ſolet Polyarchiæ) tempora ferre non poſſunt. Qui tamen hoc modo conſtitutus propterea Monarcha nominari nequit. Eſt enim Imperium militare ab Imperio [illegible] jure ſeparatum. *Beſold. claſſ. 1. diſp. Pol. 7. th. 5. & 6.* Hinc Seniores Ghileaditarum pugnaturi contra Ammonitos, cogebantur eligere gravibus conditionibus bellatorem Jephtam, *Jud. c. 11. v. 6.* Sic Græci creabant ſuos Æſymmetas: Romani Dictatores, quibus ſummum Imperium quaſi Regibus quibuſdam ad breve dabatur tempus, quoties periculoſum & grave bellum imminebant, *Liv. l. 2. 3. 6. 7. 22. & paſſim alibi. Alex. ab Alexandro. l. 1. gen. dier. cap. 6.* Apud antiquos Saxones annuus erat per vices Magiſtratus. Quem vero ex Proceribus publico [illegible] bellum illatum, in Magiſtratum deprehendiſſet, [illegible] durante bello Rex conſtituebatur, [illegible] pace mutato, regium nomen pariter deponebat. *Crantz. in Metropoli c. 1. Munſter. in Coſmograph. in deſcr. Germaniæ.* Quod hodiè apud confœderatas Provincias Belgicas fortiſſimus & fortunatiſſimus Heros Mauritius Naſſovicus, Dux & arbiter belli conſtitutus ſit, nemo eſt, qui ignorat. Et notat *Sleidan. lib. 18. com.* ſub ann. 1545. nihil magis obfuiſſe Germaniæ Principibus, contra Carolum V. belligerantibus, quàm quod non ex unius alicujus arbitrio tota res fuerit adminiſtrata, ſed belli conſilia inter Johan. Frideric. Electorem Sax. & Philippum Haſſiæ Landgravium fuerint diviſa.

23. Dem-

23. Democratia eſt, quando penes univerſum populum eſt imperium.

24. Talis Romanæ Reipublicæ facies fuit, cum à Tribunis plebis populi nomine omnia adminiſtrarentur. Hodiè Democratia viget apud Helvetios, maximè montanos: Suitenſes, Uranios, Underwaldos, Glaronenſes & Abbatiſcellanos.

25. Hanc autem formam infimam ac peſſimam eſſe cenſemus, quam nemo Prudentum unquam laudavit. *Ariſt. 4. Polit.* Imò Athenienſium ſtatum, quem omnium, qui unquam extiterunt, popularium laudatiſſimum fuiſſe teſtatur *Plutarch.* improbat vehementiſſimè *Xenoph. in lib. de Repub. Athenienſ.*

26. Si enim populus judicat, non delectu aliquo, aut ſapientiâ ducitur ad judicandum, ſed ſæpè impetu, & quâdam etiam temeritate. Non eſt enim conſilium in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia. Semperq; ea, quæ populus feciſſet, ferenda, non ſemper laudanda. *Tull. pro Planc. & in orat. pro Muren.* Item *pro domo:* In multitudine inconſtantia, levitas, varietas, & crebra, tanquam poteſtatum, ſic ſententiarum mutatio. Riſit ob id Democratiam Anacharſis, quòd ſapientes in eo ſtatu judicanda proponant, ſtulti vero judicent, *Alex. ab Alexand. l. 9. gen. dier. c. 11. Plutarch. de boneſt. diſcipl. l. 1. c. 9.*

27. Nec immeritò vulgus inter beſtias connumeratur à Demoſthene, qui jam exul, & cum lachrymis ad Atticam reſpiciens, dixit: ô Pallas urbium cuſtos, cur tribus infeſtiſſimis beſtiis delectaris, noctuâ, dracone, & populo. *Plut. in ejus vit.*

28. Solenne etiam eſt vulgo, ut bonos odio, ſui verò ſimiles amore proſequatur. Exemplum hujus rei nobis præbet Socrates mulctatus morte, non modò hominum conſenſu, verùm etiam Apollinis oraculo ſapientiſſimus judicatus, *Plut. in ejus vit.* Adverſus nobiles quaſi naturale odium plebis eſt. *Ariſtot. 5. Polit.* cujus adulatores & ductores illos calumniis onerant, contraq; potentes & divites illam excitant, quod exemplis declarat *Jun. part. 1. quæſt. Pol. 5.* Sic & *Plato de Rep. Athen.*

Athen. ubiq; terrarum optimæ cuique parti popularis potentia contraria eſt.

29. Ad propoſitum etiam noſtrum facit feſtivum reſponſum Biantis, quem cum popularis homo inepte interpellaret, ut ſtatum popularem in ſua civitate ſtabiliret: *Fac*, inquiebat, *primùm familiam tuam popularem*, ut refert *Bodin. l.6. de Repub. c. 4. n. 701.*

30. Addimus hic cenſuram *Pauſaniæ* ita commemorantis: Nullam novimus popularem Rempub. magnos habuiſſe progreſſus, Athenienſibus exceptis, qui & præcipuâ quâdam prudentiâ cæteris Græcis præſtiterunt, & ſuas religioſiſſimè omnium leges obſervârunt.

31. Hunc ipſum tamen ſtatum *Athen.* Piſiſtratus evertit, & tyrañide invaſit tandem. *Polyæn. lib. 1.* unde in promptu eſt oſtendere, talem Reip. formam popularem quàm maximè ad mutationes eſſe proclivem. Cujus mutationis cauſa communiſſima aliis videtur eſſe licentia nimia, Magiſtratibus à populo conceſſa, quâ illi facilè abuti, & in tyrannidem convertere poſſunt. *Tholozan. lib. 22. de Repub. c. 2. nu. 4.* Ita etiam Democratia Romana per factiones Syllæ & Marii, Pompeii & Cæſaris in Monarchiam viciſſim abiit, ut ſcribit *Dio in vit. Auguſt.*

32. Commodè hic quærimus de forma regiminis fœminarum, ſeu Gynæcocratia: An ea ſit ferenda & approbanda? quod non, multis juribus demonſtrari poteſt.

33. In jure divino, *Gen. 3. verſ. 16.* Jehova totum genus fœmineum ita alloquitur: Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi. Pauli dictum eſt *1. Cor. 11. verſ. 3* viri caput eſt Chriſtus, mulieris caput eſt vir. *& verſ. 10.* mulier dicitur habere poteſtatem in capite, hoc eſt, velamen, quo teſtatum faciat, ſe eſſe ſub viri poteſtate. Quod ſi itaque privata, ſeu familiæ adminiſtratio fœminis eſt interdicta, multò magis publica ſeu Reipublicæ adempta eis cenſebitur? Si enim id non ineſt, quod magis ineſſe videtur, nec illud inerit, quod minus ineſſe videbitur. Et Deus inter pœnas peccati, & cauſas calamitatum, quibus Hieruſalem & Juda ſe afflicturum minatur *apud Eſa. 3. v. 4.* commemorat etiam effœminatorum

imperium. Sic Olorus Thraciæ Rex Dacos ab hoſtibus victos ad ſempiternam ignominiam & contumeliam uxoribus ſervire compulit. *Juſtin. lib. 32.*

34. In Jure Canonico idem prorſus docetur. Sic enim ſe habet *c. mulierem, cauſ. 33. q. 5.* Mulierem conſtat ſubjectam dominio viri eſſe, & nullam auctoritatem habere, nec docere enim poteſt, neque fidem dare, nec judicare, quantò minus igitur poteſt imperare? *& c. ſeq.* Adam per Evam deceptus eſt, non Eva per Adam, quem vocavit ad culpam mulier, juſtum eſt, ut eum gubernatorem aſſumat, ne iterum fœmineâ facilitate labatur.

35. In jure civili Ulpianus illas ab omnibus civilibus atque publicis officiis remotas eſſe ſcribit, ut nec judicare, nec Magiſtratum gerere, nec poſtulare, nec procurare, nec pro alio intercedere poſſint, *l. 2. ff. de reg. jur. l. cùm prætor 12. §. 2. de judic. l. pen. de edend. l. 1. §. 1. ad Vellej. l. 1. §. 5. de poſtuland.* Et Papinianus fœminarum conditionem in multis juris articulis deteriorem, quàm maſculorum eſſe teſtatur. *l. in multis. 9. ff. de ſtat. hom.* Mulieres olim in perpetua patrum, maritorum, aut proximorum tutelâ fuêre, ut nullos actus legitimos ſine auctore facere poſſent. *Demoſthen. in orat. adverſus Nearam. M. Cato in orat. ad populum, pro lege Oppia. Cic. pro L. Flacco & pro Muren. Boet. in Top. Cujac. lib. 7. obſ. cap. 11.* Quod etſi poſteà obſoleviſſe apparet ex *l. virum. 14. & mulieri 15. §. 1. ff. de curat. furioſ.* hodiè tamen apud Saxones idipſum jus receptum eſt, ut mulier, quamvis adulta, in tutela & cura ſit mariti. *Fachſ. differ. 8. per art. 45. lib. 3. Weſenb. in Parat. de cur. fur. nu. 5.*

36. Ex jure naturali fœminas viris eſſe ſubjectas, teſtatur *Ariſtot. lib. 1. Polit. c. 8.* dicens: Mas eſt quiddam imperio natum, fœmina autem ad parendum. Et *Plato*, qui aliàs muliebrium virtutum inſignis eſt admirator, viros tamen fœminis, tanquam cuſtodes præfecit, *lib. 5. de Repub.* Quod ſi enim uxor dominetur, & maritus vincatur, pax perverſa eſt: Si autem marito dominanti uxor ſubjiciatur, pax recta. *Auguſtin. in Pſal. 143.* Nec non *Euripid. in Andromach.*

Haud

Haud ulla una ſalva mānſit unquām familia, partes priores uxor in quâ geſſerit.

Spectat huc jocoſa cujuſdam allegoria de dominatu uxoris: Non placet mihi domus, in quâ gallina cantat, gallus tacet. Neque omnes mariti Socratem induere poſſunt, qui rogatus ab Alcibiade, cur uxorem tàm moroſam, acerbam, & jurgioſam domo non exigeret? Quoniam, reſpondebat, cùm illam domi talem perpetior, inſueſco & exerceor, ut cæterorum quoque foris petulantiam & injuriam faciliùs feram. *Gell. lib. 1. Noct. Attic.*

37. In Lacedæmonios olim jactari conſueverat, *ut tandem ſervi fiant:* quia mulieres viris ſuis dominari eſſent ſolitæ, & hi illas heras appellaſſent, *Ariſt. 2. Pol. 7. Plut. in Lyc. & apophteg. Lacon.* ſalsè quoque Themiſtocles Athenienſes, ait, imperant Græcis, Themiſtocles: Athenienſibus, uxor Themiſtocli, uxori autem filius, *Plut. in Them. & Græc. apophi.* Et *Cato:* Nos imperamus hominibus cunctis, uxores nobis.

38. Præterea alii fœminas à gubernatione Reipublicæ arcent. 1. Propter imbecillitatem ſexus, ſicut *D. Petrus epiſt. 1. cap. 3. v. 7.* mulierem vocat infirmius vaſculum. 2. Ob inconſtantiam: Nam ut Poëta canit: Nulla diu fœmina pondus habet. In Proverbio Germanico dicitur: Sub longis veſtibus fœminæ occultant brevem animum, id eſt, brevi intervallo mutabilem. Latini mulieris animum adagii loco uſurpant pro inconſtanti, & facilè mutabili. *Eraſm. in Chiliad.* 3. Propter exiguum judicium & invalidum conſilium. Quæ ratio eſt, ut Martianus Minervam prudentiæ Deam ſine matre eſſe ſcribat, quòd ſcilicet prudentia in fœminis non ſit. Facit huc *Mimi Publicani* ſententia: Malo in conſilio fœminæ vincunt viros. Suffragantur Impp. Honorius & Theodoſius, quorum vox eſt, fœminarum conſilium plerumque adverſus propria commoda laborare, *in l. 4. C. de Sponſal.*

39. Referuntur & alia hujus ſexus vitia, quod non imbecillis tantùm & impar laboribus, lubricus, deceptu facilis, ſed libidini etiam ſit deditus, & ſi licentia adſit, ſævus, ambitioſus, idque multis hiſtoriarum exemplis tàm ſacris

quàm profanis demonſtratur. Athaliæ, *2. Reg. ib.* Jeſabelis *1. Reg. 21.* Vaſtidis. *Eſther. c. 1.* Semiramidis, Reginæ Aſſyr. Joannæ Neapolitanæ, Conſtantiæ Neapolitanæ, &c.

40. Denique in verſibus Sybillinis recitatis à *Tholozano lib. 7. de Repub. c. 11. n. 5.* pro indicio extremæ ſubverſionis ſeculi affertur unius viduæ regnum circa finem mundi.

41. Et ſic hactenus perſpicuum fecimus, fœminis portam ad Magiſtratus honores, officia, cœtus & actus publicos eſſe præcluſam: quam tamen alii ipſis aperiunt, & pro imbecilli ſexu afferunt tela non imbellia, ut loquitur *Lipſ. l. 2. Pol. c. 3 & Caſus in Sphær. civit. l. 1. c. 3.* inquiens: Natura fœminam ſæpè ſolertem, induſtria literatam, & educatio piam, experientia ſapientem fecit. In medium adfert Sabam, quæ inſigni ſapientiâ: Corneliam, quæ multiplici rerum cognitione: Artemiſiam, quæ rarâ fortitudine: Suſannam, quæ mirâ caſtitate ipſos viros ſuperarint. Et *Jun. p. 1. q. 13.* Inventæ ſunt fœminæ, etiam adhuc inveniuntur non paucæ præclarè inſtructæ paratæq; ab ingenio, prudentiâ, doctrinâ, animi magnitudine, gubernatione dignæ: graviſſimis in negotiis ab hominib. laudatiſſimis in concilium adhibitæ. Nec non *Tac. 6. annal.* Inveniuntur ſæpè fœminæ, quæ virilibus curis fœminarum vitia exuerunt. Quin *Socrat. in Sympoſio Xenophontis:* Ex permultis, ait, colligere licet, muliebre ingenium nihil eſſe quamcunque ad rem ineptius virili.

42. Nec deſunt exempla prudentiſſimarum fœminarum, Heroinarum, & muliebris imperii feliciſſimè adminiſtrati in hiſtoriis tùm ſacris, tùm profanis. In ſacris notiſſima eſt Debora, quæ judicavit populum. *Jud. 4. v. 4. & 5.* Regina Saba venit ad tentandum Salomonem Regem ſapientiſſimum in ænigmatibus, & ad explorandam ejus ſapientiã. *1. Reg. 10. v. 1. 2. Paralip. 9. v. 1.* Judithæ virtus omnibus ſeculis deprædicanda. *Judith. c. 13.* In profanis ſeſe offert Joanna Regina Siciliæ, quam *Angelus ad l. 2. ff. de reg. jur.* in ſolo regio ſedentem, ſententiamq; contra dominos de Balſo ferentem ſe vidiſſe ait. Eliſabetha Anglica, linguarum & artium peritiſſima, diutiſſimè & feliciſſimè imperavit. *Meteran. lib. 20. Hiſt. Bello Belgic.* Olao Daniæ, Sueciæ, & Norwegiæ Rege ſine

prole

prole maſculâ defuncto, hujus uxor Margaretha, Waldamari Regis Danorum filia, tria illa Sceptra mirâ prudentiâ & juſtitiâ memorabili gubernavit. *Munſter.lib.4. Coſmograph.* Sic Ungaria anno Chriſti 1383. Mariam filiam Ludovici I. Regis Hungarorum & Polonorum poſt obitum patris non ſolùm in Reginam, ſed & Regem Hungarorum coronavit. *Anton. Bonfin. decad. 2. lib. 10. rer. Ungaric.* Altera ejuſdem Ludovici filia Hedwigis, Poloniæ regnum ſortita eſt. *Bonfin. ibid. Alex. Guagninus tom. 1. rer. Polonic.* Sed & Hiſpania, Luſitania, Caſtella, Neapolis, Scotia, fœminas ad Principatum admittunt.

43. Nec imperio ſolùm, ſed & bello celebres, in tractandisq; armis fœminæ adeò alacres leguntur, ut viros etiam audaciâ & fortitudine multum anteirent: quales fuere Amazones, Scythiæ fœminæ, gubernatrices & bellatrices inſignes: Tomyris Maſſagetarum Regina *Herod. lib. 1.* Artemiſia Regina Halicarnaſſi. *Herod. l. 7. Juſtin. lib. 2.* & aliæ.

44. Catalogum tamen fœminarum Heroicarum, quas ex univerſali hiſtoria producere licet, non moratur *Arniſa. lib. 2. de Repub. c. 2. ſect. 12. n. 86.* partim quia paucæ ſunt, ſi comparentur ad infinitam copiam reliquarum: partim, quia naturam divino quodam afflatu ſuperarunt. Quæ verò rarò accidunt, non debet curare legiſlator *l. 5. de legib.* nec regula conſtituitur ex iis, quæ fiunt per accidens, & ex cauſa ſupernaturali.

45. Nos verò totam controverſiam determinamus ita: Regula eſt, quòd mulier ad Magiſtratus ſeu Principatus admitti non debeat. Idcoque regulariter, ordinarie, ex lege & per ſe, ob datas ſuprà rationes, ab imperio eſt arcenda. Datur verò exceptio à regula (propriè enim non eſt regula, quæ non patitur exceptionem: Imò ineptum eſt, regulam non fallere, ſi æquitas ſubſit. *Eberhard. à Midaelburg. in Top. legal. loco ab except. ad regulam, per gloſſ. not. in Auth. ut ſine prohib. mat. debit. & cred. ſuper verbo, æſtimavimus*) ſeu, ut loquitur Paulus JC. *in l. 1. ff. de reg. jur.* regula officium ſuum perdit. 1. Quando ſpecialis conditio Regnorum ea eſt, ut Regni Anglici, Scotici, &c. Ubi antiquo ſubditorum conſenſu fœ-

minæ ad gubernacula admittuntur. 2. Si Regnum ad fœminam jure & ſucceſſione hereditariâ devolvatur. Nam tunc fœmina eſt capax juriſdictionis, ſive ea feudalis ſit, ſive allodialis. *Dec. conſil. 498. nu. 21. conſil. 32. in fin. & in l. fœminæ. n. 3. ff. de reg. jur.* ubi *Cagnol.* plura cumulat *n. 3. Kirchn. l. 3. de leg. c. 4. n. 199.* 3. Si ἀνδρεία in fœminas cadat, ſi virtute, heroica prudentiâ, intellectu & ſcientiâ rerum etiam viros ſuperent, quales multas audivimus & legimus. Ita Pontifex Innocentius III. *in cap. 4. dilecti. de arbit.* fœminis heroicis & præcellentibus ordinariam in ſubditos concedit juriſdictionem.

COROLLARIA.

I.

STatus Reipublicę mixtus & temperatus, ex Ariſtocratia & Democratia eſt, in quo optimates ita imperant, ut ſimul quoq; imperii ſit particeps populus. Et hodiè urbes pleræq; iſtâ reguntur formâ: proinde Stadtregiment *poſt Keckerm. lib. 2. ſyſt. Polit. c. 5.* vocat *Dn. Beſold. claſſ. 1. diſp. Pol. 7. th. 23.*

II. Status mixtus mutationibus minùs eſt obnoxius, ut præter alios *idem Beſ. ſtatuit claſſ. 1. diſp. 9. th. 15.*

III. Quæritur: An Turcarum Imperator ſit Monarcha? Sunt, qui affirmant, ſunt, qui magnificum nomen Monarchæ ipſi denegant. Nos imperiũ ejus veriùs dominatum dicemus.

IV. Tur-

IV. Turcarum Imperator omnium Impp. ter maximum ſe appellat, cujus ſtemmata quadruplici B. conſtant, quibus hæc verba ſignificantur: βασιλεὺς, βασιλέων, βασιλεύων, βασιλεύουσι. Qui titulus eſt vaniſſimus.

V. Fœmina regulariter excluditur à feudis, iis de cauſis, ob quas à regnis & Principatibus, quarum in ſpecie quinq; vulgò recenſentur ab Interpretibus juris feudalis. 1. Militia, quia arma ferre non poteſt fœmina. 2. Honeſtas publica, quæ non patitur fœminas intereſſe virorum cœtui, & maximè illuſtrium perſonarum. 3. Fragilitas conſilii, quia non eſt apta ſolidis conſiliis. 4. Lubricitas voti, quia ter mutatur in hora. 5. Periculum Secreti, quia neſcit ſecreta retinere, quæ omnia ſunt diſcrepantia à natura feudi, ut not. *in c. 1. de nov. form. fidel. Sonsbec. de feud. part. 9. n. 120. Jacobutius de Franchis in epit. feud. t. 1. de his qui feud. dar. poſſ. Curtius de feud. p. 3. n. 1.* Has tamē cauſas non niſi tres in effectu eſſe aſſerit *Vult. l. 1. de feud. c. 4. n. 3.* Prima eſt, quia feuda dantur ob ſervitia militaria, quæ mulier obire non poteſt. *gloſſ. in c. hoc a. notandum. verb. à ſucceſſione. de his, qui feud. dar. poſſ.* Altera deſumitur ex jurejur. ſive fidelitate, q̃ Vaſallus præſtare tenetur domino: de quâ *in*

c. 1.

c.1.de form.fidel. Et hanc rationem non finalem, ſed impulſivam cum Iſernia vocat. Cujus inter cætera etiam hæc ſunt capita, q; Vaſallus domino ſuo bonum conſilium præbere velit: at mulieris conſilium eſt infirmum & fragile: q; Vaſallus domini ſecreta revelare nolit, quod admodum difficulter præſtari à fœmina, teſtis eſt experientia; deniq; quòd conſtanter domino ſuo adhærere velit, quod vix eſt, ut mulieris naturæ, quæ mutabilis eſt, conveniat. Tertia ratio eſt honeſtas publica, quæ non patitur, ut mulier virorum cœtui ſeſe immiſceat.

VI. Conſuetudo illa feudalis nititur. 1. Jure naturali. Siquidem ſexus maſculinus naturâ honoratior eſt fœmineo, *arg. l. cum pater. §. pater pluribus. ff. de legat.* 2. & per maſculos familia conſervatur: Per fœminas autem familia paterna finitur. *l. 195. §. ult. ff. de V.S. cum ſim.* 2. Auctoritate Scripturæ S. *Num. c. ult. v.* 7. 8. & 9. & approbatur non ſolùm in Germania, *Joh. Fich. conſ.* 3. *n.* 8. & 20. *lib.* 1. Italia, *Albert. Brun. de ſtat. exclud. fœm. art.* 1. *n.* 12. *P. Gregor. Thol in Syntag. jur. univerſ. l.* 45. *c.* 13. *n.* 5. & aliis in regnis: Sed etiam in univerſa Aſia & Africa, ſi credimus *Bodino lib. 5. de Rep. c. 2.*

DISP. VI.

DISPUTATIO VI.

DE

STATU IMPERII Romani, & Imperatore: ejusq; Electione & Coronatione.

Publicè Reſpondente

GEORGIO GEWOLFIO, RATISBONENSE.

THESIS I.

HActenus de Republica, ejusq; cauſis & formis à nobis fuit actum: nunc ſermonem inſtituemus de forma & ſtatu Imperii noſtri Romano-Germanici, de quo conflictus eſt Politicorum acerrimus, quem alii Monarchicum, alii Ariſtocraticum: alii rurſus ſtatum quidem Monarchicum, ſed gubernationem Ariſtocraticam eſſe contendunt.

2. Monarchicum qui dicunt, moventur potiſſimùm infallibili Danielis Prophetiâ, totius orbis gubernaculum à diluvio ad finem uſque mundi in quatuor Monarchias ſeu Imperia principalia dividente, *c.2.* per ſtatuam. *& c.7.* per quatuor animalia de terra ſurgentia. Et per arietem & hircum. Et quidem ipſo Prophetâ interprete, aureum ſtatuæ caput & beſtia prima, Regnum Babylonicum denotat. Pectus, bra-

thiaque argentea, cum beſtia altera, & ariete bicorni Regnum Perſarum & Medorum: Ad hæc venter, fœmora ænea, animal tertium, ſicut & hircus unicornis, Imperium Græcorum: Tibiæ ferreæ, & animal quartum Romanorum Monarchiam: At pedes mixti & fictiles diviſionem ejuſdem depingebant.

3. Monarchici Imperii argumenta ex ritu & ſolenni inauguratione Cæſaris *apud Sleid.* tùm etiam ex jure Majeſtatis & Regalium majorum peti poſſunt. Quæ verò illa inquis? Scilicet, quòd Imperator Germanus magnificâ oratione ſacræ Majeſtatis à Principibus ſalutatur, quòd ſceptra, Regale ſolium, corona, pallium Regale, pomum, quod orbis figuram repræſentat, ipſi dantur. *Sleidan. libr. 2. comm. fol. 47.*

4. Inſuper Germaniæ Principes ſunt Vaſalli ligii & fiduciarii Imperatoris Romano-Germanici, ab eodem inveſtituram accipiunt, Imperatori fidelitatem promittunt, fiduciaria obſequia præſtant: quos Imperator non tantùm Imperii, ſed & ſuos fideles vocat: de Regalibus Imperii feudis ſolus Imperator cognoſcit; ab eodem ad alium ſuperiorem non conceditur appellatio.

5. Quin Majeſtatis ſeu Regalium majorum dignitates à ſolo Imperatore dependent. Solus Imperator poteſt Regales dignitates conferre, creare Reges, (quod Regem non poſſe, aſſerit *Kirchner. in orat. de ſtat. Imp. Rom. & de Republ. diſp. 2. th. 5. ad lit. d.* cùm Reges quoad Regiam dignitatem inter ſe pares ſint: Regem verò qui creare velit, Rege omninò majorem eſſe neceſſe ſit) Electores, Archiduces, Duces, Principes, Comites Palatinos, Marchiones, Landgravios, Burggravios, Comites, Barones, quibus & Regalia feuda confert. *c. 1. quis dica. Dux, Com. vel Marchio, ubi Alvarot. n. 2. Afflict. n. 1. & 2. Zaſ. part. 5. de feud. n. 11. Vult. de feud. l. 1. cap. 5. nu. 7. Sixtin. de Regal. lib. 1. c. 2. n. 23.* Quò enim major & ſublimior Reipub. Majeſtas, eò majores etiam ejus Reip. ſummus creare poteſt. *Kirchner. d. l. de Repub.* Et tantò quis major & illuſtrior, quò majoribus & illuſtrioribus præeſt. *Novell. 15. c. 1. in fin. Andr. Knich. de ſublim. & Reg. territ. cap. 1. nu. 2.*

Fit

Fit autem illa collatio honoris vel mediatè, vel immediatè. *Claud. Seyſſel. in ſpec. feud. rubric. qui feud. dar. poſſ. Roſenthal. de feud. c. 5. concluſ. 2. n. 4.* Nobiles. *Dd. in l. 1. ff. de natal. reſtit. Bart. & alii in l. 1. C. de dignit. Tiraquell. de nobilit. cap. 6.* Imperator enim quem vult, nobilitat, *idem Tiraquell. c. 5. Jaſon in l. omnium 19. C. de teſt.* eosque propriè nobiles dici cenſet. *Alvarot. conſ. 22.* quos Princeps nobilitat. Etſi autem nobilitandi Jus Imperatoriæ Majeſtatis ſit liberrimum, ut uno verbo poſſit Ducem & Comitem, nedum nobilem creare, ut ſentit *Kirchn. d. diſp. 2. auct. 5.* niti tamen probabilibus rationibus collationem dignitatis debere, ſcribit. Quæ licet in Principe regulariter præſumantur, *c. ſi quando. §. fin. de Reſcript. Geil. 2. obſ. 58.* non tamen itidem in iis, quæ facto conſtant, *ex Dec. conſil. 198. Alex. conſil. 49.* Comites Palatinos. *Roſenthal. d. l. Ferrar. Montan. lib. 5. de feud. c. 7.* Tabelliones ſeu Notarios. *Paris de Puteo in tract. de Syndic. in verb. de exceſſ. Baron. erga ſubdit. c. 1. n. 9. & 13. Borcholt in explic. c. 1. quæ ſint Regal.* Doctores. *Sixtin. d. c. 2.* ubi refert Lancellottum Laudenſem & Afflictum, dicentes id in Imperatore adeò verum eſſe, ut uno etiam verbo Doctorem creare poſſit. Licentiatos & Magiſtros *idem Sixtin. nu 29. & 32.* Quamvis autem dignitas illa & poteſtas renunciandi Doctores, Licentiatos, Magiſtros, Notarios, & Poëtas ſit de reſervatis Imperatori: tamen ob longinqua itinera, & difficultatem conveniendi, ex ſingulari privilegio, & aliis, ut Comitibus Palatinis illa fuit conceſſa, *Matthias Stephani de juriſdict. Imper. Rom. lib. 2. part. 1. c. 1. membr. 2. n. 67. & 68.* Solus etiam Imperator poteſt Academias conceſſis privilegiis conſtituere. *Vult. d. l.* id quod uſus paſſim in Germania teſtatur, ad quarum conſtitutionem, ſi Imperatoria privilegia adſint, Pontificia coronatio non eſt neceſſaria; ut demonſtrat *Kirchner. dict. diſp. 2. append. 4.* Leges item univerſales ferre. *§. ſed & quod Principi placuit. Inſtit. de jur. nat. gent. & civil. l. 1. ff. de conſtit. Princ. l. 3. & Vult. C. de legib.* eaſdemq; interpretari. *l. 21. ff. de legib. l. 9. & ult. C eod.* ſpurios item per reſcriptum legitimare valet Imperator. *Novell. 89. c. 9. l. 3. & tot. tit. ff. de natal. reſtit.* famæ & honoribus reſtituere. *l. 1. §. 10. ff. de poſtuland. l. 1.*

& ibi Dd. C. de ſentent. paſſ. veniam ætatis concedere, *l. 1. & 2. C. de his, qui ven. ætat. impetr.* His, quid pro Monarchica dignitate (temperata tamen) dici poteſt clarius? Contentioſiſſimè diſſentit *Bod. in meth. Hiſt. c. 7. & lib. 1. de Repub. c. 8. n. 87. lib. 2. cap. 6. nu. 223. 224. 225. lib. 5. cap. 6. nu. 582.* argumentis tàm ex qualitate quàm ex quantitate Imperii, quæ ſuo loco erunt examinanda.

6. Imperator, ſive Cæſar, ſive Auguſtus *à Tobia Paurmeiſtero lib. 2. de juriſdict. Imp. Rom. c. 4. nu. 6.* definitur, qui ſecundùm conſtitutionem Carolinam legitimè electus eſt. *Aur. Bull. tit. 2. de elect. Regis Roman.* Quæ definitio, ſi fortaſsè cuipiam non ſatisfaciat, quia alia eſt quæſtio, quomodo Imperator eligi debeat, alia quid ſit, definiam ſeu deſcribam ita: quod Imperator ſit ſupremus Princeps, qui ſummæ rei Romanæ præeſt.

7. Dicitur Imperator à ſumma poteſtate imperandi, quod omnibus ſubjectis Romano Imperio imperat, & ſuperiorem in temporalib. non recognoſcit *Bald. in Proœm. Cod.*

8. Antiquitùs Imperatores dicebantur, qui exercitui præerant, ſive Conſules, ſive Proconſules, ſive Prætores, ſive Dictatores, ac generaliter omnes Duces Belli, *§. ſervi autem. Inſtit. de jur. perſon. & ibid. Theophylus.* Imperatores τῶν πολέμων ἡγεμόνας interpretatur, reque benè geſtâ, & aliquot militibus externorum hoſtium proſtratis, conſequebantur, ut primùm à Senatu, deinde ab exercitu, honoris causâ *Imperatores exercitus* dicerentur, *Dio Caſſ. in vit. Auguſt. Onuphr. Panvin. de Comit. Imperat. c. 3. in fin.* Poſteà nomen Imperatoris translatum eſt ad ſignificandam ſacroſanctam Romani Principis dignitatem. Hodiè verò Imperatorem fieri dicimus, qui Septemvirorum Germaniæ noſtræ ſuffragiis & conſenſu ad Chriſtiani populi Monarchiam evehitur. *Mynſing. ſuper. Proœm. Inſt. n. 2.*

9. Fuere & *Auguſti* nomine inſigniti Imperatores Romani, quod Octavianus primùm accepit à Senatu, quia magno ſucceſſu & felicitate in rebus agendis utebatur.

10. Non eſt autem eadem mens Doctorum circa etymon vocis Auguſti. *Accurſius ſuper Proœm. Inſtit.* Auguſtum

ab

ab augendo dictum eſſe putat, quod Imperium augere, non minuere debeat, & adhuc hodiè Imperatores hoc titulo utuntur: Allezeit Mehrer des Reichs / ſemper Auguſtus. Auguſtus tamen, inquit *Schneidwin. ad Rubric. Inſt. n. 7.* propriè ab augurio dicitur, quaſi ſacer, veneratione dignus, fortunatus, & bonis auguriis conſecratus, *juxta Ovid. l. 1. Faſt.*

Sancta vocant auguſta Patres, auguſta vocantur.
Templa, Sacerdotum ritè dicata manu.

Et *Matthias Stephani d. l. memb. 1. n. 18. & ſeqq.* quod quidam, ait, Imperatorem vocant Auguſtum, ab augendo Imperio, generale hoc eſt. Auguſta enim ſunt, quæ honore digniſſima ac ſacratiſſima ſunt, unde & Græci Auguſtum ὅσιον Σέβαςον, *Act. 25. & 27.* quaſi divinum, honore majorem, majeſtatisq; plenum interpretati ſunt. *Dion. lib. 43. Sueton. in Octav. Aug. c. 7.* Sed & *Mynſing. nu. 26.* Accurſium utpote antiquitatis ignarum redarguit, & ſciendum eſſe inculcat, quod cum veteres omnia ab auſpiciis ſive auguriis inciperent, hoc eſt, ab avium volantium ſpectatione, ipſarumvè garritu, putantes ſe ita intelligere, quid faciendum utiliter, quidvè fugiendum ob perniciem futuram eſſet: factum eſſe, ut Auguſti appellarentur Imperatores, quaſi religioſâ veneratione ac obſervatione digni, & bonis auguriis admodum profuturi Romanæ ditioni gubernandæ. Alii quoque recentiores Auguſti vocem pro ſancto Augurio conſecrato, Jovis ope aucto accipiunt, *ex Suetonio in Veſpaſiano, & Lampridio in Alexandro Severo,* Auguſtosq; poſteà dictos ſcribunt, qui rerum potirentur.

11. Cæſares ab Auguſtis & Imperatoribus in Imperio Romano fuêre cooptati, ut quaſi Auguſtorum filii, atq; deſignati heredes, ſucceſſoresvè Imperii eſſent, ut hodiè apud nos Reges Romanorum. Sic itaque *Cæſaris* nomen & dignitas Imperii tantùm certam ſucceſſionem ſignificavit: *Auguſti* verò certam poſſeſſionem, ut qui ante Imperium Cæſares, mox eo adepto Auguſti dicerentur. *Spart. in Æl. ver. Panvin. d. c. 3.* Sic Auguſto Tiberius, Tiberio Cajus, Claudio Nero ſucceſſerunt: qui omnes ex Cæſarum gente, ratione

adoptionis fuerunt. Hoc modo accipitur vox Cæſaris in *l. 6. §. fin. ff. de jure fiſci, & l. 7. C. de maleſic. & Mathemat.* ut etiam in inſcriptionibus legum, quando Augusti & Cæſares, vel Auguſtus & Cæſar unà reſcripſerunt, ſemper capitur. *Hieron. Balb. in lib. de coronat. fol. 36. & 41. cum ſeq.* Hodiè verò non attenditur illud diſcrimen inter Imperatorem, Auguſtum, ſive Cæſarem, ſed qui nobis eſt Imperator, idem & Cæſaris titulo gaudet.

12. Appellati autem ſunt Cæſares à primo Imperatore Julio Cæſare: quemadmodum Ægyptii Reges priſci Pharaones, & poſteriores à Ptolomæo Ptolomæi, Reges Ponti Mithridatę, Reges Palæſtinæ Abimelechi, Reges Parthorum Arſacidæ, Latini Murani, Albani, Sylvii, Hungarorum Cachami: Danorum Skyoldungi: Turcorum Othomanni cognominabantur ab Othomaño primo. *Al. ab Alex. l. 1. gen dier. c. 2. Gr. Tholoz. l. 25. de Rep. c. 10. & l. 18. Syntag. jur. univ. c 2. n. 11.*

13. Unde verò primus hujus nominis auctor Cæſar fuerit dictus, non omnium eſt eadem mens & ſententia. Pleriquè à cædendo illum ita dictum putant, quod cæſo matris utero eſſet natus. Sed horum inanem eſſe conjecturam, ſcribit *Cuſpinianus in vit. Julii Cæſaris*, ex eo, quòd ipſe matrem Aureliam àmiſerit, cùm bellum Gallicum gereret. Id autem primò fortè huic eveniſſet, ait, qui hoc nomen ſortitus eſt: quod *Plinius lib. 7. Hiſt. Nat.* Scipioni Africano tribuit. Alii rurſum aliam hujus vocis etymologíam tradunt, & Cæſaris nomine primum, quiſquis is fuerit, inſignitum eſſe dicunt, vel quòd oculis fuerit cæſiis, hoc eſt, glaucis, vel à Cæſarie, quâ natus dicitur. Sed hæ derivationes ad propoſitum nihil. Quare Romanorum antiquiſſimorum & Hiſtoricorum aſſcribam: Sic verò *Carolus Sigonius in lib. de nominib. Romanor.* Cæſar, Juliorum cognomen fuit: de quo alii aliter tradiderunt. Amicus meus in libro de nominibus ita: Illud non prætermittam, Cæſarem non ab utero cæſo dictum, quod multis video placere, ſed quod ait Servius & Spartianus, ab Elephanto primùm cæſo. Nam linguâ Punicâ Cæſar Elephas dicebatur. Quare in quibuſdam argenteis nummis apud me videre eſt, ab altera parte Elephantem cum hac in-

ſcriptione

ſcriptione, *Cæſar*: ab altera autem inſtrumenta, quibus Elephantos Romani perimebant.

14. Ab hoc ergò Julio, auſpice Imperii, Cæſaris titulus & nomen in Auguſtum ejusq; Succeſſores translatum, Imperatoriæ Romanæ dignitatis proprium eſt, juxta effatum Juſtiniani *in Præfat. Novell. 30.* Cæſar ſummo orbis terrarum arbitrio, quod nos obtinemus; bonum dedit principium: quâ etiam de cauſa apud omnes terræ populos nominatiſſimum Cæſaris nomen eſt, & nos præter omnes alias Imperatoriæ majeſtatis notas eo gloriamur. Videri etiam poteſt *Matth. Stephan. de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 2. n. 1. 2. 3. 4. & 5.* Ab aliis itaque Regibus & Principibus ſine ſacrilegio uſurpari titulus Cæſaris non poteſt. *Kirchner. de Repub. diſp. 8. coronid. 8.* Hæc de nomine Imperatoris, Auguſti, & Cæſaris.

15. Imperatoris electio legitima illa dicitur, quæ ex lege Imperii fit ab Electoribus, vel majori eorum parte in Imperiali civitate Francofurtenſi ad Mœnum; quæ etiam ante legem Carolinam electioni celebrandæ fuit deputata, *teſte Wimphelingo in Epit. rer. German. c. 44.*

16. Electio debet eſſe libera, talis ſcilicet, quæ eſt boni viri, ex vera liberrimi animi ſententia, quæ ſibi perpetuò ob oculos poſitam habet Reipublicæ utilitatem cum honeſtate conjunctam. Utque ſuffragia Procerum ſint libera, id eſt, nec coacta ab eo, qui eligi vult, nec muneribus aut blanditiis corrupta, monet etiam *Keckerm. lib. 1. ſyſt. Pol. c. 4. fol. 188.* Nam, inquit, rationibus & argumentis agendum eſt, non autem affectibus, qui ſemper ſunt peſſimi Conſilarii: Et, ubi non eſt libertas, ibi nec electio eſt, neque eligi poteſt is, qui ſeipſum obtrudit, aut artibus quibuſdam atque obreptione Regnum invadit. Quare Electores ex præſcripto Aureæ Bullæ *tit. 2* jurare tenentur, ſe ſecundùm omnem diſcretionem & intellectum electuros eſſe Regem Romanorum in Cæſarē promovendum, qui ad hoc exiſtat idoneus: ſeq; vocem ſuam & votum daturos abſque omni pacto, ſtipendio, precio, ſeu promiſſo, vel quocunque modo talia valeant appellari.

17. Dignitas autem Reipublicæ & utilitas metienda non

non tàm externis Principis bonis, neque reſpectus major habendus ad divitias, ad potentiam, & antiquitatem generis, quàm ad eas animi facultates ingeniiq; vires, quæ primariò ad gubernationis felicitatem requiruntur, *juxta Tholozan. lib. 7. de Repub. c. 16. & 17.* & conſilium Friderici Sapientis, Electoris Saxonici, quod in hanc ſententiam protuliſſe in conventu Electorum deprædicatur: Non eſſe in legendo Imperatore rationem habendam divitiarum, non eſſe familiæ potentioris, ſed potiùs earum virtutum, quas Imperii adminiſtratio in Principe maximè deſideret: eſſe verò, licet electus minoribus opibus & facultatibus ſit, communi auxilio & ſubſidio, apum exemplo, quæ regi ſuo alimenta comportent, ne viris & viribus ullis deſtituatur, juvandum. *Kirchner. de Repub. diſp. 4. th. 3. ad lit. b.*

18. Quamvis autem electio illa Septemvirorum ſit libera, non tamen eſt voti liberi de quacunque perſona, quam Reipub. utilem & gubernatione dignam judicaverint, ſed reſtricti ad certum perſonarum genus, ne alienigena & peregrinus eligatur, ſed ſanguine & origine ſit Germanus, ex lege Imperii fundamentali, quam ab Ottone III. Imp. conſtitutam teſtantur *Irenicus exeg. German. l. 3. cap. 33. Mutius de reb. German. l. 14. Heigius part. 1. quæſt. 5. Cuſpinianus, & Octavius de Strada, de vitis Impp. in Othon. III.* Unde Elector Moguntinus Albertus, in Hiſtoria de electione & coronatione Caroli V. *apud Sleid. lib. 1. com ſub ann. 1519.* diſſuadens coëlectoribus electionem Franciſci I. Regis Gallorum, vehementiſſimè Imperium Romanum ambientis, inter cætera, hoc adducit: De Gallo arbitror, non impediri noſtris legibus & jurejurando. Eſt enim disertè conſtitutum, ne extero, ſed Germanico Principi Imperium commendemus, ne hoc tantùm decus ad exteras nationes transferatur. Etſi enim nihil de arcendis exteris Aureæ Bullæ conſtitutio loquatur, antiquiſſimæ tamen illius legis auctoritas à Moguntino Electore fuit adducta, & pervetuſta Germaniæ conſuetudo. Huc uſque enim nemini exteræ nationis ad Imperialem dignitatem aſcendere licuit in Imperio Germano, cùm tanto tempore omnes Imperatores fuerint Germani. Quo ipſo

ipſo etiam videtur præſcriptum, ut omnes deinceps debeant eſſe Germani. Cui ſententiæ accedunt non quintæ claſſis Doctores. *Petrus de Andlo in tract. de Imp. Rom. l. 2. c. 3. Heig. d. l. nu. 6. & ſeqq. Hennig. Gaden: conſil. 1. q. 2. Bald. in c. venerabilem, de elect. nu. 5.* Exiſtimat ſanè *Fulvius Pacianus l. 2. de probat. c. 35. nu. 50. & ſeq. & Gregor. Tholozan. l. 7. de Repub. cap. 15.* in memoriam priſtinæ poſſeſſionis Gallum cum Germano in electionis calculo concurrere poſſe, ſed huic quæſtioni fauces eſſe præcluſas in ambitu Franciſci I. Regis Galliarum, rectè tradit *Kirchner. d. l. ad lit. C.*

19. Duo ſanè iſta Regna, Italiæ atque Franciæ, auſpiciis Caroli M. occidentali Imp. Romanorum ita fuerunt inſerta, ut cum Germaniæ Regno, cui ſedes & honos Imperii conceſſus, unum corpus Imperii efficerent, idq; eo modo, teſtamento etiam Caroli M. (in cujus magnifica perſona Imperium Rom. à Græcis translatum eſt ad Germanos, ut ipſe Pontifex veritate convictus, affirmavit & confirmavit *in cap. venerabil. ext. de Elect.*) Atq; hoc jure diutiſſimè tria illa Regna unita fuêre, licet peculiares Reges Gallia, & Principes plures Italia ſalutaverit, ſummisq; immunitatibus & privilegiis utrumq; Regnum donatum fuerit *Kirchn. de Repub. diſp. 2. theſ. 5. ad lit. b.* cujus juriſdictionis antiquæ, in iſtis Regnis per Cæſarem adminiſtratæ, in titulis Archicancellariorum Italiæ & Galliæ: Archiepiſcopi ſcilicet Trevirenſis per Galliam, & Regnum Arelatenſe; Colonienſis verò per Italiam, veſtigia extant. *Onuphrius Panvinius in tract. de Comitiis Imperatoriis c. 6. & 89. circ. fin. Heig. part. 1. q. 3. num. 50. Paurmeiſt. lib. 2. de juriſd. Imp. Rom. c. 4. nu. 52.* Quam Cancellariorum magnorum Imperii Inſtitutionem paulò antè, vel potiùs circa primi Ottonis Imp. tempora, exortam fuiſſe, ex ipſorum Imperatorum privilegiis, vel diplomatibus publicis ſe obſervâſſe, aſſeverat *Panvin. loc. alleg.* quorum multa habeat exemplaria, ex ipſis archetypis, per varias terræ Italiæ urbes conquiſitis. Juriſdictionis verò juriumq; uſum in utroque Regno uſque ad Friderici II. mortem viguiſſe, auctor eſt *idem Panvin.* ex quo tempore roſa Francica avulſa, Italiæ civitates præſcriptionis clypeo, donationum ac con-

 tractuum

tractuum titulo ſe munire & jactare inceperunt, ut non ignobiles auctores tradunt. *Cocc. de tranſlat. Imp. Rhenat. de rebus German. lib. 2.* & alii relati *à Kirchn. d. l.*

10. Ritè verò ſecundùm præſcriptum Conſtitutionis Carolinę electus, ſtatim ex ſolâ electione verus Romanorum Rex & Imperator nominandus & cenſendus: idque conſtitutione Aureæ Bullæ *tit. 2. §. ult.* præclarè confirmatum, ex cujus tenore tùm alia Imperii jura & bona adminiſtrare, tùm privilegia largiri poteſt: & conſuetudine munitum, moribusque receptum, ut ipſo electionis jure, qui electus eſt, ſummam poteſtatem conſequatur. *Petrus de Andlo in tract. de Imp. Rom.* Nec enim Romani Imperatoris titulus & auctoritas à Pontificia coronatione eſt, ſicut Innocentius III. Pontifex contendit & requirit *in c. venerabilem. ext. de elect. gloſſ ad c. fin. de reg. jur. lib. 6. in verbo, Pontificatus,* & alii nonnulli Pontificii Doctores. *Salicet. in l. bene à Zenone. n. 7. C. de quadrienn. præſcript. Lancellott. in templo omn. judic. l. 1. c. 1. §. 1. qu. 4.* ut ſcilicet electus non prius Romanorum Imperator dicatur, quàm à Pontifice Romano eſſet inunctus, conſecratus & coronatus: Refutationem hoc meruit tùm à veterib. aliis Pontificiis Theologis, in quorum numero eſt *Nicolaus Cuſani de concordantia catholica lib. 3.* dicens: Unctio & diadema nihil imperiali poteſtati præſtant: tùm Juriſconſultis quàm plurimis. *Speculat. in tit. de Reſcript. §. fin. verſ. neq; quod eſt obtentum. Pacian. lib. 2. de probat. c. 35. nu. 32. & ſeqq. Carol. Molinæ. in conſuet. Pariſ. tit. 1. n. 73.* ubi ſcribit, ſecundùm hanc ſententiam ſemper ab antiquo practicatum, ſolosque Advocatos Conſiſtorii Papæ contrarium ſcribere. His accedit *Ludolphus de Babenberg. in tract. de jure Regni & Imperii Rom. c. 5. & 10.* qui ait: Rex Romanorum non accipit poteſtatem adminiſtrandi ex coronatione, ſed potiùs ex electione Principum. Nec non *Matthias Weſenbecius in not. ſup. Inſt. Schneidwini ad Rubric. n. 6. lit. f.* Nos ſciamus, omnem poteſtatem à DEO eſſe, & ei obedientiam ac reverentiam deberi, quamvis nulla coronatio intercedat. Certè in Imperio etiam ante coronationem, præſertim Pontificiam, electus Imperator Auguſtus vocatur, & eſt. Quodq; Imperator Imperium à nullo alio,

quàm

quàm à Deo immediatè teneat, quem ex eo etiam recognoſcere tenetur, apertè profitetur in ſua inſcriptione hac phraſi: Nos Dei Gratia, Wir von Gottes Gnaden. A cæleſti majeſtate Imperium nobis datum, reſcribit *Juſtinianus in l. 1. Cod. de vet. jur. enucleand. & Novell. 28. c. 4. in fin.* hanc nos gratiam Deo referendam putamus, qui Imperii nobis coronam impoſuit. Quin ſacrum Romanum Imperium à nullo, niſi Deo recognoſci, communi Electorum decreto cautum eſt, de quo *Aventin. libr. 8.* Rectè itaque Otto Comes Palatinus increpuit legatum Apoſtolicum, quòd Adrianus IV. ad Fridericum I. Imp. ſcripſerat: Datum ipſi eſſe Imperium à Papa, tanquam beneficium: & Fridericus negavit, ſe coronam ulli, præter Deum & Principes Germaniæ debere *Sig. lib. 9. de occident. Imp.* Et quid aliud eſt coronatio Papæ, quàm publica teſtatio, quæ Imperatorem non facit, ſed factum publicè declarat? *Arniſæ. lib. 1. doctrin. Polit. c. 13 fol. 291. in fin.*

21. Recens electus Imperator de more antiquo, & quidem ex Conſtitutione Caroli M. ut ſcribit *Boterus in Coſmographia part. 1. lib. 1. in deſcript. Germaniæ, fol. 96.* triplici coronâ inſignitur. Aquiſgrani ferream imponit Elector Colonienſis, *idem ibid.* Mediolani argenteam exhibet Archiepiſcopus ejus loci. *gloſſ. in clem 1. de jurejur.* Romæ Pontifex confert auream. *d. c. venerabilem. Onuphr. Panvin. cap. 5. tb. 11.* Et Rex Roman. creatus non prius Imperator dici conſuevit, quàm à Pontifice Romano, vel cui hoc jure ſingulari ab eo indultum, Epiſcopo Hoſtienſi Cardinali, ceu refert *Joann. Andr. Zabarell. & Johann de Imola in d. c. venerab.* eſſet inunctus, & ab ipſo Pontifice conſecratus, & aureo diademate inſignitus, ut in quibuſdam contigiſſe videmus. *Henric. Garden. conſil. 1. de coronat. Cæſar.* licet ibidem conſecrationem impropriè dici affirmet. Sed hæc ſolennitas olim adhibita, ab Impp. quibuſdam veteribus & recentioribus eſt prætermiſſa.

22. Tres illas coronas, tres dominatus Aſiæ, Africæ, & Europæ referre ſcribit *Franciſcus Zoanettus in tract. de Roman. Imperio, n. 248.* Sed veriſimilior eſt ratio & conjectura *Schn. in Rubric. Inſtit. n. 6. & Schönborn. lib. 5. Polit. c. 9.* dicentium:

ferream coronam deſignare fortitudinem, & ferream contra rebelles ſeveritatem: Argenteâ ſerenitatem, claritatem, & ſplendorem Futuræ præeminentiæ oſtendi: Auream fortè mores Principis, qui auro conformes eſſe debent, adumbrare. Aurum, inquit *Schönb.* igne non ſolùm non fit deterius, ſed magis ac magis eniteſcit: Sic Principis virtus in adverſis conſpectior: Aurum tractabile eſt, & ductile: Sic & Princeps, præſertim ad clementiam. Aurum dum liquatur, nulla exhalat excrementa: Verùm ſuaviſſimi eſt odoris: Ita Princeps nil niſi, quod optimum eſt, ſpirat. *Sic ille.* Sed paulò aliter hîc *Schneidw. d. l.* ſicut aurum eſt excellentius omnibus metallis: ita & ipſe Imperator debet eſſe excellentior omnibus aliis Regibus & Principibus in potentia & juſtitia.

23. Maneat ergò hoc, quòd Pontificia coronatio ſit ſupervacanea, quòd nihil novi tribuat: & quod ſufficiat ſola electio & coronatio Electoralis, quæ fit in civitate Francofurtenſi: ubi electio celebratur: Quodq; eo ipſo, quo creatur Rex vel Imp. Rom. Imperium omne Politicum, poteſtas & juriſdictio univerſalis, (quæ tamen univerſalitas juriſdictionis Imperatoriæ hodiè tàm quoad territorium, quàm perſonas & cauſas multis in caſibus eſt reſtricta, ut ſuccinctè tradit *Paurmeiſter. de juriſd. Imp. Rom. lib. 2. c. 4. à n. 26. ad fin. cap. 8. Matth. Stephani de juriſd. lib. 2. p. 1. c. 1. memb. 2. nu. 120. ad fin.*) in eum conferatur.

24. Hujus poteſtatis reſpectu, nec non protectionis & adminiſtrationis Imperii Imperator nominatur Dominus orbis *l. 9. deprecatio. ff. ad L. Rhod. de jact.* & corporalis mundi DEUS, eminens ſuper omnes, tánquam ſtella matutina, in medio nebulæ meridionalis, *Bald. Conſil. 238. lib. 1. & conſil. 300. ult. Cotta in memorabil. verb. Imper.* Imò *Bartol. in l. hoſtes. 24. n. 7. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. & in tract. de inſignnis*, ſcribere non veretur, eſſe eum hæreticum, qui negaverit Imperatorem univerſi terrarum orbis Dominum & Monarcham eſſe, cùm in tranquillitate Romani Imperii totius orbis ſalus conquieſcat. *text. in §. 1. quomodo in læſa Maj. crim. proced. in Extravag.* Diſertè autem dicitur dominus *ratione protectionis & adminiſtrationis*: non verò *reſpectu directi dominii*

minii & proprietatis rerum ſingularum, quæ habent dominos ſuos ſpeciales; juxta ſententiam Bulgari gloſſatoris apud Ronchalias, agrum Bononienſem, cui reliqui poſteà gloſſatores ſubſcripsêre *in proœmio Digeſti Veteris, in princ. in verb. ſanctionem*, ubi tradunt, Romanum Imperium & res contentas in eo eſſe ſanè Imperatoris, ratione ſolius juriſdictionis, adminiſtrationis, ſeu protectionis, non autem proprietatis, ut refert *Zoanettus intr. de Imp. Rom. n. 150.*

25. Interpretes juris Juſtinianei ridet *Bodin. lib. 1. de Rep. c. 9. n. 129.* quòd Imperatori dominationem orbis adſcribant, & verba *d. l. 9.* ad pompam, & dignitatis amplificandæ causâ vult eſſe dicta. Sed arrige aures *Bodine*, & percipe, quo in ſtatu, & quo ſenſu dicatur dominus mundi.

26. Ab illis ergò territorium Imperii Romni conſtituitur triplex. *Paurmeiſt. lib. 2. de juriſdict. c. 1. nu. 14. & ſeqq. Matthias Stephani lib. 2. part. 1. cap. 1. nu. 52. & ſeqq.* Primò, totus orbis, *ex d. l. 9.* verùm cùm univerſus mundus Imperio nunquam fuerit ſubjectus, ad evitandam inconvenientiam, totum ſive univerſum non propriè, ſed p Synechdochen totius pro parte accipitur, ut totus & omnis mundus, & ſimiles dictiones, pro majori mundi parte, non quidem per ſe, ſed contemplatione Rerumpublicarum & Regnorum aliorum intelligantur, *l. 1. §. domini. ad Syllan. Steph. Forcat. de feud. cap. 12. nu. 14.* In quam interpretationem conſentit etiam *Clariſſ. Beſoldus in tract. de juriſdict. Imp. Rom. q. 6. fol. 16.* In ſimili: Majore parte anni poſſediſſe quis intelligitur, etiamſi duobus menſibus tantùm poſſederit: ſi modò adverſarius paucioribus diebus, aut nullis poſſederit, *l. 156. majore, & ibi Alciat. de V. S.*

27. Quod verò rectè totius denominatio ſæpè tribuatur illi, qui majorem ſeu potiorem partem poſſedit, id ex codicillis ſacris etiam teſtatum faciam. Sic namque Cyrus primus Monarcha Perſarum de ſe dicit: omnia Regna terræ dedit mihi Dominus cœli. *Eſdra lib. 1. c. 1. v. 2. & Eſdra hebr. 3. c. 2. v. 3.* idem Cyrus: Me conſtituit Regem orbi terrarum Dominus Iſrael, Dominus excelſus. Nec non Artaxerxes Rex maximus in Epiſtola adverſus Judæos *Eſther. c. 14. v. 1.*

cum pluribus gentibus imperarem, & univerſum orbem meæ ditioni ſubjugâſſem &c. Itemque Daniel ad Nebuchodonoſorem Regem Aſſyriorum & Babyloniorum: Tu Rex es: & DEUS cœli Regnum & fortitudinem, & Imperium, & gloriam dedit tibi: & omnia, in quibus habitant filii hominum, & beſtiæ agri, volucres quoque cœli dedit tibi, & ſub ditione tua univerſa, *Dan. 2. v. 37. & 38.* Nec tamen vel Cyro, vel Artaxerxi, vel Nabuchodonoſori totus paruit mundus, ſed illuſtrius & potentius orbis Imperium ſinguli tenuerunt. Sic quod *Luc. 2. v. 1.* dicitur, exiiſſe decretum, ut cenſeretur totus orbis, id ſubaudiendum eſt de orbe Romano, ſeu parte orbis, & quidem majori, quæ ſubjecta tûm erat Imperio. Imperatores veteres Romani in flore Imperii, (fuit verò florentiſſimum ſub Trajano) maximam partem totius orbis, Syriam, Aſiam (uſque ad Perſiam, Mediam, & Hircaniam) Africam, Ægyptum, Græciam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Germaniam, Britanniam. *Sleid. lib. 3. de quat. Monarch.* habuerunt: ut non immeritò ex conſideratione hujus priſtini ſtatus, & denominatione majoris partis, Auguſtus dominus mundi diceretur. Unde eſt illud Petronii:

Orbem jam totum victor Romanus habeat.

28. Secundò, Imperii territorium non poſſeſſione, ſed jure quoque ipſo definitur. Quâ ratione non tantum populi & Provinciæ, quæ actu etiamnum Imperio parent, ſed & illæ, quæ jam ab Imperio ſunt avulſæ, ut ſunt Regna Galliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Daniæ, Poloniæ & alia comprehenduntur. *Petr. Anton. de Petra in tract. de jure quæſito non tollendo. c. 3. q. 4. nu 15. cum ibi alleg.* Horum, etſi negari non poſſit, magnam eſſe potentiam, tamen de jure ſub Imperio eſſe, Germani Juriſconſulti & Politici ferè omnes affirmant *Paurmeiſt. & Matth. Steph. dd. ll. Marta de juriſd. part. 1. c. 20. 21. & 26. Joachim. Cluten. in Faſcic. rer. quotid. th. 1. 3. 9. 10. & alii.* idemque olim ſcripſit *Æneas Sylvius de ort. & autor. Imp Rom. c. 14.* In quorum ſententiam aliquot rationibus adductus inquirit *Beſold. d. l.* & negat illas gentes, quæ Romanis olim paruerunt, adhuc hodiè omnes Imp Romanum de jure pro domino ac ſuperiori recognoſcere debere: quamvis Romano

Impe-

Imperatori primas omni jure cedant lubenter. *c. 2. ∂pr. de re judicata in 6.* quâ de re collatio monebit.

29. Ratione illius excellentiæ, ſuperioritatis, & præeminentiæ, in conſtitutione *Aurea Bulla tit. 2.* & voce Electorali, *in hiſtoria de elect. & coronat. Caroli V, deſcripta à Philipp. Melanchton.* appellatur caput totius populi Chriſtiani, cuſtos publicæ pacis, orbis terrarum propugnator, Dux publici conſilii inter omnes Reges &c. Eſt enim Imperator Monarcha, quem omnes Chriſtiani orbis Reges, Principes, populi, Reſpublicæ liberæ comiter, hoc eſt, benignè, ut *Cicer. in orat. pro Cornel. Balb.* interpretatur, obſervare tenentur. Quod verbum ſolenne erat in fœderibus inæqualibus, quibus comprehenſum erat, ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret. Hoc enim adjiciebatur, ut intelligeretur alterum populum ſuperiorem eſſe, non ut intelligeretur, alterum non eſſe liberum. *l. 7. §. 1. ff. de captiv. & poſtlimini reverſ.*

30. Tertiò, propriè Imperii territorium appellantur provinciæ iſtæ, quæ etiamnum actu Imperii ditioni ſunt ſubjectæ, ut Germania, Italia, & Galliæ Celticæ ſive Occidentalis ea pars, quæ regni Arelatenſis, & Lotharingiæ finibus continetur. *Paurmeiſt. à n. 23. ad fin. cap.* verùm refert *Crantz. in Saxon. libr. 10. cap. 8.* quòd Carolus IV. Arelatenſe regnum Carolo VI, Delphino ſplendidiſſimo convivio donaverit. Et *Pannin. de Comit. Imp. c. 12. in fin.* Quicquid juris Romanum Imperium in hoc regno habuit, penitiùs amiſſum eſt, quo tempore Francorum regno ceſſit. Nec non *Gerardus Mercator in Atlante minori, fol. 244.* illas regiones, quas Arelatenſe regnum complectitur, Imperii fuiſſe ſcribit. Quare hoc regnum *actu* Imperio non amplius ſubeſſe, fatendum eſt.

CORO-

CORONIDES.

I.

QVæritur: An hodiernum noſtrum Imperium rectè dicatur Romanum, ſeu Romano-Germanicum? *In affirmantem abimus ſententiam. Nam & olim translatâ Imperii Rom: ſede ab urbe Roma Conſtantinopolin, Romanum tum nihilominus ſemper fuit.* Franciſcus Zoanet. de Imp. Rom. *Et deſignati Cæſares Conſtantinopolitani ſeipſos legib. etiam latis nunquam non Imperatores Romanos nuncupaverunt. Quod familiare eſt Juſtiniano Imperatori* in l. 35. C. de inoff. teſt. & aliis. *Ubicunq; enim Imperator eſt, ibi Romam eſſe, etiam priſcis Commodi temporibus, ex arcanis in vulgus ſparſum fuit.* Herodian. in vit. Commodi. *Unde probatiſſimorum Politicorum vox eſt: Germaniam, quæ jam ſedem & culmen Imperii ſuſtinet, juxta hanc ſententiam Romam dici poſſe.*

II.

Rejicimus aſſertionem illam Zoanetti in d. tract. *dicentis: Imperii noſtri verticem & cerebrum eſſe Pontificem Romanum, præjudicio, quod alias omne tollit judicium, bonus ille vir laboravit: neq; aliter potuit, quin exemplo Baldi, in ditionibus Pontificem pro numine colentibus, hanc ſententiam defenderet, ut ait* Schönborn. lib. 5. Polit. cap. 5.

DISPUTATIO VII.

DE MAJESTATE, ET JURIBUS IMPERATORI SPECIALITER RESERVATIS.

Reſpondente

JOHANNE FRIDERICO VOLTZIO, SPIRENSE.

THESIS I.

AB Imperatore Romano tranſitum facimus ad Majeſtatem & jura ſpecialiter ipſi reſervata, quæ in Monarchicis Imperiis, Regalia, Regia, Regiæ item poteſtatis jura, à Regis vocabulo indigitantur, Keyſerliche Hoheiten vnd Reſervaten. Aliàs rectiùs voce generaliore, ſummi Imperii, ſeu Majeſtatis vocantur jura: quia non ſolùm Imperatores ac Reges: Sed & populi liberi, aliique, penes quos ſumma poteſtas eſt in Rebuſpublicis aliis, ejuſmodi eminentias habent, ut docet *Clariſſ. Dn. Beſold. claſſ. 1. diſp. Polit. 3. th. 2.*

2. Majeſtatis verò definitionem ab omnibus Philoſophis & Juriſconſultis præteritam, poſuiſſe ſeſe omnium primum, prædicat *Bodin. lib. 1. de Repub. c. 8. à pr.* ubi ipſe majeſtatem definit, quod ſit poteſtas in cives & ſubditos ſumma, perpetua, legibusque ſoluta.

3. Hanc ipſam tamen hodiè atro carbone notat *Tobias Paurmeiſterus in tract. de juriſdict. Imp. Rom. l.1. c. 3. n.21.* tùm propter rationes Logicas, ubi refert obſcuritatis & malæ ſubductionis vitia: tùm propter ipſius rei anguſtiam. Nos jam vitium in poſteriori membro, anguſtia ſcilicet definitionis agnoſcimus, adeóque verbis illis: *in cives ſeu ſubditos:* addimus *& peregrinos.* Unde etiam *Herman. Kirchner. de Repub. diſp. 2. th. 3.* vocabulo generaliori, *ſubjectorum*, uti maluit, quo non modò cives & ſubditi, ſed etiam Peregrini, & qui jure commorationis, jure hoſpitii quodammodò ſunt ſubjecti, & quaſi ſubditi, comprehenderentur.

4. Magis ergò placet nobis definitio *Kirchn. d.l.* Majeſtas eſt ſumma Reipub. poteſtas, quam, qui ſtatui præeſt, obtinet in ſubjectos.

5. Majeſtatem Hebræi majus Imperium, vulgus Interpretum maximum appellant: Græci ἄκραν ἐξουσίαν, κυρίαν ἀρχὴν, κύριον πολίτευμα, Itali Segnoriam, Hiſpani Majoriam, Latini abſolutam juriſdictionem, poteſtatis plenitudinem dicunt. Majeſtas enim à magnitudine dicitur, *auctore Feſto*, quaſi Major ſtatus. *Harprecht. in Inſtit. de publ. judic. ad §. 3. publica autem jud. nu. 3. Arniſæ. l. 2. de Majeſt. c. 1. Bornit. in tr. de Majeſt. c. 1.*

6. Pro diverſa verò ratione gubernationis, Majeſtas modò eſt Monarchica, modò Ariſtocratica, modò Democratica.

7. Deinde, Majeſtas à recentioribus Politicis conſtituitur duplex: alia realis, alia perſonalis, *Althuſ. lib. 1. Polit. c. 6. Kirchner. de Repub. diſp. 2. th. 3. ad lit. a. & b.*

8. Realis dicitur (impropriè tamen & μετωνυμικῶς, cùm propriè & ἀκριβῶς loquendo, Majeſtas ſit in re animata, ſeu vivente) quæ ipſi Monarchæ ſeu Regno perpetuò inhæret, & ipſi eſt coæva, nec cum Monarcha expirat, ſed quamdiu corpus Regni durat, permanet. Hinc *Majeſtas Imperii* dicitur.

9. Perſonalis eſt, quæ perſonam Monarchæ reſpicit, in quam collata eſt, & cum eadem expirat. Unde *Majeſtas Imperatoria ſeu Regia* appellatur.

10. Ter-

10. Tertiò, Majeſtas alia conſtituitur Eccleſiaſtica, alia Politica, *Arnold. Clapmarus lib. 1. de arcan. Rerumpubl. cap. 15. Althuſ. d. c. 6.* ſed an rectè, inquirunt alii, negantes jura Principum circa adminiſtrationem rerum ſacrarum ſeu Eccleſiaſticarum ad jura Majeſtatis rectè referri, cùm illis ſolis, & abſolutè talia non competant, ſed toti Eccleſiæ, ut dicemus *inf. diſp. de officio Magiſtratus Eccleſiaſtico.*

11. Jus Majeſtatis Eccleſiaſticum in jure rerum ſacrarum conſtituitur: quo ſcilicet poteſtas diſponendi & ordinandi, & curandi media de religione vera, Deiq; cultu ex verbo divino introducendo, conſervando, & defendendo Magiſtratui Politico conceſſa ſit.

12. Jus Majeſtatis civile in legibus & judiciis conſtat: quo ſcilicet poteſtas diſponendi, ordinandi, & procurandi media, quæ ad utilitatem externam & temporalem corporis Politici pertinent, Magiſtratui ſupremo conceſſa eſt.

13. Quamvis verò poteſtas ſumma, perpetua, legibusque ſoluta, adamantino neceſſitudinis vinculo ſint conglutinata, ita ut uno articulo abrupto, tota catena diſſolvatur; quoad verba tamen non eſſe opus, ut duæ illæ particulæ: *Perpetua, legibusq; ſoluta*, definitionem ingrediantur, ambabus manibus largimur. Siquidem propria poteſtatis ſumæ (per ſe, & non precariò conceſſæ) adjuncta & inſeparabilia ſunt: poteſtas perpetua, poteſtas legibus ſoluta, eidemque ita cohærent, ut ſeparari nullâ ratione poſſint, *Clariſſ. Dn. Lanſ. de Leg. Reg.* Inde etiam in definitione *Kirchneri* ipſæ fuêre omiſſæ. Sed definitionis propoſitæ ſingula membra excutiemus.

14. Summa poteſtas eſt, quæ præter Dei immortalis poteſtatem inter homines ſuperiorem non agnoſcit: quæ nulli præterquam Deo ſubjecta eſt atque paret. Hinc *Paris in tractat. de duell. lib. 7. §. an Comes, nu. 4.* ait: Reges ſolùm Deum & enſem ſe recognoſcere ſuperiorem.

15. Ubi notandum, quod ſumma poteſtas, vel Regia Maj. non divitiis, non locorum ſpatiis, neque numeroſâ provinciarum multitudine ſit definienda. Nec enim minus Regis

P 2 titulo

titulo gaudebat Emathion, anguſtis incluſus pagis. *Juſt. lib. 7.* aut cui uxor cibaria coquebat, *apud Herod. lib. 8.* quam Alexander M. qui totum mundum ſibi debellâſſe videbatur: aut Artaxerxes, qui regnavit ab India uſque Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem provincias, ut legitur *c. 1. Eſther. v. 1. & apud Plut. in vit. Artaxerx.* Hinc Eumenes, etiamſi fractis opibus, nihil præter arcem, in quâ obſidebatur, ſuum dicere poterat: cùm tamen de pace ageretur cum Antigono, reſpondit: Superiorem ſe neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret. *Plutarch. in Eumene, & ex eo Bodin. l. 1. de Repub. c. 9. n. 144.* qui *c. 2. ejuſd. lib. n. 10.* ut Elephas, ait, non magis animal dici debet, quàm formica: ſic Raguſia, civitatum ferè omnium, quæ ſunt in Europa, minima, non minus Reſpublica dici debet, quàm Turcarum, aut Tartarorum, aut etiam Hiſpanorum, quorum Imperia iiſdem finibus, quibus Solis curſus, terminantur. Et quemadmodum exigua familia anguſtiſſimis gurguſtiis comprehenſa eodem familiarum jure cenſetur, quo quæ ſuperbiſſimis ac latè patentibus ædificiis gloriantur: Sic Ulyſſes, cujus Imperium Ithacæ ſcopulo continebatur, Rex æquè dicitur ab Homero, atque Agamemnon. Ratio ejus rei eſt: quia forma dat eſſe rei, non quantitas: & plus ac minus non variant ſpeciem, ut Logicorum docent Scholæ. Ex his à contrario ſenſu facilè eſt colligere, illam ſummam poteſtatem non eſſe, quæ à majori dependet, vel circumſcribitur. Non igitur Rex aliquis ſuperiorem recognoſcens jura majeſtatis, & ſummam habet poteſtatem. Nam, ut habet Verſiculus *Martialis:*

Qui Rex eſt, Regem maximè non habet.

Talis erat Rex Danorum tùm temporis, quando Friderico I. Imperator his verbis fidem daret: Rex Danorum Magnus ſe in poteſtatem Imperatoris tradidit. Obſides dedit, juramentum fecit, ſe ſucceſſoresq; ſuos, non niſi Imp. & Succeſſorum ejus permiſſu, regnum adepturos. *Tritheim. c. 17.* Hac etiam de cauſa Regi Bohemiæ Majeſtatem denegant Politici, quia Imperatorem recognoſcit ſuperiorem.

16. Ergò nec Auſtriæ Archiduces de ſumma poteſtate gloriari

gloriari poterunt, licet ſummis & ſplendidiſſimis fulgeant privilegiis, de quibus *Petr. Frider. Mindan. in fin. lib. 1. de proceſſ. tit. de privileg. quorund. ſtat. Imperii. Cuſpin. in Auſtria. & Münſter. lib. 3. Coſmograph.* Nec habet Dux Sabaudiæ, nec Lotharingus, nec Florentinus, nec Mantuanus, nec Mediolanenſis, nec Genuenſes, &c. Hi enim Imperatoris Romani ſunt Vaſalli, eumque ſuperiorem recognoſcunt, ut teſtatur *Bodin. l. 1. de Repub. c. 9. nu. 122. 124. 126. 127.* De Duce Mediolanenſi idipſum refert *Alexander Raudenſis lib. 1. de Analog. cap. 28. nu. 74. 75. ex Alciat. conſil. 467. Dec. Conſil. 410.* De Duce Sabaudiæ *Octav. Cacheranus in deciſ. Pedemont. 79. n. 29.* & ſic immeritò ipſi jura majeſtatis attribuit. Quamvis Florentini, Mediolanenſes, Ferrarienſes, Lucenſes, Genuenſes, Veneti, & omnes civitates Lombardiæ libertatem ſibi comparatam prætendant. An rectè, vid. *Tob. Paurmeiſter. libr. 2. de juriſdict. Imper. Rom. cap. 4. nu. 27. & multis ſeqq. Schönborn. libr. 5. Polit. cap. 7. Zoanett. de Rom. Imper. nu. 169. & ſeqq.*

17. De Helvetiis major eſt dubitatio, num abſolutè ſummam habeant poteſtatem? Sanè *Bodin. lib. 1. de Rep. c. 7. nu. 71.* aſſerere non veretur, Helvetiorum tredecim Reſpublicas finibus & Imperiis diviſas eſſe, & ſingulas habere jura majeſtatis. Sed rationes, quibus motus *Bodino* ſubſcribere non poſſum, in diſputatione aſſignabo.

18. Quid verò Vaſalli, an & hi jure majeſtatis gaudent? Diſtinguimus nos inter Vaſallos, qui nihil præter feuda habent, in quo poteſtate abſolutâ uti poſſint, & illos, qui domi Regno potiuntur proprio. Illis majeſtatem denegamus: Veritati enim litat illud: Rex eſſe nemo poteſt, qui nihil habet, quod non alterius nexu ac fiduciâ teneatur. Hoſce verò jure majeſtatico, ut ita loquar, frui patimur, invito & contradicente *Bodino l. 1. c. 9. n. 115.* Nihil enim impedit, Regem alterius Imperii Vaſallum eſſe, qui in Repub. libera jura majeſtatis habet, & proprio Regno potitur: nullo enim ob id ſubjectionis jure gravatur. Diverſiſſima enim ſunt, Vaſallum eſſe, & ſubjectum eſſe. *Pet. Heig. p. 1. q. 18. n. 5.* Sic Rex Daniæ auditur Vaſallus Imperii Romani, in quadam parte Hol-

ſatiæ. *Vult. lib. 1. de feud. c. 4. n. 10. Geil. de arreſt. Imperil, c. 6. n. 16.* Vaſallus itidem Imperatoris Romani eſt Rex Hiſpaniæ, ratione Ducatus Burgundiæ, cujus reſpectu ipſum ſuperiorem recognoſcere tenetur. Unde duplicem ſuſtinet perſonam, unam Regiam, alteram Provincialem. *Matth. Steph. libr. 2. de juriſdict. part. 1. c. 2. n. 24. & 25.*

19. A' Vaſallis devenimus ad Clientes. Quæritur ergò; An Princeps ſummus, qui ſe alterius ſummi Principis Clientem profitetur, & majeſtatem ejus in fœdere comiter, ſeu benignè obſervare tenetur, ſummam poteſtatem in ſubditos, ſive jura Majeſtatis amittat? Sic quidem nonnullorum fert opinio, à quibus recedere nulla nobis eſt religio, facem præferente Proculo *in l. 7. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* §. 1. ita ſcribente: Liber autem populus eſt is, qui nullius alterius populi poteſtati eſt ſubjectus, ſive is fœderatus eſt: Item ſive æquo fœdere in amicitiam venit, ſive fœdere comprehenſum eſt, ut is populus alterius populi majeſtatem comiter conſervaret. Hoc enim adjicitur, ut intelligatur alterum populum ſuperiorem eſſe: non ut intelligatur alterum non eſſe liberum: & quemadmodum clientes noſtros intelligimus liberos eſſe, etiamſi neque auctoritate, neque dignitate, neq; jure omni pares ſunt. Sic eos, qui majeſtatem noſtram comiter conſervare debent, liberos eſſe intelligendum eſt. Sic & *Bodin. l. 1. c. 7. nu 68.* Clientelam inter ſummos Principes definit, quod nihil ſit aliud, quàm fœderata conſociatio, quâ alter alterius Majeſtatem obſervare tenetur, ut ab injuria potentiorum tutior eſſe poſſit. Et ſic patrocinium ac ſuperioritatem tantùm Advocati ſeu Patroni Regni, quoad perſonæ ac loci dignitas poſtulat, Advocatia ſeu fœdus clientelare inducit: non fidem, obſequium, & poteſtatem, quæ ab illa omninò eſt diſcernenda.

20. Circa Tributarios, à quibus pacis fruendæ causâ pecunia quotannis à Principe alio imperatur, idem aſſerimus: quod ſcilicet poteſtas illorum illibata ſervetur. Nam ipſe Turcarum Imperator illis populis, qui montes Arabiæ tenent, ſexaginta millia aureorum tribuit, ut agro Palæſtino & Damaſceno libere fruatur, ut ſcribit *Bodin. in method. hiſtor. c. 5.*

c. 5. Æthiopum quoque Regi ex veteri pacto tributum, ſive penſionem ducenrorum millium numm.û n ſolvere cogitur. *Michaël Eyzinger 1. part. Paralipomen. Theſaur.* Si tamen victis in bello accedat durior aliqua conditio & ſervilis, quæ compedes libertati & poteſtati injiciat, aliud dicendum erit, ſicut Moab factus eſt ſerviens Davidi ſub tributo. *2. Sam 8. v. 2.* Item Syria Damaſci. *v. 6. & 1. Paralip. 18. v. 6.* Univerſa Idumæa. *v. 14. ejuſd. c. 8. & v. 13. d c. 18.*

21. Perpetua poteſtas eſt, quæ per ſe nullo temporis ſpatio terminatur, quæq́, tamdiu durat, quamdiu imperans & imperium. Ergò nec Harmoſtes Lacedæmoniorum, nec Æſymnetes Theſſalorum, nec Archon Melitenſium, nec ulli alii Magiſtratus Curatorésve ſummâ poteſtate ad tempus, vel ad certas res gerendas prædıti, majeſtatis jure frui poſſunt, *Bod. l. 1. de Repub. c. 8. n. 79.* Nec etiam Dictator Romanus, nec ulli ex Magiſtratibus Romanis, etiam majoribus, majeſtatem habuêre, quia perpetuâ poteſtate uſi non ſunt. Dictator ſiquidem creari conſuevit, cùm improviſa aliqua neceſſitas eſſet oborta, puta belli, ſeditionis ſedandæ, &c. *l. 2. §. 18. ff. de orig. jur.* ut ergò exiſtente neceſſitate, extitit Dictator, ita etiam neceſſitate intercidente, ejus etiam Dictatura & Imperiũ unà intercidit, finemq́, habuit. Nec fas erat, ultra ſextum menſem hunc Magiſtratum retinere. *d. §. 18. l. unic. de offic. præfect. prætor.* Et ſic Dictator Roman. Curator Imperii fuit, non Imperator, aut ſummus Magiſtratus, quamvis ad tempus ſummâ poteſtate fuerit donatus: Sublatâ etiam appellatione ad populum, *d. §. 18.* neque ullo uſquam, niſi in cura parendi, exiſtente auxilio. *Liv. lib. 2.*

22. Legibus ſoluta poteſtas eſt, quæ à nemine leges accipit. *§. fin. Inſtit. quib. mod. teſtam. infirm. l. 31. ff. de legib. l. 23. ff. de legat. Novell. 105. c. 2. in fin.* Nec enim à ſuperiore, quem non habet: nec à ſeipſa, cum ob liberam voluntatem cogere ſe ipſam non poſſit, *l. 13. § 4. ff. ad SCtum Trebell l. 51. de recept. qui arbit.* nec verò etiam à ſubditis, quod abſurdius, cùm illi leges non dent, ſed accipiant. *Æn. Sylvius in tract. de ort. & auctorit. Imp. Rom. c. 20. & ſeq.* Hæc igitur poteſtas à ſumma profluit & emanat, tanquam adjunctum à ſubjecto.

Ut

Ut igitur ſubjectum non exiſtit ſine adjunctis propriis, nec hæc ſine illis: ita ſumma poteſtas ſine legibus ſolutâ poteſtate non datur.

23. Hîc verò diſſentit magnus JC. *Dionyſius Gothofredus in not. ad Novell. 105. c. 2. in fin. ad lit. l.* negans, Principem legibus ſolutum eſſe, ſed eis potiùs ſubeſſe, per leges & auctoritates in medium adductas, de quibus in ipſa collatione diſpiciemus.

24. Ab aliis rurſus antiqua contentionis ſerra trahitur, quibus legibus Princeps ſit ſolutus. *Jacobus Cujacius lib. 15. obſerv. c. 30. ex inſcriptione l. 31. ff. de legib.* eas interpretatur de legibus Caducariis, Juliâ & Papiâ. *Coraſius, Zaſius, Donellus, Pruckmannus*, & alii, Principem juris ſolennibus ſolvunt: aliis legibus neutiquam. *Domin. Sot. lib. 1. de juſt. & jur. qu. 6. art. 7. Fachinæ. lib. 1. controverſ jur. c. 2. Didacus Covar. & Gregor. de Valentia* non teneri Principem ſummum vi legis humanæ coarctivâ, ſed directivâ ſcribunt. Græci Ulpianum interpretantur de legibus pœnariis, ita ut Princeps, omnem delicti à ſe commiſſi pœnam effugiat.

25. Nos, cùm Princeps ſummus omnibus civiliter ex ſummâ poteſtate imperet: omnibus imperando præſcribat: Ipſe verò à nullo leges accipiat, omnibus legibus civilibus & poſitivis ipſum ſolvi dicimus. Divinis verò & naturalibus, (quæ tamen jura rectiùs, quàm leges dicuntur, ex ſententia *Vulteii ad §. ſed quod princ. placuit. & Bodini lib. 1. de Repub. c 8. n. 102.* dicentis: Multum diſtat lex à jure. Jus enim ſine juſſu, ad id, quod æquum, bonum eſt: Lex autem ad imperantis majeſtatem pertinet. Eſt enim lex nihil aliud, quàm ſummæ poteſtatis juſſum) neutiquam. *Deut. 17. v. 18. 19. c. non licet. 2. diſt. 10. §. pen. Inſt. de jur. nat. gent. & civil. l. 188. §. 1 de reg. jur. Knich. de jur. Saxon. non provocand. verb. Duc. Saxon. c. 1. nu 37.* In his enim non ut Princeps, ſed quatenus homo eſt, conſideratur. Hinc dicebat *Baldus in l. Princeps. ff. de legib.* Principem eſſe ſub lege poli, naturæ & rationis. Divinæ enim & naturæ leges à DEO Opt. Max. ſunt latæ, & hominum mentibus ex æquo præſcriptæ, ut inde omnes ex æquo ſummum ſummi νομοθέτου Imperium recognoſcere, ac imperanti ob-

obtemperare coguntur. His *cum Johanne Daurbio ad l. 3. C. de teſtam. nu. 5. & Franciſco Hotomanno in illuſt. quaſt. 1.* addimus leges ſtatus, Imperii, ſeu Regni cum ipſa majeſtate conjunctas: quas Princeps nec abrogare, nec iis derogare poteſt.

26. Sequuntur nunc Majeſtatis propria, ſigna, ſeu jura, Regalia, quæ vocantur.

27. Regalia verò dividuntur in majora & minora. *Sixt. de Regal. cap. 2. n. 1. Zaſ. part. 5. de feud. n. 13. & 14. Dn. Vult. de feud. l. 1. cap. 5. n. 7.*

28. Illa ſupremam Imperatoris auctoritatem, præeminentiam, & poteſtatem demonſtrant. *Idem vult ibid. Sixtin. d. c. 2. n. 2. Dn. Arniſæ. lib. 2. de jur. majeſt. c. 1. nu. 8.* Ubi notat illos, qui ea magis in dignitate, & veneratione collocant, quàm in poteſtate. Conſiſtit enim, inquit, Majeſtatis notio in jure vetandi & jubendi, & gubernandi totam Rempub. quæ omnia non tàm dignitatem dicunt, quàm poteſtatem.

29. Hæc rem fiſci ſpectant, de quibus *lib. 2. feud. t. 56. quæ ſint regal.* Jura fiſci ob id vocat *Cujacius*, quoniam fiſcum nemo propriè habet, niſi Imperator, jure nimirum ſuo proprio: alii non niſi ex conceſſione Imperatoris, eaque vel tacita, quæ inducitur præſcriptione, vel expreſſâ, quæ inducitur conventione. *Vult. d. n. 7. fol. 84.* qui *in ſeqq.* & noviſſimè *Arniſæ. lib. 3. de jur. majeſt. per diſcurſ.* exempla horum regalium *ex d. tit. 56.* cum eorundem declaratione & expoſitione refert.

30. Nos, ex ratione inſtituti noſtri. Regalia illa majora trademus, à quibus Princeps ſummus ab aliis dignoſcitur.

31. Hujus generis ſunt primò: *Leges ſingulis & univerſis dare. §. ſed & quod Principi placuit, Inſt. de jur. nat. gent. & civil. l. 3.* & *ult. C. de legib. l. 1. ff. de Conſtit. Princ. Bod. l. 1 de Repub. c. ult. n. 153.* Huc pertinet conceſſio immunitatum, privilegiorum, eorumque confirmatio, nec non declaratio, ſeu interpretatio, *l. 43. ff. de vulg. & pup ſubſt. l. ult. §. 1. C. de leg. & c. M. Steph de juriſd. lib. 2 p. 1. c. 1. memb. 2. n 150. & ſeqq.* Cujus n. eſt leges generales ferre, ejuſdem quoq; eſt jura ſingularia vel privilegia dare. *l. 16. ff. de legil. Bornit. de majeſt. c. 6.* ſive ſint

Q perſo-

perſonæ, ſive rei, *l privilegia 196. de reg. jur.* Privilegium *Bod. ex Cic. l. 3. de legib.* appellat legem in unum aut paucos cives latam, ſive ad eorum commodum, ſive ad detrimentum ſpectet. Nec enim privilegium tantùm vocatur exceptio à jure, ſed & irrogatio pœnæ, aut edictum contra aliquem latum, ſicut *Cicero pro domo*, privilegium, inquit, de ſuo capite latum: innuens legem Claudiam, quâ decernebatur contra eum quæſtio.

32. Secundum caput Majeſtatis conſtituimus *poteſtatem ac jus belli inferendi & finiendi*, quod ratione ſummæ poteſtatis, nec non juriſdictionis univerſalis, vel in conſequentiam ejuſdem, Princeps Romanus ſolus habet *l. 3. ff. ad L. Jul. Majeſt. ibi: qui ſine injuſſu Principis bellum geſſerunt. l. neminem. 17. C. de re milit. l. unic. C. ut armor. uſus inſc. princ. interdict. ſit. Bartol. in l. hoſtes. n. 14. ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ. Geil. de pac public. lib. 1. c. 4. c. 5.* Quapropter, ſi quis ſine Imperatoris licentia bellum indixerit & pararit, in crimen læſæ majeſtatis, & pacis publicæ violatæ incidit. *d. l. 3. ad l. Jul. Majeſt.* Et hoc jure majeſtatis, *dicente Bodino d. c. ultim. n. 155.* nullum ferè majus eſſe poteſt: quia ſæpiſſimè ab exitu belli Reipub. excidium aut ſtatus pendeat: & quia plus à bello periculi, quàm à pace immineat, ita ut etiam leviſſima quæq; in eo genere injuſſu Principis fieri propè ſit capitale, ſi is admoneri potuit. Et hoc verum, etiamſi feliciter & cum magna victoria bellum fuerit confectum. *Alberic. in d. l. 3. arg. l. deſertorem. §. 15. ff. de re milit.* ubi Modeſtinus ait: In bello, qui rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur, etiamſi res benè geſſerit. Quin amplius, ut nec bellum indicere, ſic neque pacem aut fœdus inire licet abſque Imperatoria Majeſtate. *Matth. Stephan. d. l. nu. 60. & ſeq.* Sed & repreſſalias, ſeu pignorationes concedit Imperator. *Weſenb. conſil. 46. nu. 7. Geil. de pignorat. c. 1. nu. 5. & c. 2. & 3.* cùm ſpeciem belli referant, *idem Geil. d. cap. 2. & lib. 1. obſ. 28. nu. 9.*

33. Tertium caput *in creatione Magiſtratuum, præſertim majorum, & dignitatum*, eſt poſitum. *l. 1 ff. ad L. Jul. de ambit. c. 1. quis dicat. Dux. Com. vel Marcb. ubi Dd. Vult. d. n. 7.*

Borcb.

Borch. de feud. cap. 4. nu. 12. Tiraquell. de nobilit. c. 6. Bod. d. t. ult. Puta Ducum, Principum, Marchionum, Comitum, Baronum, Nobilium: ut & Doctorum, Licentiatorum, Notariorum. Quò referendi ſunt alii actus, ſcilicet conſtituendi Academias, legitimandi, reſtituendi famæ & honoribus, concedendi veniam ætatis, abſolvendi à juramento, ad effectum agendi, *Vult. d. l.* de quibus diximus *diſp. præced. circa pr.* ob hæc & alia majeſtatis jura Imperator dicitur fons & origo omnis dignitatis, *in l. 3. ff. de natal. reſtit.* Et *Cuſpinianus in Auſtria ſua:* de fulgore throni Cæſarei, velut ex Sole radii, ſic cæteræ prodeunt dignitates. Tantæ enim celſitudinis eſt, ut parem ex mortalibus habeat neminem. *Schönborn. l. 5. Polit. cap. 15.*

34. Poteſtatem autem creandorum Magiſtratuum *ad juſtitiam expediendam* conſtituit Fridericus Imp. *d. tit. 56.* quo ipſo hoc Regale ab omni lucro & quæſtu vult eſſe alienum. In quam rem eſt conſtitutio Theodoſii & Valentiniani Impp. *in l. ult. C. ad L. Jul. repetund.* quâ nundinationes & mercaturas Magiſtratuum graviſſimè deteſtantur, & ſeveriſſimè prohibent, ne quiſquam ſive per ſe, ſive per interpoſitam perſonam, aut venditionis, donationisvè titulo, aut alio velamento cujuscunq; contractus ad honoris faſtigia admittatur. Idem facit Imp. Juſtin. aliquot in locis. Vid. *Novel. 8, in Præfat. c. 1. 7. &c.* Sed qui non ſanctiſſimarum iſtarum legum temerarii fraudatores & violatores extiterunt? qui non Magiſtratus venales expoſuerunt, & juſtitiæ caſtitatem petulanter proſtituerunt? E multis exemplis ſufficiat unum. In aula Zenonis Imperatoris erat Sebaſtianus, tùm potentiſſimus, qui illum quovis ſuo arbitratu impulit, velut in foro cauponans omnia, nec ſine pretio quicquam in Regia ſinens confici. Nam & Magiſtratus vendebat omnes pretio tùm ſibi reſervato, tùm Imperatori communicato. Quod ſi quis acceſſiſſet, qui paulum quiddam adjiceret, is præferebatur. (In toto deniq; palatio nihil erat rerum omnium, quod venale non eſſet) ut his verbis refert *Suidas in vit. Zen.* Optimè contra Alexander Severus, qui nullos unquam gladii honores paſſus eſt vendi: Nam neceſſe eſt, inquiebat, ut qui emit,

vendat. Ego non patiar Mercatores poteſtatum: quos ſi patiar, damnare non poſſum. Erubeſco enim punire illum hominem, qui emit & vendit. Quare munera publica pro merito & virtute cujuſque ſunt diſtribuenda, non pretio vendenda: Sic, ut *Saluſtius* rectè, Magiſtratus, ait, ex virtute, non ex pecunia creentur. Nam, qui Magiſtratus, ſacerdotia, imperia venalia habent, etiam jura, judicia, leges, ſanguinem innocentium hominum, & omnia in fœdiſſimum commercium deducunt: Et pietatis ac virtutum omnium præmiis ſublatis, ad furta, rapinas, ſordes, injuriam, & inſcitiam, ad omnia denique vitia aditum aperire non dubitant. *Althuſ. in Polit. c. 27.*

35. Cæterùm, hujus Majeſtatis effectum in Imperatoribus noſtris Romano-Germanis in hæc uſq; tempora vidimus. Nam Fridericus I. Barbaroſſa cognomento, Petro Daniæ Duci regia ſtemmata dedit, ac regali poteſtate beavit. *Tritbemius c. 17.* præfecturam Bohemiæ regiâ appellatione ſubornavit: eâ lege tamen, ut nihil de Majeſtate ac jure Imperii Germanici detraheretur. *Bod l. 1. de Repub c. 9 nu. 144. Peucer. l. 4. Chron. Carion. in vit. Frid.* Marchionatum Auſtriæ Ducatus dignitate donavit. Quod incidit in Annum M. C. L X I. *Cuſpinian. in Auſtria, in vit. Henrici II ejus nominis primi Ducis Auſtriaci.* En Ottonem III. Hic Boleslaum Ducem Poloniæ Regem ſalutavit & declaravit. *Alex. Guagnin. tom. 1. rer. Polon. in vita Boleslai. Peucer. l. 4. in vit. Ottonis.* Eodem tempore Ungaria Regni titulum uſurpavit, quem poſt Ottonem confirmavit Henricus II. cognomento ſanctus, *idem ibid.* Quin & Sigiſmundus Imp. Adolphum Secundum Cliviæ, & Amadæum Sabaudiæ Comites collocavit in ſublimiorem Imperii ſedem. *Peucer. lib. 5 Chron. in vit. Sigiſm. Bod. l. 1. cap. 9. n. 128.* A Maximiliano I. Anno 1497. in Comitiis Wormatienſibus Comes Eberhardus Barbatus Würtenbergenſis creatus eſt primus Dux, ac Henricus Pruelchenck Baro, Comes factus eſt ab Hardeck. *Cuſpin. in vit. Max.*

36. Quartum caput eſt *extrema provocatio.* Stultum eſt, ait *Ulpian.* illud admonere, à Principe appellare fas non eſſe, cùm ipſe ſit, qui provocatur. *l. 1. §. 1. ff. à quib. appell. non lic.* A Cæſare tamen malè informato, ad melius informandum,

dum, appellationem eſſe permiſſam, tradunt Interpretes. Vide præter alios *Tob. Paurmeiſt. lib. 2. de juriſdict. cap. 4. n. 159. Matth. Stephan. lib. 2. p. 1 c. 1. memb. 2. n. 200. & ſeqq.* Sed & ſupplicare licet. *Paurmeiſt. n. 160. Steph. n. 207. Afflict. deciſ. 283. n. 7.* & eſt *tit. C. de precib. Imp. offer.*

37. Quintum Majeſtatis caput ab extrema provocatione dependet, ſcilicet *poteſtas veniam delictorum concedendi, relegatos reſtituendi, jure vel injuria capitis damnatos contra vim legum ac judiciorum liberandi, l. 1. cùm ſalutatus l. cum indulgentia. 10. & tot. tit. C. de ſentent. paſſ. & reſtit. l. relegati. 4. in fin. l. 9. §. 11 in fin. l. 27. l. 71. ff. de pœn. Matth. Stephan. d. l. nu. 125. & ſeqq Heig. part. 2. quæſt 2. Schonborn l. 5. Pol. c. 24* qui textus illos de ſummo Principe loquentes, etiam de Ducibus, Marchionibus & Comitibus accipit, *cum Rolando à Valle conſil. 4. nu. 4. lib. 3. Antonino Teſſauro deciſ. 21.*

38. In tantum autem venia & gratia facienda admiſſi ſceleris ad majeſtatem & ſuperioritatem ſpectat: ut licet Carolus V. Imp. Senatui Mediolanenſi poteſtatem ferè regiam, propter ſui abſentiam dediſſet, attamen damnatorum reſtitutionem exceperit. *Bodin. n. 164.* ubi ſimul refert, cùm Franciſcus Major Rex Franciæ matri poteſtatem feciſſet reſtituendi: Curiam Pariſiorum judicaſſe, id jus ne Reginæ quidem concedi poſſe.

39. Etſi autem ſummus Princeps ex plenitudine poteſtatis capitales pœnas legibus civilibus latas poſſit remittere, & de iis diſpenſare, non tamen de illis, quæ legibus divinis ſunt conſtitutæ. *Dana. lib. 6. Pol. Chriſt. c. 3. & lib. 2. Eth. Chriſt. cap. 13.*

40. Sextum caput eſt *jus monetæ, ſeu nummi percutiendi, imagine ſignandi, ejus valorem & poteſtatem conſtituendi, l. 2. C. de falſ. monet. Boſſ. in tr. de monet. in princ.* Quod Majeſtatis æquè proprium eſt, ac legis ipſius poteſtas: Cujus enim eſt leges jubere, ejuſdem eſt nummorum pretium, pondus, figuram præſcribere. Nam Græca vox νόμος, id eſt, lex, nummo videtur originem dediſſe: nihil enim poſt legem magis in Republica neceſſarium, quàm numorum pretium, pondus, imago. *Bod. d. c. ult. nu. 167.* Unde Majeſtatis tenetur, qui num-

mos corrupit. *d. l. 2* Jure noviſſimo, qui monetam falſam cudit, exurendus eſt igne. *Conſtu. criminal. Carolin. art. 3.*

41. Septimum caput Majeſtatis eſt *jus nova vectigalia inſtituendi, ac tributa imperandi,* quod æquè Majeſtatis proprium eſt, ut lex ipſa: Non quia ſine tributis aut vectigalib. Reſpub. ſtare nequeat: Sed quòd urgente publicâ neceſſitate, tributa non niſi ab eo, qui ſummam poteſtatem habet, imperari, aut tolli poſſint. *l. vectigalia. 10. ff. de publican. & vectiga. & tot. tit. C. vectigalia nova inſtit. non poſſ. & ibi Cujac. in Paratit. Bod. d. c. ult. n. 169.* Prout itidem in peculiaris reſervationis Imperatoriæ ſignum conſtituitur, ut nemo poſſit ultra portoria ſolita aliquid exigere: Den Zoll ſteigern gehört zu Keyſerlicher beſondern Hoheit vnd Reſervaten. *in Receſſ. Ratisbon. ſub Maximil. II. de Ann. 1576.* §. Weiters ſeynd wir. *Sixtin. n 42. & ſeq.*

42. Et hactenus præcipua ſummi Imperii ſeu Majeſtatis jura delineavimus, ex quibus tamen quædam, ut jus cudendæ monetæ, jure etiam ſpeciali, conceſſione & præſcriptione acquiri etiam ab inferioribus poſſunt. *Mynſ. cent. 4. obſ. 24. Borcholt. de Regal. n. 6.*

ADDITAMENTA.

I. *Tributum quod ſuperioribus annis Ungariæ nomine Turcæ exhibitum fuit, nec Imperatoris noſtri Romano--Germanici, nec Imperii ipſius dignitatem attingit, vel minuit. Quid enim ad hoc, quod externi Regni nomine penditur?*

II. *Poloniam Imperii Romani tributariam fuiſſe, ſatis confidenter nonnulli negant; Ingenuè verò* Alexander Guagninus tom. 1. rer. Polon. in vit. Boleslai & Lambert. in Hiſt. German. ſub ann. 177. & alii *id ipſum fatentur.*

III. *Imperatoriæ magnitudini & majeſtati, ipſiusq;*

Imperii

Imperii dignitati convenienter egit Henricus Auceps, quando Hunnis tributum à Germania (utpotè cujus non eſt, ut Auceps rectè dixit, aliis dare, ſed ab aliis tributa & penſiones accipere. Sturt. in vit. Henr. Bunting. in Chr. Brunſw.) *poſtulantibus, ſcabioſum canem miſit. Qui olim ignominioſæ pœnæ viris illuſtribus & nobilibus geſtandus vicatim imponebatur, exemplo admodum famoſo, in decem Comitibus, & Palatino, qui quòd rebelles Imp. Conrado IV. fuiſſent, hâc pœnâ affecti,* ex Spangenberg. in Chron. Mansfeld. & Crantz. lib. 3. Sax. c. 15. Kirchner. in Rep. diſp. 16. Coron. 4. ad lit. b.

IV. In Imperio aliud eſt conſilium ſeu judicium aulicũ, q. eſt ipſius Imperatoris, der Röm. Keyſerlichen Majeſtet Hoffrath: *aliud Camerale, q. nunc Spiræ, ipſius quoq; Imperii ac ordinum eſt: & quidem hoc eodem nomine* das Keyſerl. Cammergericht *appellatur.* Beſ. in tr. de juriſd. Imper. Rom. q. 12. *Illi tùm cauſarum ad juriſdictionem Cæſaream pertinentium diſceptatio, tùm aliorum negotiorum, ad regalem Cæſaris, non ad totius Imperii poteſtatem ſpectantium deliberatio committitur.* Paurm. lib. 2. de juriſd. Imp. Rom. c. 5. *ſeu: cui negotia ſtatum publicum Imperii concernentia expedienda veniunt:* Ordnung des Regiments *de Anno* 1500. zu Augſpurg auffgericht.

gericht. *Huic lites ſive cauſæ controverſæ commiſſæ ſunt.* Cammergerichts Ordnung/ *de Ann.* 1495. Beſold. d.l.

V. *An verò Cameræ & Aulæ Cæſareæ concurrens juriſdictio ſit tribuenda, majoris indaginis eſt quæſtio: de quâ Ambergæ An.* 1613. *editum eſt publicum ſcriptum, cui titulus:* Gründlicher Unterricht von der im heiligen Römiſchen Reich entſtandenen/ aber ſeydhero noch vnerledigten Frage: Ob der Keyſerliche Hoffraht/ mit vnd neben dem Keyſerlichen Cammergericht zu Speyer/ *concurrentem juriſdictionem*, in allen vnd jeden Sachen/ ohne Unterſcheid habe. *Ubi in utramq; partem afferuntur rationes, quæ videri poterunt. Pro affirmante argumenta etiam extant* apud Paurmeiſt. de juriſdict. lib. 2. c. 5. n. 32. & ſeqq. Dn. Arum. de Jure public. diſcurſ. 10. *Pro negante* apud Beſold. d. quæſt. 12. *qui tamen narrativè, non deciſivè à ſe prolata vult eſſe dicta. In quam partem majora pondera inclinent, diſcurſus dabit.*

DISP. VIII.

DISPUTATIO IIX.

De

STATIBUS ET MEMBRIS IMPERII ROMANI.

RESPONDENTE
ZABEL à Staffelde EQUITE
Megapolitano.

THESIS PRIMA.

A Capite Romani Imperii, Imperatore ſcilicet, juſto ordine progredimur ad membra & ſtatus.

2. Qui a. dicendi ſint ſtatus Imperii, inter Doctores non convenit. Ex ſententia nonnullorum, & *Andreæ Geilij lib. 1. obſ. 2. n. 2.* tales dicuntur & ſunt, qui ſolum Imperatorem recognoſcunt immediatè, & Cæſaris communiq; Procerum conſenſu in album ſive matricem Imperii recepti eâ lege, ut Imperio, occurrente neceſſitate, certũ cenſum, in albo expreſſum, penſitent, vel ſubſidium militare præſtent. Ut ergo ſtatus Imperii Romano germanici quis eſſe, & p tali reputari velit, quatuor qualitates, ſeu inſeparabilia potiùs adjuncta ut habeat, neceſſe ajunt, *referente Beſoldo in tract. de Juriſd. Imper. Roman. q. 8.* Primò, in conventibus Imperialibus Stationem, Seſſionemq; obtinere, & ſententiæ jure gaudere debet. Secundò, in albo ſeu matricula Imperii, in des Reichs Matricul / ejus nomen extare debet. Tertiò, obveniente neceſſitate certi quid penſitare, ſubſidiumvè militare ſubminiſtrare tenetur. Et hic etjam neceſſe eſt, ut illud ſubſidium non niſi immediatè Impe-

ratori præſtatur. Quartò, ut in ſuis territoriis, merũ mixtũq; imperiũ & omnimodam jurisdictionem, ut habeat, eſt neceſſe. Vigore cujus ipſum Imperatorem in territoriis repræſentant.

3. At verò *Tobiæ Pauermeiſtero lib. 1. de Jurisdict. Imp. Rom. c. 6. n. 3.* Imperii ſtatus dicuntur, qui cum Imperatore, als ein Chriſtlich Corpus vnd Verſamlung/ ut loqtur Imp. Fridericus Decreto Comitiorum Colon. Ann 1512. vel eo defuncto, ſoli ſtatuendi de Republica, vel jus ſeſſuræ ac dicendæ ſententiæ habent in Comitiis, vel conventibus Imperii. Vulgò Stände des Reichs *Decreto Auguſtano Anno* 1555. §. Die weil aber *&c.* 4. verã formã, per q̃ ſtatus ſit definiendus, nõ in feudi ligii poſſeſſione, directa collectorũ Imperii ſolutione, immediata ſubjectione, vel aliis adjunctis ſeparabilibus, eſſentiã rei nõ conſtituẽtib⁹, ſed in ſola ſeſſuræ & dictionis ſententiæ cõmunicatione actuali conſiſtere ait; quã nõ tantùm à Nobilibus de feudis ligiis inveſtitis, ac præter Imperium alios ſuperiores nõ recognoſcentibus, ſed à Baronib. quoq; Comitibus & Princip. (licet hi ſint rariores) ſive mediatè, ſive immediatè Imperio obediant, nullum tamen ſuffragii jus in Senatu Imperii obtinentibus, diſtinguantur: idq; ex innumeris Decretorum comitialium locis oſtendit, in quibus principia Decretorum ſic habent: Haben Wir vns mit Churfürſten/ Fürſten vnd gemeinẽ Ständen/ vñ der abweſenden Rähten vñ Geſandtẽ/ vnd ſie mit Vns ſich vergliechen. & in fine ſubjicitur: Vnd ſein dieſe/ wir Churfürſten/ Fürſten/ Prælaten/ Graffen/ Herrn/ vnd des heiligen Reichs Städte Bottſchafft/ Gewalthaber vnd Geſandte: in quibus Nobiles immediati non cenſentur. Comites autem & Barones complures, licet Principibus jure territorii abſque controverſia ſubjecti, comprehenduntur.

4. Nec hîc alienus eſt *Beſold. d. l.* qui ſtatus accipit pro Ordinibus & Senatoribus, qui proprio jure, unâ cum Principe ſtatuere poſſunt. Et ex aliorum, quoq; ſententia ſatis probatum cenſeri refert, aliquem eſſe Imperii ſtatum: ſi conſtet, ipſi ad conſilium Principũ ſive civitatum liberum aditum patere: Daß er auff den Reichstägen zum Fürſten oder Stadt Rathen einen Zutritt habe: ejusq; nomen inſeri Catalogo inſcriptionũ ad finem Imperii Receſſuum, *ex Meichßnero Webner. in obſer. pract. de verbor. ſignif. in verbo* Raht.

5. Claſ-

5. Claſſes, quibus ſtatus & ordines diſtinguuntur, conſtituuntur ſeptem. 1. Electorum. 2. Archiepiſcopornm. 3. Epiſcoporum. 4. Principum Politicorum. 5. Prælatorum. 6. Abbatum & Præpoſitorum. 6. Comitum & Baronum. 7. Civitatum liberarum Imperialium.

6. In Comitiis verò ſtatuum conventus per tres diſpeſcuntur claſſes: quarum una eſt Electorum: altera Principum Eccleſiaſticorum & ſecularium: tum etiam Prælatorum, Comitum & Baronum: tertia civitatum liberarum Imperialium *Pauerm. l. 2. de jurisd. Imp. Rom. c. 2. n. 16. & 17.*

7. Prima claſſis Imperii eſt Electorum, quorum alii ſunt Eccleſiaſtici, alii ſeculares.

8. Eccleſiaſtici tres ſunt:

Archiepiſcopus Moguntinus, Imperii Romani Archicancellarius per Germaniam.

Archiepiſcopus Trevirenſis, Imperii Romani Archicancellarius per Galliam, & Regnum Arelatenſe.

Archiepiſcopus Colonienſis, Imperii Romani Archicancellarius per Italiam.

9. Seculares ſunt quatuor:

Rex Bohemiæ, Sacri Imperii Archipincerna.

Comes Palatinus Rheni, S. Rom. Imp. Archidapifer.

Dux Saxoniæ S. Rom. Imp. Archimarſchallus.

Marchio Brandeburgenſis, S. Rom. Imp. Archicamerarius.

10. Secunda claſſis eſt Archiepiſcoporum, quorum præter tres Electores Eccleſiaſticos, hi numerantur: Magdeburgenſis, in Saxonia, ex antiquo Germaniæ inſtituto & prærogativâ per Germaniam Primas: Saltzburgenſis, aliàs Juvanienſis, in Bavaria, qui perpetuâ quâdam Pontificis legatione fungitur, & Legatus natus ſedis Apoſtolicæ appellatur: Bremenſis in Saxonia. Rigenſis, in Livonia. *Münſter. lib. 3. Coſmograph. in deſcript. Germaniæ, c. 25. Onuphrius Panvinius de Comitiis Imperatoriis c. 6. & 13.* Ubi addit B ſuntinum in Burgundia.

11. Tertia claſſis comprehendit Epiſcopos, hoc tempore locum in Comitiis habentes. Ordo eorum talis eſt *apud Pauermeiſt. lib. 2. de jurisdict. Imp. Rom. c. 1. n. 17.* Papæbergenſis, Herbipolenſis, Wormatienſis, Spirenſis, Argentinenſis, Eich

R 2 ſtadenſis,

ſtadenſis,Auguſtanus,Conſtantienſis,Hildeſienſis, Padebornenſis, Verdenſis, Halberſtadenſis, Monaſterienſis, Oſnabrugenſis,Paſſavienſis,Freiſingenſis, Baſilienſis,Ratisbonēſis, Mindenſis,Lubecenſis,Verdunenſis,Cameracenſis,Metenſis, Tullienſis,(tres tamen Epiſcopatus: Verdunenſem, Metenſem & Tullienſem Gallus occupavit, *ut ex Sleid. l. 24.* conſtat.) Leodinenſis,Tridentinus, Brixienſis.

12. Principibus his Eccleſiaſticis ex veteri Prælatorum ordine adſcripti ſunt: Magiſter ordinis Teutonici: & Magiſter ordinis Equitum Divo Joanni Sacrorum: ut & Abbates Principali dignitate decorati,in quorum cenſu eſt Abbas Fuldenſis, Auguſtæ Cancellarius,itidemq; Primas per Germaniam; Abbas Hirsfeldenſis, Abbas Murbacenſis, Abbas Campidonenſis,Abbas Prumenſis,Abbas Stabulenſis,Abbas Corbejenſis,Præpoſitus Albangenſis, Præpoſitus & Archipresbyter Berchtelsgagenſis. *Regn. Sixtin. de Regal. lib. 1. cap. 4. num. 143.*

13. Quarta claſſis continet Principes Politicos, quorum octodecim familiæ numerantur. Seriem talem ponit *Pauerm. d.l. Matthias Stephani de jurisdict. l.2. part.1, c.4. n. 97.* & poſt eos *Gregor. Schonb. lib.5. Pol. c.6.*

14. 1. Archiducum Auſtriæ, quorum duæ ſunt lineæ: prima Ferdinandi, quæ propriè Auſtriaca: altera à Carolo V. deducta, Burgundica dicitur. 2. Ducum Bavariæ, qui itidem in duas lineas ſunt diſtincti, quarum una communi nomine Bavarica, altera Palatina appellatur. 3. Ducum Saxoniæ, Landgraviorum Thüringiæ, & Marchionum Miſniæ. 4. Marchionum Brandenburgenſium. 5. Ducum Brunſvicenſium & Lunæburgenſium. 6. Ducum Juliacenſium: quorum familia non ita pridem extincta eſt. 7. Ducum Pomeraniæ. 8. Ducum Megapolitanorum. 9. Ducum Wurtembergenſium. 10. Landgraviorum Haſſiæ. 11. Marchionum Badenſium. 12. Ducum Saxoniæ inferioris, ſive Lavenburgenſium. 13. Ducum Holſatiæ. 14. Landgraviorum Leuchtenbergenſium. 15. Ducum Sabaudiæ. 16. Principum Anhaltinorum. 17. Ducum Lotharingiæ. 18. Comitum Arnbergiorum, à Maximiliano II. inter

Imperii

Imperii Principes ſuſceptorum. His accedunt Radzivilii, Lithuanii Principes, qui etiam in numerum Principum Romani Imperii cooptati ſunt. *Schonb.d.c.6.*

15. Quintam claſſam conſtituunt Prælati, Abbates ſcil. principali auctoritate exuti, Præpoſiti, Abbatiſſæ.

16. Abbates in matricula Imperii hi numerantur: Reichenaw/ Weiſſenburg/ Salmenßweiler/ Weingarten/ Ochſenhauſen/ Walckenried/ Roggenburg/ Vrſperg/ Minderaw/ genant Weiſſenaw/ Schuſſenried/ Marckthal/ Petershauſen bey Coſtenz/ Elchingen/ Kempten/ Gengenbach/ Odenheim/ Keyſerßheim/ Munichßrot/ Hirſaw/ Schuttern/ Dieſſen/ Salveldt/ Werden/ S. Heymeran zu Regenſpurg/ S. Maxim. Sanct. Michal zu Lünenburg/ S. Cornelij, Münſter auff der Inden/ Cölniſchen Biſtumbs/ Münſter in S. Gregorienthal/ Sorbeyen/ Creutzlingen/ Echternach/ Irſee/ Königsbrunn/ Roth/ Stabel/ Waldſachſen.

17. Præpoſiti ſunt: Oberſtein/ Berchtolßgaden/ Sanct. Maurieten in Augſpurg/ S. Germans zu Speyer/ Seltz/ Kronenberg/ Kramberg/ Wimpffen/ Waltkirch/ Iſenhagen/ Elwangen/ Ettingen/ Wettenhauſen/ Weiſſenburg am vnter Elſas.

18. Abbatiſſæ hæ referuntur: Quedlinburg/ Gerenrode/ Andlaw/ Buchaw am Federſee/ Lindaw/ Gandersheim/ Obermünſter in Regenſpurg/ Nidermünſter in Regenſpurg zu S. Erharden/ Rottenmünſter/ Heeglach/ Herwerden/ Hervordt/ Guttenzell/ Bucha/ Balnn.

19. Prælatis annumerantur Commendatarius Provincialis Confluentinus: Item Alſatiæ & Burgundiæ.

20. Ad ſextam claſſem referuntur Comites & Barones.

21. Comites ſunt: Hohenzollern/ des Reichs Erbcämmerer/ Fürſtenberg/ Werdenberg/ Oettingen/ Sultz/ Brauneck/ Mondfort/ Hirchberg/ Hohen Embs vnd Gallern/ Lupffen/ Caſtel/ Leiningen/ Salm/ Ziermbern/ Barby/ Werdheim/ Spanheim/ Honſtein/ Tübingen/ Leiningen/ Manderſcheid vnnd Blanckenhayn/ Wild vnd Rheingraven/ Falckenſtein/ Eberſtein/ Helffenſtein/ Lewenſtein/ Erbach/ Naſſaw/ Hanaw/ Eiſ-

ſenburg/Ortenburg/Solms/Sayn/Wiedt/Waldeck/Bent-
heim/Lippe/Schaumburg/Ritberg/Oldenburg vnd Delmen-
horſt/Oſtfrißland/Bronchorſt/Caſtel/Schwartzenburg der vier
Graffen deß Reichs/ Hohenlohe/ Schwartzenberg/ Stolberg/
Mansfeld/ Gleichen.

22. Barones matricula Imperii & ſubſcriptiones Decretorum Imperialium hos exhibent: Walpurg/ Erbtruchſeſſen/ Pappenheim/Erbmarſchalck/ Limburg/ Erbſchencken/ Schönberg/Winneberg/Merßburg vnnd Befort/ Kriechingen / Pirmondt vnd Wolffenſtein / Rappelſtein / Paumparten / Graveneck vnnd Burgberg / Fleckenſtein / Seinßheim / Mechſelrein/ Kirchberg/Hohenſchwangaw/Hobengeroltzeck/ Reupoltzkirch/ Fronhoven / HohenLandeßberg/ Tengen/ Graffeneck/ Fugger / Juſtingen Herrn Reuſſen/ Herrn Schencken von Dautenberg/ Herrn von Birnbaum/ Herrn von Degenberg.

23. Civitates liberæ Imperiales diſtinguuntur ſecundum ſeſſionem, quam habent in Comitiis, eamq; vel in Suevico, vel in Rhenano latere.

24. In latere Suevico numerantur: Regenſpurg / Nürnberg/Auſpurg/Vlm/Rotenburg an der Tauber/Schweinfurt/ Weiſſburg am Northaw/Lindaw/Coſtentz/Donawerd/Winsheim/Schwäbiſchen Hall/Eßlingen/Reudlingen/Nordlingen Memingen/Schwäbiſchen Gemundt/Kempten/Giengen/Vberlingen/Leutkirch/Heilbron/Wimpffen/Yßny/Ravenſpurg/ Wangen/Weil/Gengenbach/Zell am Hamerſpag/Bieberach/ Buchaw am Federſee/ Rottweil/ Buchhorn / Pfullendorff / Dunckelſpül/Bopſſingen/Kauffbäuren/ Aulen.

25. In Rhenano latere ſunt: Keyſersberg/Münſter in S. Gregorienthal/ Türckheim/ Dortmund/ Colmar/Schletſtatt/ OberEhenheim/Roßheim/Offenburg/Straßburg/Hagenaw/ Weiſſenburg am Rhein oder Elſas / Landaw / Speyer / Worms/ Gelnhauſen/ Franckfurt/ Friedberg/ Wetzlar/ Cöln / Ach/Dortmund/Mülhauſen/Northauſen in Düringen/Goßlar/Bremen/Hamburg / Lübeck / Cammerich.

26. Hacte-

26. Hactenus de ſtatibus Imperii. Sequitur jam de ſingulis in ſpecie tractatio. Primum ergo de Electoribus, qui primas tenent.

27. Dicuntur Electores, qui eligendi Imperatorem vel Regem Romanorum jus habent *Aur. Bull. Caroli IV. tit. 2. de Elect. Reg. Rom. & c. venerabilem, Extra de elect.* Quam tamẽ poteſtatem amittit Elector, ſi pecuniam pro ſuffragio acceperit, ut probat *Simon Piſtoris conſil. 1. num. 30 & ſeqq.* Electores ſiquidem puras manus habere debent, & illas ad pecuniam non conferre. *per l. omnes & l. Sancimus. C. ad L. Jul. repetund. Henning. Gœden conſl. 1. ad qu. 2.* Debent ergo jurare, quod officium facturi ſint, bona fide & ſine ullo pacto, ſtipendio, pretio ſeu promiſſo. *Aur. Bull. tit. 2.*

28. Facultas autem eligendi Cæſarem ad integrum Electorale Collegium pertinet, non ad ſingulos ſingulariter: quod quidem viſum eſt *Hoſtienſ. in d. c. venerab. §. verum, de elect.* quem refutant *Ludolphus de Babenberg. in tract. de jurib. Regni & Imperij Rom. cap. 6. Gœden. d. l.* Ubi ad eos, tanquam ad corpus & univerſitatem, & ſic collegialiter, pertinere oſtendunt, ac proinde habendam eorum electionem, ac ſi à tota univerſitate Principum & populi, à quibus in ipſos ea poteſtas translata eſt, facta eſſet. *arg. l. item eorum §. 1. ſi decuriones ff. quod Univerſ. nom. & c. ult. de præben. in 6. Pacian. l. 2. de probat. c. 35. n. 30.* cui in perficienda electione ſufficit etiam major pars eligentium, & quidem recte. Univerſitatis n. major pars quod facit, omnes de univerſitate feciſſe cenſentur. *l. quod major 56. ff. ad municip. c. licet 6. & 55. Ext. de elect. c. 1. de iis, quæ fi. à major. part. capit.* Quæ ſententia diſertè etiam confirmatur prædictâ conſtitutione *Aureæ Bullæ §. præſtito in verb. niſi prius major pars ipſorum temporale caput mundi elegerit & §. poſtquam, ibi: Poſtea quam in eodem loco ipſi vel pars eorum major numero elegerit, talis electio perinde haberi ac reputari debet, ac ſi foret ab ipſis omnibus nemine diſcrepante, concorditer celebrata.*

29. Non ſolùm autem jus electionis, ſed & degradationis juſtis atque graviſſimis de cauſis, eſt penes Electores,

ctores, non Pontificem Romanum, talem ſibi degradandi licentiam vendicantem, *in d c. venerab, c. 2. de ſent. & re judic. in 6. c. alius 15. q. 6.* Ejus enim eſt depoſitio, cujus eſt electio, *per vulgaria jura.* Sic Collegium Electorale Adolphum Imperatorem, homicidii, ſtupri in virginem, ſocordiæ, negligentiæ, perjurii accuſatum, Senatuſconſulto, ut ait *Avent. lib. 7.* de faſtigio deturbavit. Similique auctoritate paulo pòſt contra Wenceslaum Bohemum, Caroli IV. filium uſi ſunt Archimyſtæ. Cùm enim ille vino, ventri, Veneri dies noctesq; inſerviret, majorem gulæ, quàm Regni curam haberet, ſalutemq; publicam in extremum conjiceret diſcrimen: ab Electoribus poſt crebras, ſed ſpertas monitiones imperio exutus eſt. *Æn. Sylv. in Hiſt. Bohem. Peucer. l. 5. Chron. Carion, Cuſpinia. in ejus v. t.*

30. Electores hoc privilegio & prærogativâ eminent, ut ſi quis cum Principibus, militibus, vel privatis, ſeu quibuscunq; perſonis plebeis ſceleſtam factionem, aut factionis ipſius inerit Sacramentum, vel dederit, de nece Principum Electorum, tàm Eccleſiaſticorum, quam ſecularium, is majeſtatis reus gladio feriatur, & omnia ejus bona fiſco Imperiali addicantur, ut expreſsè ſancitum eſt *in Aur. Bull. tit. 24.* Ubi hæc ratio ſubjicitur: *Nam & ipſi pars corporis noſtri ſunt & t. 12. ib. 26. ſunt ſolidi baſes, immobiles columnæ, latera, & lumina Imperij.* Item: Plurimorum neceſſitatibus relevandis Cæſareæ ſublimitati aſſiſtũt, in partem ſolicitudinis conſtituti. Eo modo Arcadius & Honorius Impp. graviſſimâ majeſtatis pœnâ, non modò ſuam ipſorum, ſed etiam ſuorum Conſiliariorum virorum illuſtrium ſalutem muniverunt. *l. quisquis 5. C. ad L. Jul. majeſt.*

31. Habent etiam Electores jura Archivi *Rutger. Ruland. in tract. de commiſſ. & commiſſionib p. 2. lib. 5. c. 4. num. 18. Matth. Stephan. de jurisdict. lib. 2. part. 1. cap. 5. n. 76.* Habent jus creandi Notarios, qui in eorum territoriis valeant. Aliàs ſolius Imperatoris eſt, creare Notarios, qui in toto Imperio Rom. adhiberi poſſunt. *idem Stephan. d. l. n. 77.*

32. De

25. De origine verò Electorum anceps nimis & ſcrupuloſa eſt quæſtio, propter varias variorum Hiſtoricorum, Politicorum & Juriſconſultorum opiniones ac concertationes. Alii enim, ut Jordanus *in lib. de translat.* Imperii ſcribit, à Carolo Magno Electores inſtitutos: Alii communiter tàm Germanici, quàm Italici Scriptores, in quorum caſtra tranſeunt. *Ludolphus de Babenberg. de jurib. regni & Imperij, c.3. Marſil. Patavin. de translat. Imp. c.11. Cuſpin. in vit. Otton. III. Blond. decad. 2. l.3. Simon Schard. lib. ſingul. de Elect. orig. c. 1. p. Heig. quæſt. jur. part. 1. q.3. & Andr. Knich. de jure Saxon. non provoc. verb. Electorum c.1.* originem & auctoritatem Electoralem adſcribunt Ottoni III. Quorum com̃entatio de ſanctione Ottonianâ opinabilis ſemper viſa eſt *Tobiæ Pauermeiſtero lib. 2. de jurisdict. Imp. Rom. c.2. n.38.* cum ſolis conjecturis nitatur. Alii Friderico I. cognomento Barbaroſſæ: Alii Friderico II. Alii Rodolpho Habſpurgenſi: Alii Carolo IV. Alii Gregorio V. Pontifici Romano, ſub Ottonis III. Principatu. Alii Gregorio X. Alii denique cenſent, tempus & auctorem hujus introductionis minimè liquere.

33. Communi ſententiâ, quæ omnem auctoritatem Ottoni tribuit, in medio relictâ & poſthabitâ, nobis *Joannis Aventini lib.5. Annal. Bojor. & Panvinij de comit Imp. c.6. & 9.* qui tempore Friderici II. Collegium Septemvirale vires demum accepiſſe ſentiunt, accidet eaq; ex Hiſtoriarum argumentis non obſcuris probarũ videtur. Nam ſi nobis ob oculos ponamus omnes Imperatores ab Ottone III. uſq; ad Fridericum II. Henricum dico cognomento ſanctum & claudum, Conradum II. Saliquum, Henricum III. IV. V. Lotharium Saxonem, Conradum III. Suevum, Fridericum I. Barbaroſſam, Henricũ VI. Philippum Ottonem IV. & Fridericum II. deprehendimus hoſce omnes tùm ab univerſis totius Imperii Principibus, Eccleſiaſticis & ſecularibus, tùm etiam à quibuſdam populis, ut Suevis, Saxonibus, Bavaris, Bohemis, Colonienſibus & Argentinenſibus, aliisq; nõnullis eſſe electos. Hujus rei teſtes adduci in ſcenam poſſunt Hiſtorici antiquiſſimi & probatiſſimi. *Otto Friſingenſis lib.6. Chron. c.27. â pr. in vit. Henrici Sancti c. 28. in vit. Conradi II. Abbas Urſpergenſis lib.10. Chron. c.22. Sigebert. in Chron. de an. 1125.* Adde his *Aventin. & Onuphrium dd. ll.*

34. Inter ſtatus Imperii proximum locum ab Electoribus tenent Principes Eccleſiaſtici & Seculares.

35. Eccleſiaſtici ſunt vel Archiepiſcopi vel Epiſcopi, vel Prælati, vel Abbates.

36. Epiſcopi nomen, quod eſt generale, eſt à Græco verbo ἐπισκοπεῖν, quod inſpicere ſignificat. Latinè ſpeculator ac inſpector vitæ, morumque populi dicitur; quique curam habet actuum ſacrorum diſciplinæque Eccleſiaſticæ, *ca.1. Cleros. diſt. 1.*

37. Archiepiſcopi univerſæ provinciæ, plures civitates complectentis, Eccleſiæ inſpectioni ſunt præfecti. *Pauermeiſt. lib. 2. de jurisdict. Imp. Rom. c. 7. n. 4.*

38. Dicitur Archiepiſcopus ἀπὸ τοῦ ἀρχὸς καὶ σκοπεῖν, quaſi Princeps & ſummus Epiſcoporum, quibus antecellit. *d. c. Cleri*

39. Archiepiſcopi alias etiam Metropolitani vocantur, *per totam 9. quæſt. 1. Schonborn. l. 5. pol. c. 35.* quod in Metropoli, id eſt, matrice aliqua civitate jam olim conſtituti ſint. *Duar. de ſacroſanct. Eccleſ. miniſter. c. 9.* ſed tamen Metropolitani dignitas inferior eſt, ut patet *ex d. c. Cleros.*

40. Eliguntur ab Epiſcopis, convenientibus in Metropolitana Eccleſia, ex Clericorum omnium atque civium voluntate & conſenſu *c. 19. diſt. 63. c. 5. diſt. 51.* ordinantur ab omnibus ſuæ provinciæ Epiſcopis, ſeu ſuffraganeis. *c. 1. diſt. 66.*

41. Legitimè conſtitutus Archiepiſcopus nanciſcitur jurisdictionem & poteſtatem ordinariam in ſua diœceſi, quæ conſiſtit in lege diœceſiana juriſdictionis, & in ordine; ſubjectique ſunt Archiepiſcopo ſui Epiſcopi & ſuffraganei, lege Metropolitana. *c. Paſtoralis c. ſcitote 6. q. 3.*

42. Epiſcopi ſimpliciter & abſolutè ita dicti, qui & Diœceſani appellantur, uni tantùm civitati, & vicis ei adjunctis præeſſe dicuntur. *à Pauermeiſtero n. 3.* Unde & *Panormitanus in c. 1. de privileg. & exceſſ. prælat. n. 1. ſub fin.* ſcribit, de conſuetudine in Italia receptum eſſe, ut pro civitate non habeatur locus aliquis, niſi Epiſcopum habeat. In Germania tamen Epiſcopos non uni tantum civitati, ſed integris etiam provinciis præeſſe, cuivis notum eſt.

43. Archi-

43. Archiepiſcopi electio intra tres menſes à die vacationis eſt facienda à capitularibus, ſeu Eccleſiæ cathedralis Canonicis. *c.50.Cumana.c.55.in Geneſi.c.57.Eccleſia.Ext.de elect.* nō àutem à Laicis, neque à Principibus ſecularibus, *c.1.2.& 3.diſt. 62.* ne quidem ex conſuetudine, *c.1 ſacroſancta c.SS.Maſſana, Ext. de elect.* ut quæ eſt contra libertatem Eccleſiaſticam. *d.c. ſacroſanctæ.* Unde nullâ penitùs longinquitate defenditur. *Panormitan.ibid.Hieron.Schurff.cent.1.conſil.72.n.13.& ſeqq.Mode. Piſtor.conſil. 44. n. 53. & ſeqq.* Per conſuetudinem tamen fieri poteſt, ut factâ electione in Eccleſia, requiratur conſenſus Principis *c.14.cum terra.* conſuetudine item, vel etiam ſtatuto induci poteſt, ut Patronus interponat partes ſuas in electionis tractatu. *c.3.nobis de jur.Patron.Matthias Stephani de juriſdict. l.3.p.1.c.9.n.8.& n. 9. cum ſeqq.* docet, ſic adhuc in Epiſcopatu Caminenſi ſervari, ut neque Epiſcopus, neq; alius prælatus, vel Canonicus à capitulo eligi poſſit, abſq; conſenſu & nominatione, ſive præſentatione Ducum Pomeraniæ, idq; jus in fundatione illos ſibi reſervaſſe.

44. In ſubſidium electionis introducta eſt poſtulatio, ut ſcilicet ea perſona, quæ ad munus Epiſcopi aliquo defectu non eſt idonea, ſaltem poſtulationis ſubſidio juvetur: quippe quod per eam à ſuperiore petitur gratia impedimenti Canonici remittendi, quod eligendo obſtat *c.3.c.pen.ext.de poſtul.præl.* puta, ſi de ætate minori. *c.unic.eod.in extravag.com.* vel illegitimo nato *c.innotuit.20.ext.de elect.* vel de Laico in Epiſcopum aſſumendo agatur *c.oſius § è contra d.diſt.61.* cum enim ejuſmodi perſonæ ſint ad Epiſcopatum inhabiles, adeoq; eligi non poſſint, poſtulationis ope ſublevantur. *c.cum in cunctis ext.de elect.* quod ita tradit *Stephan.c.10.n.2.*

45. Epiſcoporum Germaniæ dignitas eſt ampliſſima *Scot.reſponſ.28.n.35.lib.6.tom.1.* Inſignis etiam poteſtas, utpote cum habeant jus territoriale in ſua diœceſi, hoc eſt, non ſolum imperium & juriſdictionem, ſed etiam ſuperioritatem, & jura Regalia, quæ territoriis, ut accidentia inſeparabilia, inſunt.

46. Perſonæ quidem Eccleſiaſticæ propriè territorium non habent, cui inhæret juriſdictio civilis. *Clement. ne Romani § ſanè de elect.P.Belluga in ſpeculo Princip.rubric. 22. de juriſd. §.*

& quia quotidiè n.47. & ſeq. Andr. Knich. de jure Sax. non provoc. in verb. Ducum Saxoniæ. c.4. n.69. Sed duntaxat diſtrictum, ſive diœceſin. *c. cum contingat. de for. compet.* quæ jurisdictioni ac poteſtati Epiſcopali exercendæ aſſignata eſt. *Tholozan. in ſynt. jur. univerſ. lib.15. c.12.* Nec enim in primitiva Eccleſia Epiſcopi judicia exercebant, ſed ſacra adminiſtrabant, curabantque: Unde meritò diœceſis, id eſt, procuratio, diſtributioq; in eis propriè locum ſibi vendicabat. Ut ergò territorium dicitur, quatenus judex jus terrendi: ſic diœceſis dicitur, quatenus Epiſcopus jus adminiſtrandi ſacra habet.

47. Quemadmodum verò ex conceſſione Principis ſecularis Eccleſiaſtici alia temporalia habere poſſunt. *Bart. & Dd. in l. ſi quando C. de appellat. Canoniſtæ in c. Romana 6. §. debet. eod. in 6.* Sic & regalia iis ita competere poſſunt. *Pruckman. ad rubric quæ ſint regal. c.4. n.39.* Hinc Doctores tradũt, Epiſcopos duplicem perſonam repræſentare & ſuſtinere, ſecularem & Eccleſiaſticam: adeoq; duplicem habere jurisdictionem, Eccleſiaſticam & ſecularem. *Sixtin. de Regal. lib.1. c.4. n.122. Mat. Steph. lib.3. part.1. c.14. n.10. de jurisdict.* Quatenus ergò Eccleſiaſtici ſunt, eatenus regalia, imperia & jurisdictiones eis non competunt, ſed quatenus ſunt Principes & Status Imperii Romani, & jure territorii conceſſi. *Vult. l.1. de feud. c.4. c.5. n.7. Sixtin. d. c. l. 4. n.123. Geil. l.1. obſ.30. n.4. & 5. Pruckman. d. n.39.*

48. Cooptati verò ſunt Epiſcopi in numerum Principum Imperii à Ludovico Pio Imperatore, *teſte Helmodio in Chron. Slavon. lib.1. c.4. ubi ait*: Ludovicum Pium liberalitate maximâ erga Dei cultum uſum, in tantum, ut Epiſcopus, qui propter animarum regimen Principes ſunt cœli, ipſe eoſdem nihilominus Principes effecerit regni.

49. Prælati à præferendo dicti, ſunt Antiſtites Eccelſiarum *Tholozan. lib.17. c.3. Syntag. jur. univerſ.* Ubi *Pauermeiſt. lib.2. de jurisd. c.9. n.7.* monet, quod hodiè ii tantùm Eccleſiaſtici Antiſtites hâc voce comprehendantur, qui licet immediatè Imperio ſubjecti, partim etiam Principum titulo ſint decorati, jus tamen ſuffragiorum ſinguli in ſolidum, ac par Principibus non habeant: ſed univerſi unius tantùm Principis vicem ſuſtineant, uti ſunt propriè & regulariter Abbates, Præpoſiti, Abba-

Abbatiſſæ, & comendatarii quidam particulares. Ordinis n. Equitum tam Marianorum, quàm Divo Joanni ſacrorum Magiſtri: item Abbates Fuldenſis, Hirsfeldenſis, Campidunenſis, Murbacenſis, Prumenſis, Corbeienſis, Stabulenſis, Præpoſitus Elbangenſis, & Berchtelsgadenſis, ex Prælatorum ſtrictè & propriè ſic dictorum ordine ſejuncti, in principum Eccleſiaſticorum album recepti, parem cũ reliquis Principibus, tàm Eccleſiaſticis, quàm Politicis in ſubſelliis Eccleſiaſticis, vulgò der geiſtlichen Banck/dicendæ ſententiæ poteſtatem, ac ſuffragiorum jus in ſolidum hoc tempore obtinent.

50. Prælati omnes, ſive Principum ſive ſuo ordine cenſeantur, ſi juriſdictionem temporalem, vel in inveſtitura ab Imperio, ut plerią; , vel alio titulo, privilegio, vel præſcriptione quæſitam habent in toto ſuo diſtrictu, quoad perſonas & cauſas in jure reddendo, idem jus, quod Principes Politici obtinent. *idem Pauermeiſt. n. 16.*

51. Abbas, κοινοβιάρχης, Pater inter Monachos dicitur: Unde ab aliis Archimonachus vocatur: continetur etenim appellatione Monachorum. *c. ult. ext. de Sim.* Poſterioribus ſeculis Abbates etiam dicti ſunt Proceres ſeu Primores, aut Barones ſeculares, quibus Abbatiarum proventus fruendos Rex ad tempus conceſſerat. *Gail. Paradin. annal. Burgund. libr. 2. ſub an. 1103.* teſtatur, ſe per antiqua monumenta vidiſſe complura, in quibus Proceres Galliæ his nominibus uſi fuerint: Dux & Abbas: Comes & Abbas. Alibi: Abbates & Comites, Abbatiæ & Comitatus, *Pratin in lexic. & Hotoman. in lexic feud* De Abbatis electione & officio traditur *in can. nullus caus. 18. q. 2. & conſtit. Novell. 5. c. 9.*

52. Abbatiſſa dicitur Monarcharum, ſive Monialium antiſtita. Hæc præfici non debet, niſi ſit ſexagenaria, & virgo. *ex conſt. t. jur. canon. cap. juvenculas 22. q. 1. Hæc de Clericis.*

53. Pervenimus nunc ad Princeps & ſtatus Politicos Duces ſcilicet, Palatinos, Marchiones, Landgravios, Comites, Barones, & civitates liberas Imperiales, adą; jura territorialia quæ habent ex conceſſione Imperatoria. Prius diſpiciemus de eorum nominum ac dignitatum orginibus.

54. Principis vocabulum uſurpatur, vel in ſenſu proprio & genuino, vel improprio & metaphorico.

55. Propriè & *κατ' ἐξοχὴν*, ſolus Imperator appellatur Princeps, quod ipſe rei Romanæ dominus ſit, & Imperium habeat, ut videre eſt in titulis Imperatoris Juſtiniani, *in proœm. Inſt. §. ſed & quod Principi placuit tit. de jur. nat. gent. & civil. tot. t. de conſtit. princip. & alibi.* & patet ex *Tacit. lib. 1. Annal.*

56. Metaphoricè & ex uſu vulgi Principis appellatio tribuitur etiam aliis, quàm Imperatori, propterea quod in ſuo quiſq; territorio idem jus habere dicatur, quod habet Imperator in toto Imperio Romano. *Vult. lib. 1. Juriſp. Rom. c. 12. ad n. 23. in marg.* Adeoq; in generali ſignificatione illi appellantur Principes & cum adjectione, *Principes Imperij*, qui majorem Regalem dignitatem habent ab Imperio. In ſpecie tamen alius titulo Electoris, ali⁹ titulo Ducis, alius Comitis Palatini, alius Marchionis, alius Landgravii, alius Burggravii inſignitur: ſicut & titulo Principis aliqui ſimpliciter exornantur, ut videre eſt in Principibus Anhaltinis, Arnbergenſibus, & olim Hennebergenſibus.

57. Et illa dignitas, vel Celſitudo Principalis à Carolo M. majorib. poteſtatib. eorum, quos in partem ſolicitudinis ſuæ aſſumpſit, honoris ergò addita eſt, ut eo illuſtrius Imperium eſſet quo majoris & illuſtrioris dignitatis gubernatores haberet. Poſt *Andr. Knich. de jure Saxon. non provoc. c. 4. & de ſublim. territ. c. 1. n. 236. Kirchner. de Repub. diſp. 5. append. 4. ad lit. a.*

58. Illi autem, qui jam Domini & Principes ſunt earum regionum, quibus præſident, olim erant Magiſtratus, Præfecti & Præſides provinciales duntaxat: jam verò illæ in feuda ſunt commutatæ, & ſucceſſione hereditaria ad ſuos tranſmittuntur: adeoq; Ducum, Marchionum, Comitum, &c. nomina, non ut olim muneris, adminiſtrationis, & dignitatis temporariæ, ſed perpetuæ ad heredes tranſitoriæ, & Patrimonii ſunt nomina, *Duar. in com. feud. c. 8. n. 8. Beſold. de appel. c. 2. ſub §. 15. & in tract. de juriſdict. Imp. Rom. q. 16. Münſter. in Coſmograph. lib. 3. in deſcript. Germaniæ c. 20.* Inde ab eo tempore, quo Ducatus, Comitatus hereditarii ſunt facti gratiâ Dei ſe imperare, mandatis & Epiſtolis præſcribunt. *Beſold. d. q. 16.*

Dux ab Oberto is eſſe dicitur, qui eſt inveſtitus de Ducatu. *Mozzius de his qui feud. dar. poſſ. n. 16.*

59. Origo ab exercitus Romani Ducibus emanaſſe creditur, quos a Romani Imperii Principibus territoriis donatos, veriſimile eſt, ut tamen ab eis recognoſcant. *Zaſ. de feud. part. 5. n. 6. Vult. de feud. l. 1. c. 4. n. 14.*

60. Et hoc ſibi vult Germanicum illud vocabulum, Hertzog / quaſi Dominus & Dux exercitus, ein Herr des Zuges.

61. Caroli M. tempore Duces dicebantur, quibus 12. Comites ſubeſſent *Lancellot. in templ. omn. judic. l. 1. c. 4. n. 3. Hotom. in Lexic. in verb. Duces.*

62. Hodiè inter Duces ſummum locum in Imperio Romano obtinent Duces Auſtriæ, qui ob id Archiduces appellantur, quaſi ſupra Duces: ſicut Archiepiſcopus eſt ſupra Epiſcopos. *Mozz. de feud. d. l.* quod dignitatem ipſis tribuit cæteris Ducibus majorem, paribusque privilegiis cum Electoribus gaudent. *Albert. Crantz. in Saxon. lib. 6. c. 8. Chytræ. in Chron. Sax.* Inter cæteros autem Duces, quâ tales, nulla eſt differentia, ſed duntaxat ordo in ſeſſionibus. *Vult. d. n. 14.*

63. Ex ordine Ducum dependet, quod alii ſint Duces Imperii, alii verò ſimpliciter Duces, qui ſuo jure ordineq; cenſentur.

64. Duces Imperii quatuor ſunt: Brunſvicenſis, Bavariæ, Sueviæ & Lotharingiæ, *Munſterus d. c. 20. Onuphrius Panvinius de Comit. Imperat. c. 13.*

65. Etſi autem quidam opinentur, ab Ottone III. ordinem illum Imperii eſſe conſtitutum, quo ex ſingulis ordinibus quatuor per gradus ſint conſtituti, ut videtur *Petro de Andlo de Rom. Imp. & aliis, relatus ab Andrea Knichio. de jur. territ. c. 1. n. 84.* Probabiliorem tamen eſſe ſententiam *Cruſii & Munſteri*, dicit *Pauermeiſt. lib. 2. de jurisdict. Imp. Rom. c. 10. n. 26.* exiſtimantium, ab annis circiter 300. dignitates & officia hæc primùm eſſe conſtituta.

66. *Onuphr. Panvin. d. c. 13 à pr.* ſcribit, poſt VIII. Electorum ordinationem ex omnibus ordinib⁹, ſingulari quâdam dignitate atq; excellentiâ, ad Romani Imperii augendam majeſtatem, ejusq; dignitatē tuendam, aliquos per gradus, quaternario numero eſſe diſtinctos & ſelectos: ut ſicut ſunt quatuor Laici Electores, ſic eſſēt quatuor Duces, quatuor Marchiones,

quatuor

quatuor Landgravii, quatuor Burggravii, quatuor Comites, quatuor deinceps Barones, Nobiles, Milites, Civitates, Villæ, & Ruſtici, &c.

67. Comites Palatini, qui nobis Pfaltzgraffen dicuntur, olim erant judices, ſive præfecti Palatii Imperalis, Richter des Keyſerlichen vnd Königlichen Hoffs oder Pallaſt: qui nunc dicuntur Cammer oder Hoffrichter. *Vult. d. l. Munſter. l. 3. Coſmograph. c. 21. Rudinger. obſerv. cent. 4. obſ. 4.*

68. Marchiones ſive Comites limitanei dicebantur, qui tuendis finbus Imperii Romani erant præfecti.

69. Non ſolùm autem Imperii limitum curam agebant, & ad eos aſſiduè excubabant in armis: verùm etiam de omnibus limitum controverſiis judicarunt, & jus dixerunt, ut etjam ſentit *Keckerman. lib. 1. ſyſt. polit. cap. 21. fol. 346.* dicens: Diſtinguitur ita Marchio & Landgravius, quod hic ſit generalis judex terreſtris, qui de omnibus Regni controverſiis judicet: ille verò judex particularis, qui ſaltem de Regni limitibus & terminis. Der vber ein ſolch Land Richter iſt/ daß an den Gräntzen des Reichs liegt. *Borcholt. de feud. c. 5. n. 34. Conrad. Lagus in compend. jur civil. & Sax. l. 2. c. 8.*

70. Hodiè Feudiſtis Marchio dicitur, qui eſt inveſtitus de Marchia.

71. In derivatione verò verbi Marchiæ, mira eſt Doctorum diſſenſio. Alii à Marcomirio, Francorum Duce deducũt: pleriq; interpretes juris feudalis *ad c. 1. quis dicat. Dux.* à mari: alii à Celtico vocabulo Marchia, i. e. equus & Marchare, quod eſt equitare derivant: ut Marchio ſit quaſi equitum præfectus, ſeu Magiſter. *Alciat. in parerg. Oldendorp. de benefic. act.* quæ notationes *ab Hermanno Vultejo* meritò rejiciuntur *d. n. 14.*

72. Marchia *Domino Vultejo d. c. 4. fol. 58.* à finibus denominari videtur, qui vernaculâ noſtrâ ſignificent Marck/ eò quòd Marchiones finibus Imperii Romani tuendis præfecti eſſent, unde germanicè dicuntur Marckgraffen. Quam communiorem & firmam eſſe ſententiam, dicit *Stephan. num. 90. & 97.* ut Marchiones dicantur à limitibus Imperii Romani.

73. Ac licet hodiè Marchiones non ſint limitum defenſores,

ſores, nomen tamen ipſis ex conſuetudine adhuc integrum eſt. *Lazius in com. Reip. Rom. l. 1. c. 2.*

74. Marchiones Imperii ſunt quatuor: Miſnenſis, Brandeburgenſis, Moraviæ, & Badenſis. *Panvin. d. l.*

75. Landgravii ſeu Comites provinciales, judices erant totius alicujus provinciæ. Dicti etiam fuerunt judices mediterranei. Richter eines Lands/ daß zwiſchen des Reichs Lande liegt. *Borcholt. d. c. 5. n. 33. Lagus d. c. 8.*

76. Horum quatuor ſunt in Imperio: Thüringiæ, Haſſiæ, Alſatiæ, Leuchtenbergenſis. *Panvin. d. l.*

77. Burggravii, præfecti ſive judices erant certi alicujus præſidii, ſeu arcis, quam guardiam ſeu caſtaldiam vulgò appellant.

78. Burggravii Imperii quatuor hi conſtituuntur: Magdeburgenſis, Noribergenſis, Reineccenſis, & Momburgenſis. *Munſter. lib. 3. c. 24. Panvin. d. l.*

79. Hodiè Burggravii dicuntur, quibus arcis alicujus cuſtodia commiſſa eſt. *Petrus de Andlo. lib. 2. de Rom. Imp. c. 12.* Herren/ die eine Veſtung des Deutſchen Landes zum Lehen innen haben. *Lag. d. l.*

80. Nomen Comitis, in genere, eſt à comitando & ſequendo *l. 15. item apud Labeonem §. 16. Comitem ff de injur.* & Comites veteribus dicebantur, qui Proconſules & præſides in provinciam euntes, tanquam publicorum negotiorum conſortes & adminiſtri ſequebantur, quales erant Quæſtores, Scribæ, &c. *l. Senatusconſulto 16 ff. de off. præſid. l. ſed addes 19. in fin. locat. conduct. l. adminiſtrantes 41. §. eorum de excuſ. tut cum ſimil. Cujac. in paratit. Cod. l. 1. tit. 32. de offic. Comit. ſacrar. largit. Alciat. in lib. de ſingular. certamin. cap. 22.* Comites ſic dictos putant, quod ſacrum Comitatum Cæſaris ſequentur: vel qui ex eo ad regendam aliquam provinciam mitterentur.

81. Officium eorum erat cauſas cognoſcere, poſtulationes audire, libellos ſupplices legere, & his reſpondere circa edicta & epiſtolas ſcribendas, ac decreta interpretanda verſari, *l. 1. in fin. & §. 2. in Authent. de judicibus.*

82. Hinc Adſeſſores vel Conſiliarii vocabantur, quod judicanti aſſiderent, & conſulerent. *l. pen. & ult. de Adſeſſor.*

83. Succeſſu temporis appellatio Comitis porrecta eſt ad omnes, qui cui negotio præpoſiti eſſent. Unde eſt Comes ſacrarum largitionum, id eſt, præfectus, ſive præſes, cui theſauri Imperatoris fuerunt commiſſi: *tit. Cod. de offic. Comit. ſacrar. largit. Cujacius d. l. Vult. l. 1. Juriſp. Rom. c. 12. ad numer. 55. in marg.*

84. Unde in conſuetudinibus Feudorum Comites dicuntur, qui de Comitatu, feudi primo gradu inveſtiti ſunt. *Ant. Cont. in com. feud. tit. de diviſ. feud.* Suntq; judices ordinarii qui in pace & otio jus reddunt *c. unic. de pac. tenend. & ejus violat. §. 2. ſi judex populi.* Sic vox Comites accipitur in *c. ſi de inveſtit. inter dom. & vaſall.* & etiam hodiè in quibusdam Germaniæ locis vox Graff aut Greve/ judicem deſignat. *Specul. Saxo. lib. 3. art. 53. & ſeqq.*

85. Hinc appellationes iſtæ: Pfaltzgraffen / quaſi palatii Imperialis judices: Marckgraffen / quaſi limitum judices: Landgraffen/ quaſi judices, ſive præfecti provinciæ. Item Centgreven / qui in antiquis Germanorum legibus centenarii dicuntur: Gogreve/ Freygreve/ Dinggreve/ Holtzgreve/ Saltzgreve. *Cujac. lib. 1. de feud. c. 1. Vult. d. n. 14.*

86. Quare *cum Herman. Kirchnero in Repub. diſp. 8. th. 1. ad lit. d.* rejicimus illorum notationes, qui vocabulum Graff / à canitie, germanicè Graw/ vel à foſſis, Graben / deducunt: vel quod multò ineptius, ab hybrida compoſitione Anglici verbi Grith/ quod pacem ſignificat, & Latini væ, ratione hâc quod jure pacem facere debeat, qui patriæ inferat væ.

87. Comites *Tob. Pauerm. l. 2. de juriſdict. c. 10. n. 13.* definit, quibus dignitas Comitatus codicillis Cæſariis vel Regiis, vel uſu longævo quęſita eſt. *& n. 14.* addit: Sic plures in Germania eſſe Comites, de Comitatu non inveſtitos, ſed qui à caſtellis privatis, quę poſſident, dominationis titulos contraxerint, quorum majores Romæ Comites temporarios fuiſſe, nomenque dignitatis, dum exteras nationes peterent, retinuiſſe exiſtimat *Petr. de Andlo de Imp. Rom. l. 2. c. 12.* in eorumque numero eſſe ſuperſtites nobiliſſimos Comites ab Ottingen & Zollern, *eod. tract. l. 1. c. 15.*

88. Cæterum Comitum quidam Principum, quidam ſuo ordine cenſentur.

89. Qui

89. Qui Principum loco ſunt, cum adjectione ſic appellantur Marchiones, Comites limitanei, Landgravii, Comites provinciarum, &c. *Panerm. n. 21.*

90. His annumerantur die Gefürſtete Graffen / qui ex Comitibus in Principum ordinem adſcripti ſunt, ut olim Hennebergenſes, & hodiè Comites Arnbergii.

91. Olim tàm in Orientali, quàm Occidentali Imperio Comites Ducibus præferebantur, ut notat *Guid Panciroll. Notitiar. Imperij c. 1. & Occid. Imp. cap. 70.* Et in Gallia conſuetudine illos Marchiones antevertere refert *Alciat. in tract. de ſingular. certam. c. 32.*

92. Totius ordo Comitum in Comitiis Imperii duorum duntaxat habet ſuffragia.

93. Unum ſuffragium die Schwäbiſche / alterum die Wetterawiſche Graffſchafften / ut in omnibus Receſſibus videre licet.

94. Ad exemplum autem aliorum ordinum, ex Comitum cenſu, ſingulari Cæſarum privilegio, quatuor familiæ nuncupatæ fuerunt Comites Imperii, die vier Graffen des heiligen Römiſchen Reichs: Comites nimirum Clivenſes, Cilienſes, Sabaudici, & Schwarzburgenſes *Pet. de And. in d. tract de Imp. Rom. c. 16. Münſt. lib. 3. c. 29.* ex quibus cùm Clivenſes & Sabaudi in Principum ordinem ſint adſciti: Cilienſes extincti Anno 1456. ſoli Schwartzburgenſes in Thüringiâ in eo ordine ſunt ſuperſtites, tituloque utuntur, der vier Graven des Reichs / Graffen zu Schwartzburg.

95. Baronis etymologiam quidam longè petunt, ἀπὸ τῆς βαρύτητος, à gravitate, quod eorum munus fuerit in ipſis Ducatibus non ſolùm militare, ſed prudenter atq; graviter Ducibus ipſis conſulere, de rebus gerendis conſilium capientibus. *Alciat. in lib. de ſing cert. c. 32. Baro. de jure benefic. Egrin. lib. 1. c. 3.* vel à βάρυ, hoc eſt, mole vel vaſtitate corporis: qua cæteros ſuperare debeant. *Iſidor. lib. 9. Etymolog. tit. de civ.* vel ab Hebræo Bar, quod filium *ſignificat. Luc. de Pen. in fin nu. 8. C. de mancip.* vel à Germanico Banner/quod ſignificat vexillum. *Borch. de feud. c. 5. nu. 39.* Propriùs collimant, quibus Barones

à Germanico Freyen / quaſi liberi domini, & exempti appellati videntur, *Pauermeiſt. num. 27. & Vult. d. c. 4. fol. 63.* vernaculâ noſtrâ, inquit, Barones dicuntur Freyherrn / quaſi liberi domini, fortaſſe quod liberum illis ſit Comites fieri, quandocunque placet, ſicuti Licentiatis fieri licet Doctores quandocunque ipſis libet. *Idem Alciat. lib. 5. Parerg. cap. 16.* Baronem pro generoſo inſignique homine accipi refert. *Pauerm. num. 31.* Barones dicit eſſe proceres proximos poſt Comites, nobilitatis gradu ornatos: licet quidam Germaniæ moribus inter Comites & Barones, præter nominis ac ordinis rationem, parùm vel nihil intereſſe arbitrentur. *Schenck. Baro. lib. 2. de feud. tit. 10. fol. 234. a pr. Roſenthal. de feud. cap. 2. concluſ. 1. num. 5.*

96. Etſi autem in Decretis Comitiorum linguâ Germanicâ Barones variis nominibus appellentur: alii ſimpliciter Freyen/alii Freyherrn / alii ſemper Freyen / alii ſimpliciter Herrn / alii Edle Herrn/ alii ſimpliciter Edle: exinde tamen nulla genera Baronum conſtituenda aſſerit *Pauermeiſt. num. 38. & ſeqq.* Sed eos nobilitate ac dignitate pares eſſe: cùm omnes generali vocabulo Herrn / comprehendantur. In genere autem *numer. 41.* inter Barones ita diſtinguit: quod quidam ſimpliciter Freyen/ Freyherrn / Edle Herrn / vel Herrn tantùm: quidam cum adjectione Freyherrn des Reichs dicantur, qui locum in Senatu Imperii, ac dictionem ſententiæ habent.

97. Quatuor Imperii Barones antiquitùs conſtituti, hi referuntur à *Munſtero l. 3. c. 24.* Limburgicus, Tuſſenſis, Weſterburgenſis, Aldevualdenſis.

98. Tandem ad Civitates & Imperiales devolvimur.

99. Imperiales rurſus vel ſunt liberæ & Imperiales, vel Imperiales tantùm.

100. Illæ ſolum Imperatorem recognoſcunt, ab eoque plenam & omnem conceſſam, vel præſcriptam habent juriſdictionem in Decretis Comitiorum frequentiù vocantur Des heiligen Römiſchen Reichs Frey und Reichs Stätte.

101. Imperiales tantùm ſunt, quæ partim Imperatorem

ſcil.

ſcil. quoad Regalia, quæ ab eodem habent: partim Electores, Duces Imperii, quo ad territoria, in quibus ſunt ſitæ civitates recognoſcunt, quæ tamen etiam à principaliori civitates Imperiales Reichs Stätte rectius appellantur *Geil. 2. obſ. 54. num. 10. & obſ. 57. & 8.* cum non niſi certo reſpectu, & certis cum pactis territoriorum Dominis ſubſint. *Mynſ. reſponſ. 13. num. 10.*

102. Ut autem ex reliquis ordinibus quidam ſingulari dignitate & excellentiâ, ad augendum Imperii ſplendorem, fuere inſigniti Duces, Marchiones, Langravii, Burggravii, Comites, Barones Imperii: ſic etiam quatuor civitates primariæ: Auguſta, Aquisgranum, Metis, & Lubeca, ſpeciali privilegio κατ' ἐξοχὴν Imperii civitates fuerunt appellatæ *Munſter. d. lib. 3. cap. 24.*

103. Statibus à nobis enumeratis partim ex contractu & inveſtitura feudali, partim privilegio, vel expreſſo, vel tacito, communicatum eſt jus territroii. Qui autem Principes habent territoria, juraque territorialia, illi dicuntur habere die Landesfürſtliche Oberkeit oder Hoheit.

104. Verba inveſtiturarum, à quibus omnis Principum dependet juriſdictio, plerunque ita haben: Wir Keyſer N. belehnen N. N. mit dem Herzogthumb / Pfaltzgraffſchafft / Marckgraffſchafft / Landgraffſchafft / Graffſchafft / Herrſchafft / Biſchoffthumb / Prelatur / mit allen Gerichten oberſt vnnd vnderſt.

105. Vigore illius conceſſionis Principes, Duces, Marchiones, &c. exercent omnem omninò juriſdictionem & poteſtatem in ſuis ditionibus, quam Imperator in univerſo Imperio. Idcirco quilibet perhibetur Imperator in ſuo territorio. Ubi tamen expreßè à Doctoribus excipiuntur illa, quæ ſummo Principi in præeminentiam, & ſignum ſuperioritatis expreßè ſunt reſervata. *Boſſ. in tract. de crimin leſ. majeſt. numer. 52. & ſeq. & tit. de regal. numer. 5. Cacheran. deciſ. Pedemont. 29. numer. 5. deciſ. 88. num. 17. deciſ. 101. num. 1. & 12.*

106. Quoad Comites, qui jure ſuperioritatis gaudent, illi ſcil. qui ab Imperio cum regalibus, juriſdictione ac juribus aliis omnibus, ut habent clauſulæ vulgares, ſunt inveſtiti, vel uſu ac poſſeſſione legitimè acquiſita habent, Principes eſſe dicuntur, & ſic idem obtinent jus & auctoritatem. *Sicbard. conſ. 8. Modeſt. Piſt. q. 70.* Comites verò ſuperiorem immediatum, aliumq; Imperatorem recognoſcentes, hi Principes dicuntur abuſivi, & ſic jura Imperialia non habent, ut ex Afflict. in tit. quis dicat. Dux, Marchio, vel Comes], loquitur *Cacheran. d. deciſ. 88. n. 1* Unde *Jaſon. poſt Bart. Alex. & Aretin. in l. 5. n. 10. ff. de verb. oblig.* Comites recognoſcentes talem ſuperiorem, æquiparet præſidibus, & Magiſtratibus, non autem Principibus.

107. Barones, qui de regalibus & juriſdictione omnimoda, cum mero & mixto Imperio ſunt inveſtiti, vel etiam præſcriptione quæſitam habent, in toto Baronatu, quoad perſonas & cauſas, eandem quoq;, quam Principes & Comites, in Principatibus & Comitatibus obtinent poteſtatẽ. *Pau. d. c. 10. n. 42.*

108. De Nobilibus liberis, von der Freyen Ritterſchafft/ major eſt dubitatio. *Joannes Bidenbachius in quæſtionibus Nobilibus, quæſt. 1. num. 11. Joach. Cluten. in faſcic. rer quotid. th. 26. lit. K. Rutger. Ruland. 5. de commiſſ. cap. 4. num. 49. & alij*, Nobilibus immediatis, ut vocant, poteſtatem, eminentiam, juriſdictionemque territoialem qualitate & ſpecie parem cum ea, quam habent cæteri ſtatus, in ſuis caſtris & pagis aſſignant: & majori libertate eos frui, quàm Comites & Barones Auſtriacos, notat *Berſius in tract. de pact. famil. cap. 2.* Quibus calculum ſuum addit *Beſold. de juriſdict. Imp. Rom. q. 17. in fin.* Nobilesque tales in pace quoque Religioſa plenariè comprehendi refert. Et in conſilio annexo dicto tractatui *fol. 88.* Nobilitas Sueviæ, inquit, Franconiæ, & ſuperioris tractus Rheni, cenſetur ſubjectionis neſcia: & comparatur liberis Imperialibus civitatibus, quoad caſtra & territoria ſua. *Poſt Geil. obſ. 92. n. 11. & Wehner. in obſ. pract. verbo*, Ritterſchafft *& in verb.* Stände des Reichs.

109. Verùm *Joannes Gæddæus in conſil. de reſtitutione Baroniæ Vallendar. n. 379. & 371.* in hac verba ſcribit: Nobiles Rhenani tantùm ex eo hâc libertate gaudere geſtiunt, quòd certa quædam

quædam ſunt caſtra Imperii libera, quibus aſſignati ſunt, & quorum Municipes facti, ſeu Ganerben vnd Burgmanne / uti exemplo inter cætera eſt, caſtrum Friedeberg in Wederavia, & ſimilia. Quæ caſtra cum territoriali jure Imperatores & Reges Romani exemerunt, & regali quadam dignitate muniverunt. Atque ita ſingulorum Nobilium caſtra non gaudent, propriè territoriali jure, ab aliquo Imperatore conceſſo, ceſſovè, niſi forte ex conſequente. Unde & titulata non ſunt eorum caſtra, nec ullis ornata regalibus.

110. Civitates quoque liberæ Imperiales, immediatè Imperatorem recognoſcentes, ex communi Doctorum ſententia, in ſuis diſtrictibus & territoriis, tam quo ad cauſas, quàm perſonas, æqualem juriſdictionem atque imperium habent, ac cæteri Imperii ſtatus. *Bartol. in l. infamem. num. 14. ff. de pub. judic. Geil. 2. obſ. 57. & num. 7. & l. 1. de pac. public. cap. 6. numer. 11 Rutger. Ruland. 5. de commiſſ. cap. 4. num. 41. Beſold. claſſ. 1. diſp. pol. th. 10. 11. & in tract. jurisdict. d. q. 17.* Et ſic regalia & fiſcalia jura habere dicuntur. *Peregrin. de jur. fiſci. l. 1. cap. 2. num. 4. & ſeqq.* quin legatos unà cum Imperatorum, Electorum, & Principum legatis, ad exteros Reges vel Principes in cauſis graviſſimis mittunt, *Matth. Steph. de jurisd. l. 2. p. 1. c. 4. num. 35.*

111. Hic verò in totum diſſentit *Andreas Knichen de jur. territ. c. 1. & in ſingulari tractatu*, cujus inſcriptio: *Velitatio Apologetica*: in qua civitatibus liberis Imperialibus jura territorio illinita, hohe Lands Obrigkeit (niſi peculiari privilegio, vel more originationis inſcio quæſita ſint) negata cenſeri deducit.

* *
*

Coro-

Coronis.

Olim titulus & nomen Nobilitatis tantùm illuſtrioribus & principibus attributum eſt. Sicut & ipſe Imperator Nobiliſſimus appellatur in l.3.ff.de natal reſtit.*& Marchionem Miſnenſem Nobilis viri titulo inſignit Innocent. III.* c.conſtit.de teſt.& atteſt. *eumq; ſtylum curia Pontificia hodiè in inſcriptionibus & titulis tum Electorum, tum Ducum, & aliorum Principum retinet, ut refert* Kirchn. inRepub.diſp.12.th.1.ad lit.b.Munſter.d.l.*Sic Anno 1561. cùm conventus Principum Auguſt.Confeſſ. Naoburgi ad ripam Salæ celebraretur; Pontificij legati ſingulis Principibus exhibuerunt Brevia ſeu literas Pontificis, cum hac inſcriptione: Dilecto filio, Nobili viro N. Duci N. quæ omnes non reſignatæ in hoſpitiumPontificiorum remiſſæ ſunt.*Chytræ.in Saxon.lib.20.fol.525. *nec immeritò. Ut enim in Veteri Rom. Repub. quatuor fuère ordines dignitatum: Maximi, ut ſuperilluſtres. Magni, ut illuſtres. Medij, ut ſpectabiles. Minimi; ut clariſſimi.*Novell.23.c.1.2.3.4.l 2.c. 2.ut dignit.ordo ſervet.& tit.ſeqq.gloſſ.in proæm.Inſt. ad §.3.cumq; hoc verb.illuſtribus.*Ita hodiè ſpecialibus titulis & nominibus, Sereniſſimi, illuſtres, generoſi, à nobilibus privatis diſcernuntur.*Kirchner.d.l.*quem ordinem interturbare, Sacrilegij inſtar haberi; reſcribitur* ex l. 1. cap. ut dignit. ord. ſerv.

FINIS.

DISP. IX.

DISPUTATIO IX,

De

RELIGIONE ET LEGIBUS.

RESPONDENTE

JOHANNE GEORGIO SATTLERO, WÜRTEMBERGICO.

THESIS PRIMA.

HUc uſque de Republica ejusq; cauſis & formis, de publico ſummoq; regimine & membris ejus diſceptavimus: diſpiciamus modò de inſtrumentis ſeu baſibus regiminis, legibus ſcil. & Religione, ſine quibus nulla Reſpub. nulla hominum conſociatio ſalva ac illæſa ſtare poteſt, ut meritò Religio & Lex duo fortiſſima Reipubl. fulcra & fundamenta vulgò dicantur.

2. In omni autem re oportet prius vocis ipſius uſum cognoſcere, à quo ſæpenumero provehimur in rei perceptionem, *docente Julio Cæſare Scaligero exerc. 1. à pr.* quare præcepto illi aures accomodabimus, & omnium primò Etymologias vocabulorum excutiemus.

3. Religionem *Cicero* à relegendo derivat; ſed rectiùs à religando dictam aſſerit *Lactant. lib. 4. divin. inſtit. c. 20.* quod vinciat & obſtringat cultu pietatis, metuq; Numinis animos hominũ, in quos maximũ ejus Imperium. *Lipſ. l. 1. Pol. c. 3.* omnes ſiquidem religione moventur, & Deos Patrios, quos à majoribus acceperunt, colendos ſibi diligenter, & retinendos arbitrantur. *Cic. 5. in Verr.*

4. Hinc *Plinio lib. 14. c. 19.* vita dicitur conſtare religione.

Hæc enim ſola eſt, quæ cuſtodit hominum inter ſe ſocietatē: ſine qua non fides, non juſtitia, non conſcientia, ſed perfidia, protervitas, & nefanda confuſio. *Lactant. de ira Dei c. 12.* Et urbs, *dicente Plutarcho*, videtur citiùs ſine ſolo, navis ſine carina, domus ſine fundamento, quàm Reſpublica ſine divini Numinis veneratione aut conſtitui, aut conſtituta ſervari.

5. Sicut autem unus eſt Deus: ita quoque unus verus & S. Scripturæ conformis eſt Deum colendi modus, ac proinde una tantùm, eaq; vera & orthodoxa religio, quæ per juratos Spiritus S. Notarios, in veteris & novi Teſtamenti tabulis cōſignata, Orthodoxam de Chriſto doctrinam continet.

6. Quare non ſolùm una in Republica ſummoperè efflagitanda, inſtituenda, plantanda, & quatenus fieri poteſt, propaganda, & defenda eſt religio: verùm etiam cuilibet, potiſſimum magiſtratui ſummo, omnes diſſenſiones religionis ſedulò præcavendę atque avertendæ ſunt, & eò incumbendum, ut quod *Actor. c. 4. v. 32.* legitur, multitudinis credentium cor ſit unum, & anima una. Felix enim illa caritas, & beata Reſpublica non immeritò celebratur, quæ unius & ſanioris doctrinæ luce colluſtratur.

7. Diverſitas v. opinionum in religione Pandora ferè eſt omnium malorum, quæ in mundo magno cum hominum detrimento quaſi diſſeminata ſunt. *Boter. libr. 5. de Politia illuſtrium, c. 2. fol. 350.*

8 Hinc etenim conjurationes, ſeditiones, conciliabula exiſtunt. *Lipſ. l. 4. polit. c. 2.* contra quam opinati ſunt Reges Ægypti, qui firmandi ſui causâ plures induxerunt, ne unquam conſpirarent inter ſe ſubditi ipſorum, *Diodor. Sicul. lib. 11.*

9. At v. cum unitatem in cœleſti doctrina optare potius, quàm ſperare forſan, in magna præcipuè Republica, vix liceat: hæreſesq; eſſe cum oporteat, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant, *1. Cor. 11. v. 19.* Hinc prudentioribus placuit Politicis, ſi hæreſeos malum legitimis mediis tolli ac mutari nequeat, tolerandam tunc eſſe religionum varietatem, non approbandam, præſertim cum Salvator ipſe præceperit, ut zizania creſcere ſinamus, ne ſimul triticum eradicemus. *Matth. 13. v. 29.* vid. *Benbellonæ ſuſcitabulum, to. 1 fol. 82. uſq; ad 95.* conf. *Dn. D. Gerhard. in Coronide quæſt. polit.*

10. Sic

10. Sic in Germania ſaluberrima illa conſtitutio pacis Religioſæ Paſſavii, Anno 1552. 2. Auguſti ſancita, & in Comitiis Auguſtanis juſſu Caroli V. Imperatoris, à Ferdinando Rege Romanorum, & Statibus Imperii ſolenniter introducta eſt, An. 555. & deniq; An. 1566. confirmata à Maximiliano II. Cæſare, cujus vigore tota Germania ſævis tunc intricata bellis pacatior reddita fuit, & halcyonia ſua obtinuit. unde palladium noſtri Imperii eam ſcite & verè indigitat *Springer. in tract. de pace Religioſa. c. 1.*

11. Exemplum Germanorum ſecuti ſunt Poloni, ſancitâ confœderatione religionis, Anno 1573. *Keckerm. lib. 1. Syſt. pol. c. ult. fol. 523.* Puchra etiam illa roſa Franciæ, quæ bellorum civilium turbinibus ob religionem planè in ſanguinem verſa videbatur, rurſus effloruit, libero religionis exercitio permiſſo. *Iſac. Pontan.*

12. Propaganda verò eſt religio docendo & monendo, argumentis & teſtimoniis, quæ paulatim ad aſſentiendū alliciunt, non minis, vi & armis. Sic *Lactant. lib. 5. divin. Inſtit. c. 20.* Non eſt opus vi & injuriâ, quia religio cogi non poteſt. Verbis potius, quàm verberibus res agenda eſt, ut ſit voluntas. Nemo ſanè cogitur, invitus ut credat, quod dilucidè probat auctor annotationum ad acta Colonienſis pacificationis, An. 1579. inter Hiſpaniæ Regem, & ordines Belgic. inſtitutæ, 84. 85. *Gentilis l. 1. de jur. bell c. 10. Tholozan. l. 12. de Repub. c. 4. n. 11.* Liberum eſt credere, & quiddam divinum in Spiritu, *Luth. tom. 2. Jenenſ. fol. 182.*

13. Eleganter quoque Stephanus Rex Polon. dicere ſolebat: Deum ſolum ſibi hæc tria reſervaſſe: Ex nihilo aliquid facere, ſcire futura, & dominari conſcientiis.

14. Longum igitur valeat Inquiſitio Hiſpanica, quæ hæreticos, ut vocant, ultimo afficit ſupplicio.

15. Quin religio Dei augetur, quantò magis premitur, inquit *idem Lactant. d. c. 20.* & *Auguſtin. Epiſt. 3.* Etſi, ſcribit, Eccleſia duriter premitur, tamen inter inimicos augetur, perſecutionibus creſcit, per afflictionum anguſtias uſque in terrarum extrema dilatatur.

16. Lex juxta Varronem, à Legendo dicta eſt, ſecundùm Jureconſultos à deligendo, ſeu eligendo, quod ex plurib. ſta-

ſtutis ſit lecta, ut obſervetur una, *Ferrar. lib.1.Inſtit.tit.2.* non-nulli tamen non ab eligendo, ſed à ligando legem derivant. *Petr. Auguſtinus Morla in emptorio utriusq; juris part.1.tit.1.n.13.* Græcè dicitur νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν, à tribuendo, quod unicuiq; ſuum tribuat, vel ἀπὸ τοῦ νέμειν, ab adminiſtrando, quod omnia adminiſtret, aut jubendo, aut vetando. Vel quaſi νοῦς ſeu mens quod ex divina in humanam mentem, hinc in civitates & urbes promanet, quò reſpiciens Plato, dicebat, legem obtinere nomen ſimile nomini mentis. Hæc de nomine.

17. Secundùm nomen res ſtatim quærenda eſt. *Scalig. exerc.359.ſ.2.* Lex autem à variis variè definitur. Nobis placet definitio Papiniani *in l.1 ff. de legib.* Lex eſt commune præceptum virorum prudentium conſultum, comunis Reipubl. ſponſio.

18. Cauſa efficiens legis alia eſt remota, alia propinqua.

19. Remota eſt Deus ter Opt. Max. cauſa & fons omnis boni in natura, qui divinos mentibus hominum indidit igniculos, ex quibus, quid æquum & juſtum, quidvé iniquum & injuſtum ſit, perſpicere poſſint.

20. Propinqua ſunt prudentes homines, multarum rerum experientiâ & uſu, quid è re civilis tranquillitatis ſit, nec ne, edocti, auctoritate publicâ armati, & ad rerum gubernacula evecti, quales ſunt Impp. Reges, Principes, Comites, Barones, Conſules, Prætores, Tribuni plebis, &c. *Marant. de judic. part. 3. per tot.*

21. Materia legum ſunt non tantùm contingentia, libertati voluntatis noſtræ ſubjecta: ſed feruntur etiam de rebus neceſſariis & naturalibus. Sic honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuiq; tribuere ſunt naturalia, & tamen juris præcepta dicuntur ab Imp. Juſtin. *in tit. de juſt. & jur. §.3.* & titulus ſecundus eſt de jure naturali, gentium & civili.

22. Forma legis conſiſtit in recta ratione, ſic vulgò dicitur, animam legis eſſe rationem. *arg. l. ſcire ff. de legib. Weſ. in paratit. de legibus n.5.* Quod ſi enim lex ratione non ſit informata, ne nomen quidem legis habet.

23. Finis legis eſt beatitudo politica & civilis: quatenus videlicet leges virtutis ſtudium promovent, & ad illud accommo-

commendatæ ſunt: dum bonis præmia, malis, pœnas promittunt.

24. Species legum numerantur duæ: Aliæ enim ſunt divinæ, aliæ humanæ. *c. omnes leges. 1. diſt. Maranta d. part. 3. n. 80.* Illæ à Deo vel immediatè, ut præcepta Decalogi in monte Sinai: vel mediatè, per os Prophetarum, Evangeliſtarum & Apoſtolorum: Hæ verò ab hominibus proficiſcuntur.

25 Leges humanæ ſubdividuntur in naturales & poſitivas ſeu civil. *l. pen. ff. de juſt. & jur. tot. tit. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.*

26. Illæ omnibus per naturam inſunt, & impropriè vel abuſivè dicuntur leges. Hæ verò à lege naturali eductæ & extructæ, à prudentibus proponuntur, & varias denominationes accipiunt: vel ab autoribus & legumlatoribus, ut Solonis ac Draconis, Athenienſium, ac omnes ferè Romanorum: aut à tabulis, in quibus ſcriptæ vel inciſæ ſunt, ut 12. tabb. aut ab eo, quod jubetur, ut Agraria, Sumptuaria, Frumentaria, &c. vel à loco; vel modo rogandi, vel auctoritate, ut Romanorum leges ſacratæ, curiatæ, curiatis Comitiis latæ &c. *Antonius Auguſtinus in lib. de legib. c. 5.*

27. Quæſtionis verò eſt: An in Republica benè conſtituta neceſſariæ ſint ſcriptæ leges? Reperiuntur homines, nec de fece Romuli tantùm, ſed & illi ipſi, qui in Republica literaria familiam ducunt, exiſtimantes, in hac civili ſocietate non opus eſſe legibus ſcriptis, & multò meliùs rectiusq; ſecũdùm naturalis rationis judicium atq; arbitriũ imperantium, quàm legumlatorum præcepta, lites ac controverſias dirimi poſſe: clamitantes, leges eſſe inſtar cerei naſi, prorogationis eſſe cauſam, Advocatis cavillandi præbere materiam, ac proinde ex judiciis & aulis eſſe exterminandas.

28. Verùm enim verò ſi judicis arbitrio controverſiæ eſſent dirimendæ, ſi jus incertum, dubium, vel ambiguum, ſi nutu imperantium inſtar polypi alicujus transformaretur, & nunc hanc, nunc illam formam indueret, quæ judiciorum & politiæ erit vis? quæ auctoritas? cùm enim hiſtoriarum loquantur monumenta, & quotidiana teſtetur experientia, judices variis affectionibus, corruptelis ac depravationibus eſſe obnoxios, & jam ambitione, jam gratiâ, vel odio, jam im-

prudentiâ, jam recti ſpecie ſeduci & abduci, quis non videt formâ & normâ opus eſſe, ad quam, ut Architectus in extructione ædificii, ad libellam & lineam: ita judex in judicando reſpiciat? *Lipſ.l.1.pol.c.7.*

29. Ubi verò lex dominatur, ibi nullum eſt odium, nullum præjudicium, nullum ſuffragiũ, nulla προσωποληψία, nullus favor, nulla vindicta, nulla ira, nulla cupiditas & ambitio, ſed certa juſtitiæ regula, æquitatis norma, judiciique directrix, quæ affectibus veluti compedes injicit.

30. Hinc lex, magiſtratus mutus, & magiſtratus lex loquens indigitatur, & ſicut magiſtratus populo, ita magiſtratui lex præeſſe dicitur. *Cic. lib.3. de legib.*

31. Et eleganter magnus ille *Zaſius*: Æquitas, inquit, omnia benè æquiparat: tamẽ æquitas, quæ non eſt jure ſcripta, ſed ex motu & affectione animi apparet, contra jus ſcriptum, non eſt ſequenda: alioquin nihil etiam vel certum, vel perpetuum in jure noſtro, quibuslibet judicibus cauſarum ſtatum ad quamlibet imaginatam, & domi natam æquitatem detorquentibus. Quibus conſonant illa, quæ tradit *Felin. in c. ex parte 2. in princ. de offic. del.* judex debet procedere ſecundùm æquitatem juris, & non ſecundùm æquitatem informatam à jure naturali: Nam ejus æquitatis habenda eſt ratio, quæ non ſolùm ex naturali jure gentium, ſed ex præceptis civilibus & prætoriis æſtimatur. *l. bona fides ff. de depoſit:* Hæc etiam æquitas plena, abſoluta, & legalis: illa verò informis & imaginaria dicitur, ut eleganter ſcribit *Moder. Pariſ. de feud. tit. 1. §. 41. n.86. & ſeq.* Non ergò quis ſibi formare debet opiniones ex propria phantaſia, ut notat *Angel. in l. cum quadam. §. quod dicitur. ff. de acquirend. heredit.*

32. Rectè itaque Plato alicubi aſſerit, eam civitatem diſperire oportere, in qua non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præſunt. Hinc *Cicer. in orat. pro Cecinna:* Nihil eſt, ait, in civitate tàm diligenter, quàm jus civile retinendum & *l.1. offic.* eidem placet, plerumque magis leges, quàm arma eſſe Reipublicæ neceſſaria. Quod itaque clavus in rota, idem lex in Republica præſtat.

33. Imò nulla uſquam, vel mediocris Reſpublica, ſine certis legib. fuit. Et quid de Romanis dicemus? Hi armis & legib. ſe

exercen-

exercentes,orbem terrarum ſuum fecerunt,& armis quidem conſtrinxerunt, legibus autem conſervarunt. *Lorvandus de Regnorum ſucceſſione.* Hinc Imperator. Juſtin. *in proœm. Inſtit. à pr.* Imperatoriam majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legib. oportet eſſe armatam,ut utrumq; tempus, & bellorum,& pacis,rectè poſſit gubernari,&c.

34. Deniq; Perſis lex erat,ut à morte Regis legum & juris intermiſſio per quinq; dies fieret, nimirum,ut intelligerent ſubditi,in quo pretio Regem ac legem habere debeant. *Serinus apud Stobæ. ſerm. 42.* Propheta exulceratiſſimum Reipublicæ ſtatum deſcripturus,dicit:non fore Sacerdotem,non Doctorem,neq; legem,neq; Principem in populo. *2. Paralip. c. 15. v. 3. Dan. c. 3. v. 38.*

35. Evicto hoc,quòd leges ſcriptæ ſint neceſſariæ, ulteriùs quærimus: utrum Chriſtianis licitum ſit Ethnicorum legibus uti? Hìc quamvis diverſi diverſa dicant & ſcribant, quos refert *Zepper. lib. 1. c. 2, & 3. de legib. Moſaic.* nobis interim affirmantium ſententia arridet,quòd ſic:modò cum pietate & honeſtate,cum Decalogo & jure naturæ leges illæ non pugnent.

36. Quid enim? Immotæ veritatis axioma eſt. Evangelium non abolet politias nec jura politica. *Matth. 22. verſ. 21. Marc. 12. v. 17. Luc. 20. 25.* Sed vult,omni magiſtratui eſſe obtemperandum. *Rom. 13. v. 1. & 2. 1. Epiſt. Petr. 2. v. 13. 14. & 18.* Ubi expreſsè additur,non tantum bonis ac modeſtis, ſed etiam *δυσκόλοις*, hoc eſt,difficilibus dominis obedientiam eſſe præſtandam. Quod ſi ergo ipſis Imperatoribus Ethnicis jubemur aures accommodare: cõſequenter etiam eorum legibus ac præceptis. Et quid Apoſtolus? pulſatus ille,ex lege Imperij Ethnica, Cæſarem appellat. *Act. 25. v. 10. & c. 22. v. 25.* dicit,ſe civem Romanum eſſe, ideoq; ex lege Imperii non ſerviliter verberandum.

37. Sed & Marcianus JC. eleganter ex Demoſthene ſcribit: Lex eſt, cui omnes obtemperare convenit: tùm ob alia multa,tùm vel maximè eò, quòd omnis lex inventum ac munus Dei eſt. *l. 2. ff. de legib.*

38. Valent itaq; illæ leges propter poteſtatem & auctoritatem Imperatoriam,ijsq; utimur non ut Ethnicis, ſed tanquam

quam à Deo mediatè promanantibus, Chriſtianorumq; Imp. ſuffragiis approbatis, & ſicut noſtris. *Dn. Arumæ. exercit. Juſt. 1. theſ. 1.*

39. Expreſsè autem diximus, legibus honeſtis & piis obedientiam eſſe præſtandã à ſubditis: legibus verò impiis & iniquis, ab impio & infideli magiſtratu latis Chriſtianos nequaquam obligari ſtatuimus, *cum Domino Helfrico Ulrico Hunnio de auctorit. jur. civil. c. 1. quæſt. 5.*

40. Ex hac quæſtione dependet illa: An leges humanæ habeant tàm naturalem, quàm civilem obligãdi vim in conſcientiis? De qua Comitia aguntur in Scholis tùm Theologorum, tùm Juriſconſultorum ſanè graviſſima.

41 De civili obligatione res eſt expedita, cùm lex ſit ipſa membrorum noſtrorum domina. *l. lib. homo. ff. ad. l. Aquil.* & inventrix pœnarum ac præmiorum ad bonum publicum, cujus intereſt: Ut quemadmodum virtutes & benè merita beneficiis ac bonorum præmiis exornantur & compenſantur: ſic etiam maleficia & improbæ actiones non maneant ſine pœna, & vindictæ compenſatione. *l. ita vulneratus 51. circa fin. ibi. neque impunita. Gœd. de verb. ſignific. ad l. 6. n. 7.*

42. At de naturali obligatione controvertitur. Sunt n. ex ordine Theologorum, quibus negativa arridet ſententia, eiq; adhærent etiam nonnulli ex Jureconſultis. Nos affirmativæ ſententiæ, immotis ſubnixi fundamentis ſubſcribemus.

43, Nam 1. Quicquid ex lege naturæ provenit, illud obligat naturaliter in foro conſcientiæ. Atqui leges humanæ juſtæ & rationales è lege naturæ derivantur, ſicut *l. 1. §. 3. ff. de furt. §. 3.* furtum admittere, lege naturali dicitur eſſe prohibitum *& l. 42. de verb. ſignific.* idem reſcribit Ulpian. Ergo.

44. 2. Obedientia erga magiſtratum naturalis eſt, naturaliq; ratione inter omnes ratione utentes humanâ, recepta, omneſq; ad obediendum adſtrigit. *l. 2. ff. de juſt. & jur.*

45. 3. Nec non divino præcepto, magiſtratus juſſus ad obedientiam & pœnam nos obligant, cum Deus politias, earumq; ordinationes rationabiles approbaverit, nec violatores velit eſſe impunitos. *Melanch. in exa. Theol. in loc. de Magiſt. polit.* Et quid hoc eſt, ꝙ dicit Paulus *in Epiſt. ad Rom. 13. v. 1. & 2.*

omnis

Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit: non n. eſt poteſtas, niſi à Deo: qui verò reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſtiterint, ſibi ipſis judicium accipient? & Divus Petrus *1. Epiſt. 2. v. 13. & 14.* ſubjecti eſtote, ait, omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti: ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

46. Quæ autem circumſtantiæ & diſtinctiones ſint obſervandæ, ut dicatur facta transgreſſio legum, tradit *Dn. Gerhard. decad. 5 cent. pol. quaſt. 8.*

47. Diſſentientium argumenta accuratè refutantur *à Gæddæo n. 11. d. 12. d. Hunio d. c. 1. quaſt. 2.*

48. De correctione & mutatione legum quæritur: an ea permittenda, vel approbanda?

49. Etſi autem *Ariſtoteles lib. 2. pol. dicat*: Receptas leges non eſſe mutandas, etiamſi quid incommodi habeant: nec non multæ graveſq; cauſæ ſubſint, quæ mutationem legum ſimpliciter diſſuadere videntur: Hinc enim nova Reipublicæ introducitur forma, novi mores, &c. quæ novitas non ſolum periculoſa, ſed etiam valdè exoſa eſt: Antiquitas verò ipsâ vetuſtatis ſpecie tam cara cuiq; eſt, ut lex antiqua ſine magiſtratibus ſeipſam facilè tueri poſſit, *teſte Bodino lib. 4. de Repub. c. 3.* Qua de cauſa ſemper curæ fuit legumlatoribus, cavere, ne ſine gravi conſilio leges longo uſu comprobatæ mutentur, cujus rei inſigne exemplum recitat Demoſthenes *in orat. contra Timocratem* de Locrenſibus, apud quos unica lex, à ducentis annis fuit lata. Sed & Lycurgus legibus ſuis æternitatem dare voluit: Nec non Solon promulgatis legibus, Athenienſes jurejurando adegit, ut eas centum annos ſtabiles eſſe paterentur. *Plutarch. in Solone.*

50. Nihil tamen impedit, quò minus neceſſitate ita exigente, & evidēte mutationis utilitate elucente, veteres leges, minus præſertim æquæ, mutentur, vel ſaltem corrigantur. Nam *ſalus populi ſuprema lex eſto*, ut habet lex d. 12. Tabb. ſuffragio ſuo nos ſublevat *Bodin. lib. 4. c. 3. n. 427.* dicens: Nulla tam ſancta lex eſt, quàm non oporteat vrgente neceſſitate mutari. Et Ulpianus *in l. 2. ff. de conſtit. princip.* in rebus novis

conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquũ viſum eſt. Sic videmus, multa per Imperatorem Juſtinianum in Codice & Novellis Conſtitutionibus propter varias negotiorum ac rerum circumſtantias mutata eſſe. Rurſus in Receſſibus Imperialibus conſtitutiones juris civilis ſæpè antiquantur, mutantur, & corriguntur ab Impp. ſubſequentibus: pro ratione & varietate temporum, perſonarum, rerum indigentia, locorum, & aliarum circumſtantiarum. Natura enim novas deproperat edere formas. *lib. 2 feud. t. 24.* & nihil ſtabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem. *Novel. 7. c. 2.* Quid? quòd ipſe Deus ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutaverit, & remiſerit in Novo? Et Solon Athenienſium Legislator deſignatus primùm omnium Draconis leges, præter illas, quæ de cæde erant, propter aſperitatem magnitudinemq; pœnarum abrogandas curavit: una enim ferè omnibus mors pœna definita erat: ut etiã qui otii damnati eſſent, capite mulctarentur: & eis, qui olera aut fructus ſurripuiſſent, idem ſupplicium, quod ſpeculatoribus aut homicidis, conſtitutum eſſet. Ob quam cauſam Demades dicere ſolebat: illas non atramento, ſed ſanguine fuiſſe ſcriptas. *Plut. in vit. Sol. n.*

51. Sequitur hoc problema excutiendum: Anin benè conſtituta Republic. leges veſtiariæ ſint ferendæ? Sic enim ſuadet *Georgius Lauterbecius* im Regentenbuch *part. 3. c. 10.* quo loco graviter luxum hodiernum & exceſſum in veſtitu perſtringit, talemq; à magiſtratu minimè ferendum monet.

52. Eſſe ſanè abuſum magnum, lippis & tonſoribus notum eſt: in quo mala inſunt plurima, ut ad oculum demonſtrat *Guilh. Perkinſ. in armill. aure. c. 3. apud Dn. Gerhard. decad. 5. quæſt. polit. 5. & Camerar. cent. 2. hor. ſubciſ. c. 39. & cent. 3. c. 76.*

53. 1. Eſt profuſio donorum Dei, & opum, quæ in alios bonos uſus conferri poſſent. 2. Indicium & quaſi vexillũ ſuperbiæ, quâ quis ſe aliis vult præferri. 3. laſciviæ, luxuriæ, atq; levitatis, quæ quotidiè aliquid novi invenire ſtudet, aut ſaltem imitatur. 4. ſignum otii & ignaviæ: qui enim in cultum corporis multum operæ impendunt, ii plerumque aliarum rerum negligentes, & laboris impatientes ſunt. 5. confuſio or-

dinum & officiorum, quæ in vita Deus conſtituit. Quare Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Impp. *in l. 1. C. quæ res vend. non poſſ.* ſanciunt, quod capitale ſit, vendere lanam, aut pannum purpurâ infectum: quia ſolus Imperator eo amictu uti velit. 6. contemptus veſtitus & ornamenti patrii, à quo non temerè recedendum eſſe, monet *Petr. Martyr. claſſ. 2. loc. com. c. 2. ſ. 68. & Jun. p. 2. quæſt. pol. 52.* Sanè per habitum & veſtitum provinciæ à provinciis, & Regnicolæ à peregrinis ſunt diſtinguendi. *Sophon. c. 1. v. 8.* De Germanis noſtris conquerens *Aretius part. 2. problem. Theol.* unius coloris, inquit, veſtem parant reliquæ ferè gentes omnes. Hiſpani & Itali nigro colore, Galli cæruleo, nigro, flavo, interdum albo, aliovè, colore: Soli Germani miſcent colores. Prudenter verò conſiderateque Helvetii, qui ut linguæ antiquæ: ita habitus retinentiſſimi, ſanciverunt, ut, qui avitum habitum veſtimentorum mutaverit, peregrinumq; aſſumpſerit, aut deponeret, aut à publicis honoribus, muneribus, & magiſtratibus excluderetur, & exſors viveret. Denique conviviorum luxuria & veſtium, ægræ civitatis indicia ſunt: imò morituræ, ex mente *Lipſii l. 14. pol. c. 11.* Nam hæc juventutem, ubi familiares opes deficiunt, ad facinora incendunt, dum eadem illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Quam ob cauſam Cenſores rei veſtiariæ à Principe vult conſtitui. Talis lex veſtiaria Romæ ad nimium luxum prohibendum, à Tiberio Cæſare fuit lata, quâ alia veſtis erat Senatoris, alia Equitis, alia coloni, alia ingenui, alia ſervi. *Dio lib. 7. Hiſt. Rom.*

54. Rectè itaq; & ex uſu Reipub. fiet, ſi magiſtratus ſubditos hac in parte compeſcat, ut modum tenere, & intra certos ſe continere cancellos addiſcant. Quale laudabile inſtitutum eſt Reipub. Venetæ, Auguſtanæ, Noribergenſis, Ratisbonenſis, Francofurtenſis, & aliarum in Germania, ubi certa veſtimentorum genera, & certa eorundem pretia conſtituuntur, & cuilibet pro ratione officii, ſtatus, & dignitatis aſſignantur. In quam rem eſt Imperii ordinatio politica Auguſtan. de An. 1530. & 1548. Francofurt de An. 1577.

55. Quæritur denique: An forenſes leges Moſaicæ in Chriſtianorum politiis neceſſar. ò ſint obſervandæ? In negati-

vam ſententiam abimus cum communi, quæ eſt Theologorum & Juriſconſultorum.

56. Lex n. Moſaica forenſis & judicialis non cuiq; ex æquo convenit Reipub. ſed ei tantùm, cui ſpecialiter lata fuit. Jam v. Moyſes fuit tantùm legislator populi Iſraëlitici, in cujus politia, quandiu hæc durabat, leges illæ obſervandæ erant. Quî igitur alias politias ad obſervantiam adſtringent? unde *Cald. conſil. 10.* legem Moſaicam vocat jus ſpeciale Judæorum.

57. Imò Deus noluit has leges aliis ferri, niſi Judæis, dum *Exod. 21. & ſeqq. Deut. 5. v. 31.* ad Moyſen præfatur. Hæc ſunt judicia, quæ ꝓpones eis. (Iſraëlitis) Et plerumq; addit: hæc obſervabitis in generationibus veſtris. Qua de cauſa *Gerſon. in tract. de contract. part. 1 conſiderat. 10.* ſcibere non veretur: fore hunc hæreticum, qui credat, judicialia Moyſis præcepta nos obligare, prout ipſum refert *Gædda de contrahend. ſtipul. c. 7. concl. 16 n. 292.*

58. Leges forenſes & ceremoniales fuerunt nervi politiæ Judaicæ. Deſtructâ itaq; politiâ & templo, leges illæ ſimul abrogatæ cenſebuntur. *Melanchthon. in loc. de lege Chemnit. part. 2. loc. Theol. c. 5.*

59. Expreſsè dicit Scriptura: Lex & Prophetæ uſq; ad Chriſtum. *Luc. 16. v. 16.* Hinc Chriſtus legem forenſem Moſaicam, de divortio & libello repudii ſuſtulit. *Matth. 5. v. 31. 32. & c. 19. v. 7. & 8.*

60. Liberum eſt tamen Chriſtiano magiſtratui, quaſdam leges forenſes Moſaicas revocare & uſurpare. Qua de re: *Chemnit. d. c. 5. Herbrand. in compend. Theol. in loc. de leg. Ægid. Hunnius tom. 1. diſp. Theol. Marp. 44. de civili magiſtratu, th. 40.*

Corol-

Corollaria.

I.

R*Eligio plurimum in animis hominum efficit, ſive ea ſit vera, ſive falſa. Et numinis metus eſt, qui tum ſupremam poteſtatem habentes, tum poteſtati ſubjectos, intra metas & cancellos officii ſui continet.* Plut in vit. Ariſt. *Unde ſuadet* Bodin. lib. 5. de Repub. c. 5.. *Ut quicunq; neq; armorum vi, neq; dicendi facultate duci velint, relligionis ſtudio & numinis metu cogantur. Sic Numa Pompilius, ut populum Romanum ſacris obligaret, cum Dea Ægeria congreſſus nocturnos ſibi eſſe ſimulavit, ejusq; monitu, ſe quæ accepta Diis immortalibus ſacra forent, inſtituere.* Liv. lib. 1. Plutarch. in vit. Num. Halicarnaſs. lib. 2. Plin. de vir. illuſtr. Valer Maxim. lib. 1. c. 3.. à. pr *Quid de barbaris Moſchovitis dicam? qui cùm magni ſui Ducis voluntatem, Dei voluntatem eſſe putent, & clavigerum, cubicularium executoremq; voluntatis divinæ eum credant: & quicquid tyrannus, quamvis perperam egerit, ex voluntate Dei id facere exiſtiment: hinc abſq; ulla recuſatione in omnibus rebus obedientiam ei præſtant.* Alexand. Guagninus tom. rer. polonic. Chytræus lib. 1. Saxon.

II.

An Princeps debeat permittere de religione diſputare, quæritur? Negare id auſus fuit Bodin. lib. 4. de Republ. c. 7. n. 482. *qui periculoſum & pernitioſum Reipublicæ eſſe putat. de Religione diſputationes inſtituere. Negat quoq;* Lipſ. lib. 4. polit. c. 3. & in lib. de una Religione

tutis ſit lecta, ut obſervetar una, *Ferrar. lib.1.Inſtit.tit.* 2. nonnulli tamen non ab eligendo, ſed à ligando legem derivant. *Petr⁹ Auguſtinus Morla in emptorio utriusq; juris part.1.tit.1.n.13.* Græcè dicitur *νόμος*, *ἀπὸ τοῦ νέμειν*, à tribuendo, quod unicuiq; ſuum tribuat, vel *ἀπὸ τοῦ νέμειν*, ab adminiſtrando, quod omnia adminiſtret, aut jubendo, aut vetando. Vel quaſi *νοῦς* ſeu mens quod ex divina in humanam mentem, hinq; in civitates & urbes promanet, quò reſpiciens Plato, dicebæt, legem obtinere nomen ſimile nomini mentis. Hæc de nomine.

17. Secundùm nomen res ſtatim quærenda eſt. *Scalig. exerc.359.ſ.2.* Lex autem à variis variè definitur. Nobis placet definitio Papiniani *in l.1 ff. de legib.* Lex eſt commune præceptum virorum prudentium conſultum, comunis Reipubl. ſponſio.

18. Cauſa efficiens legis alia eſt remota, alia propinqua.

19. Remota eſt Deus ter Opt. Max. cauſa & fons omnis boni in natura, qui divinos mentibus hominum indidit igniculos, ex quibus, quid æquum & juſtum, quidvé iniquum & injuſtum ſit, perſpicere poſſint.

20. Propinqua ſunt prudentes homines, multarum rerum experientiâ & uſu, quid è re civilis tranquillitatis ſit, nec ne, edocti, auctoritate publicâ armati, & ad rerum gubernacula evecti, quales ſunt Impp. Reges, Principes, Comites, Barones, Conſules, Prætores, Tribuni plebis, &c. *Marant. de judic. part. 3. per tot.*

21. Materia legum ſunt non tantùm contingentia, libertati voluntatis noſtræ ſubjecta: ſed feruntur etiam de rebus neceſſariis & naturalibus. Sic honeſtè vivere, alterum non lædere, jus ſuum cuiq; tribuere ſunt naturalia, & tamen juris præcepta dicuntur ab Imp. Juſtin. *in tit. de juſt. & jur. §.3.* & titulus ſecundus eſt de jure naturali, gentium & civili.

22. Forma legis conſiſtit in recta ratione, ſic vulgò dicitur, animam legis eſſe rationem. *arg. l. ſcire ff. de legib. Weſ. in paratit. de legibus n. 5.* Quod ſi enim lex ratione non ſit informata, ne nomen quidem legis habet.

23. Finis legis eſt beatitudo politica & civilis: quatenus videlicet leges virtutis ſtudium promovent, & ad illud accommo-

commendatæ ſunt: dum bonis præmia, malis pœnas promittunt.

24. Species legum numerantur duæ: Aliæ enim ſunt divinæ, aliæ humanæ. *c. omnes leges. 1. diſt. Maranta d. part. 3. n. 80.* Illæ à Deo vel immediatè, ut præcepta Decalogi in monte Sinai: vel mediatè, per os Prophetarum, Evangeliſtarum & Apoſtolorum: Hæ verò ab hominibus proficiſcuntur.

25 Leges humanæ ſubdividuntur in naturales & poſitivas ſeu civil. *l. pen. ff. de juſt. & jur. tot. tit. Inſt. de jur. nat. gent. & civ.*

26. Illæ omnibus per naturam inſunt, & impropriè vel abuſivè dicuntur leges. Hæ verò à lege naturali eductæ & extructæ, à prudentibus proponuntur, & varias denominationes accipiunt: vel ab autoribus & legumlatoribus, ut Solonis ac Draconis, Athenienſium, ac omnes ferè Romanorum: aut à tabulis, in quibus ſcriptæ vel inciſæ ſunt, ut 12. tabb. aut ab eo, quod jubetur, ut Agraria, Sumptuaria, Frumentaria, &c. vel à loco; vel modo rogandi, vel auctoritate, ut Romanorum leges ſacratæ, curiatæ, curiatis Comitiis latæ &c. *Antonius Auguſtinus in lib. de legib. c. 5.*

27. Quæſtionis verò eſt: An in Republica benè conſtituta neceſſariæ ſint ſcriptæ leges? Reperiuntur homines, nec de fece Romuli tantùm, ſed & illi ipſi, qui in Republica literaria familiam ducunt, exiſtimantes, in hac civili ſocietate non opus eſſe legibus ſcriptis, & multò meliùs rectiusq; ſecûdùm naturalis rationis judicium atq; arbitriû imperantium, quàm legumlatorum præcepta, lites ac controverſias dirimi poſſe: clamitantes, leges eſſe inſtar cerei naſi, prorogationis eſſe cauſam, Advocatis cavillandi præbere materiam, ac proinde ex judiciis & aulis eſſe exterminandas.

28. Verùm enim verò ſi judicis arbitrio controverſiæ eſſent dirimendæ, ſi jus incertum, dubium, vel ambiguum, ſi nutu imperantium inſtar polypi alicujus transformaretur, & nunc hanc, nunc illam formam indueret, quæ judiciorum & politiæ erit vis? quæ auctoritas? cùm enim hiſtoriarum loquantur monumenta, & quotidiana teſtetur experientia, judices variis affectionibus, corruptelis ac depravationibus eſſe obnoxios, & jam ambitione, jam gratiâ, vel odio, jam imprudenV 3

prudentiâ, jam recti ſpecie ſeduci & abduci, quis non videt formâ & normâ opus eſſe, ad quam, ut Architectus in extructione ædificii, ad libellam & lineam: ita judex in judicando reſpiciat? *Lipſ. l.1. pol. c.7.*

29. Ubi verò lex dominatur, ibi nullum eſt odium, nullum præjudicium, nullum ſuffragiũ, nulla προσωποληψία, nullus favor, nulla vindicta, nulla ira, nulla cupiditas & ambitio, ſed certa juſtitiæ regula, æquitatis norma, judiciique directrix, quæ affectibus veluti compedes injicit.

30. Hinc lex, magiſtratus mutus, & magiſtratus lex loquens indigitatur, & ſicut magiſtratus populo, ita magiſtratui lex præeſſe dicitur. *Cic. lib. 3. de legib.*

31. Et eleganter magnus ille *Zaſius*: Æquitas, inquit, omnia benè æquiparat: tamẽ æquitas, quæ non eſt jure ſcripta, ſed ex motu & affectione animi apparet, contra jus ſcriptum, non eſt ſequenda: alioquin nihil etiam vel certum, vel perpetuum in jure noſtro, quibuslibet judicibus cauſarum ſtatum ad quamlibet imaginatam, & domi natam æquitatem detorquentibus. Quibus conſonant illa, quæ tradit *Felin. in c. ex parte 2. in princ de offic. del.* judex debet procedere ſecundùm æquitatem juris, & non ſecundùm æquitatem informatam à jure naturali: Nam ejus æquitatis habenda eſt ratio, quæ non ſolùm ex naturali jure gentium, ſed ex præceptis civilibus & prætoriis æſtimatur. *l. bona fides ff. de depoſit:* Hæc etiam æquitas plena, abſoluta, & legalis: illa verò informis & imaginaria dicitur, ut eleganter ſcribit *Moder. Pariſ. de feud. tit. 1. §. 41. n.86. & ſeq.* Non ergò quis ſibi formare debet opiniones ex propria phantaſia, ut notat *Angel. in l. cum quadam. §. quod dicitur. ff. de acquirend. heredit.*

32. Rectè itaque Plato alicubi aſſerit, eam civitatem diſperire oportere, in qua non lex magiſtratibus, ſed legi magiſtratus præſunt. Hinc *Cicer. in orat. pro Cecinna:* Nihil eſt, ait, in civitate tàm diligenter, quàm jus civile retinendum *& l.1. offic.* eidem placet, plerumque magis leges, quàm arma eſſe Reipublicæ neceſſaria. Quod itaque clavus in rota, idem lex in Republica præſtat.

33. Imò nulla uſquam, vel mediocris Reſpublica, ſine certis legib. fuit. Et quid de Romanis dicemus? Hi armis & legib. ſe

exercen-

exercentes, orbem terrarum ſuum fecerunt, & armis quidem conſtrinxerunt, legibus autem conſervarunt. *Lorvandus de Regnorum ſucceſſione*. Hinc Imperator. Juſtin. *in proœm. Inſtit. à pr.* Imperatoriam majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legib. oportet eſſe armatam, ut utrumq; tempus, & bellorum, & pacis, rectè poſſit gubernari &c.

34. Deniq; Perſis lex erat, ut à morte Regis legum & juris intermiſſio per quinq; dies fieret, nimirum, ut intelligerent ſubditi, in quo pretio Regem ac legem habere debeant. *Serinus apud Stobæ. ſerm. 42.* Propheta exulceratiſſimum Reipublicæ ſtatum deſcripturus, dicit: non fore Sacerdotem, non Doctorem, neq; legem, neq; Principem in populo. *2. Paralip. c. 15. v. 3. Dan. c. 3. v. 38.*

35. Evicto hoc, quòd leges ſcriptæ ſint neceſſariæ, ulteriùs quærimus: utrum Chriſtianis licitum ſit Ethnicorum legibus uti? Hìc quamvis diverſi diverſa dicant & ſcribant, quos refert *Zepper. lib. 1. c. 2, & 3. de legib. Moſaic.* nobis interim affirmantium ſententia arridet, quòd ſic: modò cum pietate & honeſtate, cum Decalogo & jure naturæ leges illæ non pugnent.

36. Quid enim? Immotæ veritatis axioma eſt. Evangelium non abolet politias nec jura politica. *Matth. 22. verſ. 21. Marc. 12. v. 17. Luc. 20. 25.* Sed vult, omni magiſtratui eſſe obtemperandum. *Rom. 13. v. 1. & 2. 1. Epiſt. Petr. 2. v. 13. 14. & 18.* Ubi expreſsè additur, non tantum bonis ac modeſtis, ſed etiam *δυσκόλοις*, hoc eſt, difficilibus dominis obedientiam eſſe præſtandam. Quod ſi ergo ipſis Imperatoribus Ethnicis jubemur aures accommodare: cõſequenter etiam eorum legibus ac præceptis. Et quid Apoſtolus? pulſatus ille, ex lege Imperij Ethnica, Cæſarem appellat. *Act. 25. v. 10. & c. 22. v. 25.* dicit, ſe civem Romanum eſſe, ideoq; ex lege Imperii non ſerviliter verberandum.

37. Sed & Marcianus JC. eleganter ex Demoſthene ſcribit: Lex eſt, cui omnes obtemperare convenit: tùm ob alia multa, tùm vel maximè eò, quòd omnis lex inventum ac munus Dei eſt. *l. 2. ff. de legib.*

38. Valent itaq; illæ leges propter poteſtatem & auctoritatem Imperatoriam, ijsq; utimur non ut Ethnicis, ſed tanquam

quam à Deo mediatè promanantibus, Chriſtianorumq́; Imp. ſuffragiis approbatis, & ſicut noſtris. *Dn. Arum. exercit. Iuſt. 1. theſ. 1.*

39. Expreſsè autem diximus, legibus honeſtis & piis obedientiam eſſe præſtandā à ſubditis: legibus verò impiis & iniquis, ab impio & infideli magiſtratu latis Chriſtianos nequaquam obligari ſtatuimus, *cum Domino Helfrico Ulrico Hunnio de auctorit. jur. civil. c. 1. quæſt. 5.*

40. Ex hac quæſtione dependet illa: An leges humanæ habeant tàm naturalem, quàm civilem obligādi vim in conſcientiis? De qua Comitia aguntur in Scholis tùm Theologorum, tùm Jurisconſultorum ſanè graviſſima.

41 De civili obligatione res eſt expedita, cùm lex ſit ipſa membrorum noſtrorum domina. *l lib. homo. ff. ad. l. Aquil.* & inventrix pœnarum ac præmiorum ad bonum publicum, cujus intereſt: Ut quemadmodum virtutes & benè merita beneficiis ac bonorum præmiis exornantur & compenſantur: ſic etiam maleficia & improbæ actiones non maneant ſine pœna, & vindictæ compenſatione. *l. ita vulneratus 51. circa fin. ibi. neque impunita. Gœd. de verb. ſignific. ad l. 6. n. 7.*

42. At de naturali obligatione controvertitur. Sunt n. ex ordine Theologorum, quibus negativa arridet ſententia, eiq́; adhærent etiam nonnulli ex Jureconſultis. Nos affirmativæ ſententiæ, immotis ſubnixi fundamentis ſubſcribemus.

43, Nam 1. Quicquid ex lege naturæ provenit, illud obligat naturaliter in foro conſcientiæ. Atqui leges humanæ juſtæ & rationales è lege naturæ derivantur, ſicut *l. 1. §. 3. ff. de furt. §. 3.* furtum admittere, lege naturali dicitur eſſe prohibitum *& l. 42. de verb. ſignific.* idem reſcribit Ulpian. Ergo.

44. 2. Obedientia erga magiſtratum naturalis eſt, naturaliq́; ratione inter omnes ratione utentes humanâ, recepta, omnesq́; ad obediendum adſtrigit. *l. 2. ff. de juſt. & jur.*

45. 3. Nec non divino præcepto, magiſtratus juſſus ad obedientiam & pœnam nos obligant, cum Deus politias, earumq́; ordinationes rationabiles approbaverit, nec violatores velit eſſe impunitos. *Melanch. in exa. Theol. in loc. de Magiſt. polit.* Et quid hoc eſt, ꝙ dicit Paulus *in Epiſt. ad Rom. 13. v. 1. & 2.*

omnis

Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit:non n.eſt poteſtas, niſi à Deo: qui verò reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit: qui autem reſtiterint, ſibi ipſis judicium accipient? & Divus Petrus *1. Epiſt. 2. v. 13. & 14.* ſubjecti eſtote, ait, omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti: ſive Ducibus, tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

46. Quæ autem circumſtantiæ & diſtinctiones ſint obſervandæ, ut dicatur facta transgreſſio legum, tradit *Dn. Gerhard. decad. 5 cent. pol. quaſt. 8.*

47. Diſſendentium argumenta accuratè refutantur *à. Gœddæo n. 11. d. 12. d. Hunio d. c. 1. quaſt. 2.*

48. De correctione & mutatione legum quæritur: an ea permittenda, vel approbanda?

49. Etſi autem *Ariſtoteles lib. 2. pol. dicat*: Receptas leges non eſſe mutandas, etiamſi quid incommodi habeant: nec non multæ gravesq; cauſæ ſubſint, quæ mutationem legum ſimpliciter diſſuadere videntur: Hinc enim nova Reipublicæ introducitur forma, novi mores, &c. quæ novitas non ſolum periculoſa, ſed etiam valdè exoſa eſt: Antiquitas verò ipſâ vetuſtatis ſpecie tam cara cuiq; eſt, ut lex antiqua ſine magiſtratibus ſeipſam facilè tueri poſſit, *teſte Bodino lib. 4. de Repub. c. 3.* Qua de cauſa ſemper curæ fuit legumlatoribus, cavere, ne ſine gravi conſilio leges longo uſu comprobatæ mutentur, cujus rei inſigne exemplum recitat Demoſthenes *in orat. contra Timocratem* de Locrenſibus, apud quos unica lex, à ducentis annis fuit lata. Sed & Lycurgus legibus ſuis æternitatem dare voluit: Nec non Solon promulgatis legibus, Athenienſes jurejurando adegit, ut eas centum annos ſtabiles eſſe paterentur. *Plutarch. in Solone.*

50. Nihil tamen impedit, quò minus neceſſitate ita exigente, & evidéte mutationis utilitate elucente, veteres leges, minus præſertim æquæ, mutentur, vel ſaltem corrigantur. Nam *ſalus populi ſuprema lex eſto*, ut habet lex d. 12. Tabb. ſuffragio ſuo nos ſublevat *Bodin. lib. 4. c. 3. n. 427.* dicens: Nulla tam ſancta lex eſt, quàm non oporteat vrgente neceſſitate mutari. Et Ulpianus *in l. 2. ff. de conſtit. princip.* in rebus novis

 con-

conſtituendis evidens eſſe utilitas debet, ut recedatur ab eo jure, quod diu æquũ viſum eſt. Sic videmus, multa per Imperatorem Juſtinianum in Codice & Novellis Conſtitutionibus propter varias negotiorum ac rerum circumſtantias mutata eſſe. Rurſus in Receſſibus Imperialibus conſtitutiones juris civilis ſæpè antiquantur, mutantur, & corriguntur ab Impp. ſubſequentibus: pro ratione & varietate temporum, perſonarum, rerum indigentia, locorum, & aliarum circumſtantiarum. Natura enim novas deproperat edere formas. *lib. 2. feud. t. 24.* & nihil ſtabile inter homines, & ita immobile, ut nullam patiatur mutationem. *Novel. 7. c. 2.* Quid? quòd ipſe Deus ex his, quæ in veteri Teſtamento ſtatuerat, nonnulla mutaverit, & remiſerit in Novo? Et Solon Athenienſium Legislator deſignatus primùm omnium Draconis leges, præter illas, quæ de cæde erant, propter aſperitatem magnitudinemq; pœnarum abrogandas curavit: una enim ferè omnibus mors pœna definita erat: ùt etiá qui otii damnati eſſent, capite mulctarentur: & eis, qui olera aut fructus ſurripuiſſent, idem ſupplicium, quod ſpeculatoribus aut homicidis, conſtitutum eſſet. Ob quam cauſam Demades dicere ſolebat: illas non atramento, ſed ſanguine fuiſſe ſcriptas. *Plut. in vit. Sol. n.*

51. Sequitur hoc problema excutiendum: An in benè conſtituta Republic. leges veſtiariæ ſint ferendæ? Sic enim ſuadet *Georgius Lauterbecius* im Regententbuch *part. 3. c. 10.* quo loco graviter luxum hodiernum & exceſſum in veſtitu perſtringit, talemq; à magiſtratu minimè ferendum monet.

52. Eſſe ſanè abuſum magnum, lippis & tonſoribus notum eſt: in quo mala inſunt plurima, ut ad oculum demonſtrat *Guilb. Perkinſ. in armill. aure. c. 3. apud Dn. Gerhard. decad. 5. quaſt. polit. 5. & Camerar. cent. 2. hor. ſucciſ. c. 39. & cent. 3. c. 76.*

53. 1. Eſt profuſio donorum Dei, & opum, quæ in alios bonos uſus conferri poſſent. 2. Indicium & quaſi vexillũ ſuperbiæ, quâ quis ſe aliis vult præferri. 3. laſciviæ, luxuriæ, atq; levitatis, quæ quotidiè aliquid novi invenire ſtudet, aut ſaltem imitatur. 4. ſignum otii & ignaviæ: qui enim in cultum corporis multum operæ impendunt, ii plerumque aliarum rerum negligentes, & laboris impatientes ſunt. 5. confuſio ordinum

X

dinum & officiorum, quæ in vita Deus conſtituit. Quare Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius Impp. *in l. 1. C. quæ res vend. non poſſ.* ſanciunt, quod capitale ſit, vendere lanam, aut pannum purpurâ infectum: quia ſolus Imperator eo amictu uti velit. 6. contemptus veſtitus & ornamenti patrii, à quo non temerè recedendum eſſe, monet *Petr. Martyr. claſſ. 2. loc. com. c. 2. ſ. 68. & Jun. p. 2. quæſt. pol. 52.* Sanè per habitum & veſtitum provinciæ à provinciis, & Regnicolæ à peregrinis ſunt diſtinguendi. *Sophon. c. 1. v. 8.* De Germanis noſtris conquerens *Aretius part. 2. problem Theol.* unius coloris, inquit, veſtem parant reliquæ ferè gentes omnes. Hiſpani & Itali nigro colore, Galli cæruleo, nigro, flavo, interdum albo, aliovè, colore: Soli Germani miſcent colores. Prudenter verò conſiderateque Helvetii, qui ut linguæ antiquæ: ita habitus retinentiſſimi, ſanciverunt, ut, qui avitum habitum veſtimentorum mutaverit, peregrinumq; aſſumpſerit, aut deponeret, aut à publicis honoribus, muneribus, & magiſtratibus excluderetur, & exſors viveret. Denique conviviorum luxuria & veſtium, ægræ civitatis indicia ſunt: imò moriturae, ex mente *Lipſii l. 14. pol. c. 11.* Nam hæc juventutem, ubi familiares opes deficiunt, ad facinora incendunt, dum eadem illa, quæ erat in abundantia, libido permanet. Quam ob cauſam Cenſores rei veſtiariæ à Principe vult conſtitui. Talis lex veſtiaria Romæ ad nimium luxum prohibendum, à Tiberio Cæſare fuit lata, quâ alia veſtis erat Senatoris, alia Equitis, alia coloni, alia ingenui, alia ſervi. *Dio lib. 7. Hiſt. Rom.*

54. Rectè itaq; & ex uſu Reipub. fiet, ſi magiſtratus ſubditos hac in parte compeſcat, ut modum tenere, & intra certos ſe continere cancellos addiſcant. Quale laudabile inſtitutum eſt Reipub. Venetæ, Auguſtanæ, Noribergenſis, Ratisbonenſis, Francofurtenſis, & aliarum in Germania, ubi certa veſtimentorum genera, & certa eorundem pretia conſtituuntur, & cuilibet pro ratione officii, ſtatus, & dignitatis aſſignantur. In quam rem eſt Imperii ordinatio politica Auguſtan. de An. 1530. & 1548. Francofurt de An. 1577.

55. Quæritur denique: An forenſes leges Moſaicæ in Chriſtianorum politiis neceſſar.ò ſint obſervandæ? In negati-

vam ſententiam abimus cum communi, quæ eſt Theologorum & Juriſconſultorum.

56. Lex n. Moſaica forenſis & judicialis non cuiq; ex æquo convenit Reipub. ſed ei tantùm, cui ſpecialiter lata fuit. Jam v. Moyſes fuit tantùm legislator populi Iſraëlitici, in cujus politia, quandiu hæc durabat, leges illæ obſervandæ erant. Qui igitur alias politias ad obſervantiam adſtringent? unde *Cald. conſil. 10.* legem Moſaicam vocat jus ſpeciale Judæorum.

57. Imò Deus noluit has leges aliis ferri, niſi Judæis, dum *Exod. 21. & ſeqq. Deut. 5. v. 31.* ad Moyſen præfatur. Hæc ſunt judicia, quæ ꝓpones eis (Iſraëlitis) Et plerumq; addit: hæc obſervabitis in generationibus veſtris. Qua de cauſa *Gerſon. in tract. de contract. part. 1 conſiderat. 10.* ſcibere non veretur: fore hunc hæreticum, qui credat, judicialia Moyſis præcepta nos obligare, prout ipſum refert *Gædda de contrahend. ſtipul. c. 7. concl. 16 n. 292.*

58. Leges forenſes & ceremoniales fuerunt nervi politiæ Judaicæ. Deſtructâ itaq; politiâ & templo, leges illæ ſimul abrogatæ cenſebuntur. *Melanchthon. in loc. de lege Chemnit. part. 2. loc. Theol. c. 5.*

59. Expreſsè dicit Scriptura: Lex & Prophetæ uſq; ad Chriſtum. *Luc. 16. v. 16.* Hinc Chriſtus legem forenſem Moſaicam, de divortio & libello repudii ſuſtulit. *Matth. 5. v. 31. 32. & c. 19. v. 7. & 8.*

60. Liberum eſt tamen Chriſtiano magiſtratui, quaſdam leges forenſes Moſaicas revocare & uſurpare. Qua de re: *Chemnit. d. c. 5. Herbrand. in compend. Theol. in loc. de leg. Ægid. Hunnius tom. 1. diſp. Theol. Marp. 44. de civili magiſtratu, th. 40.*

Corollaria.

I.

R*Eligio plurimum in animis hominum efficit, ſive ea ſit vera, ſive falſa. Et numinis metus eſt, qui tum ſupremam poteſtatem habentes, tum poteſtati ſubjectos, intra metas & cancellos officii ſui continet.* Plut in vit. Ariſt. *Unde ſuadet* Bodin. lib. 5. de Repub. c. 5.. *Ut quicunq; neq; armorum vi, neq; dicendi facultate duci velint, religionis ſtudio & numinis metu cogantur. Sic Numa Pompilius, ut populum Romanum ſacris obligaret, cum Dea Ægeria congreſſus nocturnos ſibi eſſe ſimulavit, ejusq; monitu, ſe quæ accepta Diis immortalibus ſacra forent, inſtituere.* Liv. lib. 1. Plutarch. in vit. Num. Halicarnaſſ. lib. 2. Plin. de vir. illuſtr. Valer Maxim. lib. 1. c. 3.. â. pr *Quid de barbaris Moſchovitis dicam? qui cùm magni ſui Ducis voluntatem, Dei voluntatem eſſe putent, & clavigerum, cubicularium executoremq; voluntatis divinæ eum credant: & quicquid tyrannus, quamvis perperam egerit, ex voluntate Dei id facere exiſtiment: hinc abſq; ulla recuſatione in omnibus rebus obedientiam ei præſtant.* Alexand. Guagninus tom. rer. polonic. Chytræus lib. 1. Saxon.

II.

An Princeps debeat permittere de religione diſputare, quæritur? Negare id auſus fuit Bodin. lib. 4. de Republ. c. 7. n. 482. *qui periculoſum & pernitioſum Reipublicæ eſſe putat. de Religione diſputationes inſtituere. Negat quoq;* Lipſ. lib. 4. polit. c. 3. & in lib. de una Religione

Moſchovitarum ſcilicet exemplo, quibus id lege capitali prohibitum. Sed neq́, concionari aut interpretari Sacerdotibus literarum ſacrarum ſenſum licet, ſed tantùm ea, quæ à veteribus Doctoribus tradita ſunt, prælegere populo, Herberſtein. de tyrannide Joannis Baſiliadis. *Miror verò, quid Bodino in mentem venerit, ut ſtatueret, ab Imperii Germanici Ordinibus quoq́, id cautum eſſe, ne de religione, capitali pœnâ indictâ, diſputaretur: ac pœnam illam Auguſtæ à nonnullis exactam, univerſæ Germaniæ quietem attuliſſe.* lib. 1. c. 9. *Non latere eum debuiſſent media, quibus tentandum, ut in unam conſonantiã redigatur diſpar Religio. Quæ illa, inquis? placida, amica, pacata ſuſcipiatur tractatio; odium, ira, virulentia hîc ſibi nihil vendicet.* Schönborn. lib. 4. polit. cap. 6. *ex verbis pacificationis religionis. Sobriè ergo de religionis articulis diſputare fructuoſiſſimum eſt, atq́, exemplo & mandato divino conſentaneum.* Kirchner. de Repub. diſp. 6. auct. 7. *Calumniæ verò, contentiones, & diſceptationes inutiles, quæſtiones otioſæ & intempeſtivæ, talesq́, quæ pari pietatis adjumento aut ſciuntur, aut ignorantur, quandoq́, etiam frivolæ, quæ, ut Alciatus JC. dicebat, tantum in religione poſſunt, quantum canis in balneo, è ſocietate hominum prorſus exterminandæ. Quod etiam ſentit* idem Kirchner. d. l.

III.

Anacharſis non magis feſtivè quàm verè leges aranearum telas vocabat: utpote quæ infirmiores muſcas detinerent, majores aves tranſmitterent, hoc eſt, quia inopes tantùm legibus puniuntur, divitibus potentibusq́, pecuniarum vi elabentibus, Bruſon. lib. 3. tit. de legib.

IV. In

IV.

In ferendis legibus decet poſſibilitatis & facultatis rationem habere: ſi quis velit utiliter in paucos, quàm ſine utilitate in multos animadvertere. Non tantùm autem de iis, quæ facilè, ſed & de illis, quæ frequenter & ut plurimùm: non quæ raro & inopinatò eveniunt, conſtituendæ ſunt leges. l.3.4.5.& 6.ff.de legib.Novell.94.c.2. *De quibus rebus leges ſint ponendæ, tradit etiam* Danæ. lib. 5. polit.Chriſt.c.3.

V.

Leges quoq; verbis perſpicuis & uſitatis proponi debent, ut ab omnibus intelligantur. Apage ergo obſcuras & ambiguas illas leges, quæ Eridos pomum in Rempub. projiciunt, quibus occaſio datur, ut forenſes Cerberi, locutulei furfures pecuniam ſimplici plebeculæ crumenimulgis eliquent fabricis, & litium ſtrophas inextricabiles fingant, refingant: quemadmodum à Poëta Taubmanno in Epigr.ad Zangerum JCtum *dictum, & relatum* à Dn. Gerhardo decad.5.quæſt.polit.9.*Sic cùm Draco leges obſcuriores tuliſſet, & quæ multos contrarios ſenſus reciperent, vim judiciorum dicitur auxiſſe.* Plut.in vit. Solon. *Cùm enim non poſſent jus ſuum legibus obtinere: ad judices neceſſe erat ſemper confugere: & omnem controverſiam ad eos deferre: qui quodammodo interpretandis legibus præeſſe viderentur.*

VI.

Rectè Solon leges rebus magis, quàm res legibus accommodavit. Bruſon.d.l.

VII.

Cùm leges non poſſint ita ſcribi, ut omnes articuli,

omnesq;

omnesq́; caſus, qui quandoq; inciderint, ſingulatim comprehendantur: idcirco ea vel interpretatione, aut certè jurisdictione ſuppleri debent l.10.11.12.& 13.ff. de legib. Novell. 74.à pr. *Clariſſimus Jureconſultus & Politicus* Chriſtophorus Beſoldus in œconomia tit,3,& 4.lib. 1. ff. poſit. *13. Nam, ut idem docet ibid. ſingularia ſunt infinita, & ſub artem aut præceptionem cadere non poſſunt. ubi vide.*

VIII.

An lex à Principe lata poſſit conſuetudine tolli, controvertttur inter Jureconſultos? Nos in affirmantem deſcendimus ſententiam, non tamen ſine conditionibus & limitationibus, quas ponit prædictus Dn. Beſoldus ad eund. tit. *3.* & *4.* poſitione 30.

F I N I S.

Diſſ.X.

Diſputatio X.

De

MAGISTRATIBUS, EORUMQUE CONSTITUTIONIBUS: NECNON CENSORIBUS.

Reſpondente

JOHANNE MATTHIA Walꝭ Franco.

THESIS PRIMA.

A Legibus tranſitum facimus ad magiſtratus, tanquam illarum executores, Eſt enim magiſtratum lex vivens ac loquens. *l. 8. ff. de Iuſt. & jur. Nov. 105. cap. 2. in fin.*

2. Cum n. magnũ ad ferat ad jumẽtũ pſpicuitatem, ſi quot modis quidque dicatur, in promptu habemus. Nec n. quisq̃ res probè intelligit, niſi prius verba cognoverit, quæ ſunt inſtrumenta rerum, quibus hæ ſignificantur, *teſte Platone in Cratylo* dicendum breviter de derevatione & ſignificatione nominis.

3. Dicitur ergò Magiſtratꝰ à Mgiſtro, *l. 57. ff. de verb. ſignif.* qui eum ſignificat, cui præcipua alicujus rei cura incumbit *d. l. 57. l. 1. in pr. & §. 3. de exerc. act.* & aliquando q̃libet in genere poteſtatem *l. eum 13. de jurisdict. omn. jud. l. poteſtatis 215. de verb. ſign.* tam perſonam, quam honorem *Feſtus lib. 11.* Crebriùs eos, qui in civitatibus jus dicunt, denotat. *l. magiſtratib. 12. de jurisd. & tot. tit. C. de magiſtrat. municipal. & ibi Weſenb.*

4. Poſt nomen res & definitio ſequitur. Inter Juriſconſultos, qui magiſtratum rectè definiat, nos habere neminem,

 diſertè

ſertè affirmat *Bod. l. 3. de Repub. cap. 2. numer. 260.* Quare ipſe *cap. 3. à pr.* magiſtratum definit officialem, qui publicum imperium habet.

5. Verùm illa ex arte non eſt, & meritò impugnatur *ab Ottone Melandro in idea ſtud. polit. fol. (mihi) 58.* ex hac ratione, quia magiſtratus municipalis eſt magiſtratus, & tamen imperium non habet *l. 26. ff. ad municipal.* Ubi ea, quæ magis imperii ſunt, quàm juriſdictionis, magiſtratum municipalem facere non poſſe, reſpondet Jureconſultus Paulus. Et propterea magiſtratibus municipalibus non permittitur in integrum reſtituere, aut bona rei ſervandæ causâ jubere poſſidere, aut dotis ſervandæ causâ, vel legatorum ſervandorum causâ.

6. *Philippo Melanchtoni in loc. Theol. de magiſtrat. polit.* magiſtratus dicitur perſona publica, ad conſervationem legis & humanæ ſocietatis, cum poteſtate à Deo armata & inſtituta. Quæ definitio deſumpta eſt ab origine & prima cauſa, itemq; officio & fine magiſtratus.

7. Magiſtratum eſſe divinam ordinationem, tum ratione originis, tum ratione auctoritatis & dignitatis, abundè teſtatur S. Scriptura *Pſal. 82. v. 6. Sap. 6. v. 4. Dan 2. v. 37. & 38. Rom. 13. v. 1. 1. Tim. 2. v. 1. & 2. ad Tit. 3. v. 1. 1. Pet. 2. v. 13. cum ſeqq. & Proverb. 8. v. 15.* Per me, inquit divina Sapientia, Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt. Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam. Quod Imperatores, Reges, & Principes agnoſcunt, dum Dei gratiâ, Von Gottes Gnaden / ſe conſtitutos ſcribunt. *Weſenbec. ad princ. proœm. Inſtit. num. 3.*

8. Hinc magiſtratus dicuntur Dii, juxta illud Pſalmiſtæ: Ego dixi, vos Dii eſtis & filii altiſſimi. Item: Deus ſtetit in ſynagoga Deorum; in medio autem Deus dijudicat. Dicuntur autem magiſtratus Dii metaphoricè, propter ſimilitudinem, quam cum Deo, reſpectu divini Imperii ſibi delegati obtinent. *Timpl. lib. 2. pol. c. 1. q. 6.* indeq; *ex Menandro & Greg. Tholozano l. 7. de Reg. c. 11.* aſſerit, Regem Dei vivam eſſe imaginem: quia ſcilicet Dei perſonam in terris repræſentat, ejuſque vice fungitur. Ab aliis magiſtratus vicarii Dei appellantur.

9. Minus

9. Minus rectè ergo *Bellarminus in lib. adverſus Guiliel. Barclajum c. 3.* aſſerit, Imperatorum, Regum, & Principum dominium ac prælationem ex jure humano, non verò divino emanare. *Item*: eorum poteſtatem mediante hominum conſenſu eſſe conſtitutam.

10. Quia ergò magiſtratus ortum ſuum ad Deum refert, maximeque ad Rempub. benè conſervandam & adminiſtrandam neceſſarius eſt, omninò ſuſcipiendus & gerendus eſt. *Timpler. d. c. 1. q. 7.*

11. Valeat itaque Domeſthenes, qui adoleſcentes ſe adeuntes monere ſolebat, ne ad Rempub. ſe conferrent, affirmans, ſi duæ eſſent viæ ab initio propoſitæ, una, quæ ad Rempublicam: altera, quæ ad interitum apertè ferret, hanc potiùs, quàm illam ſe electurum; ſcilicet propter invidias, odia, ſimultates, contentiones, & calumnias, & alias difficultates, quæ eſſent ſubeundæ, ut refert *Plutarch. in vit. Demoſth.* Sileat Seneca, qui ſapientem ſe à Republica abſtinere debere, nobis perſuadere conatnr, & Catoni, aliter quod feciſſet, gravem dicam ſcribit Licet enim magiſtratus multas & magnas curas ac moleſtias ſecum trahat: multorumque invidiæ, odiis, ſuſpicionibus, ſimiſtisque judicis & querelis ſit expoſitus: licet magni & præclari viri oblatum magiſtratum recuſarint, attamen rectius faciunt, qui illæſæ conſcientiæ ſcuto ſecuri excipiunt invidiæ ſagittas: & mortem quoq; honeſtam, ſi ita neceſſitas ferat, jucundo otio preponunt *Beſold. claſſ. 2. diſp. pol. 3. th. 10.* Non enim inquit, pro ſapientibus ſunt habendi, qui non ſocordiâ quâdam vel puſillanimitate, ſed ideò ad Rempub. accedere nolunt, ut contemplativis ſcientiis, Philologicisvé ſtudiis dedere ſe poſſint. Contemplationes quippe rerum ſublimium, animum excolere, non rapere, ſocietatemq; civilem parte ſuâ privare debent. Malis etiam & perverſis hominibus occurri poteſt partim prudentiâ, partim magnanimitate, partim patientiâ. *Timpler. d. q. 7.* & boni ſub malo etiam principe comendare ſe poſſunt, ut probat *Scipio Amirat. lib. 4. diſcurſ. 4. in Tacit.* Adde quòd omnia præclara ſint ardua & difficilia: ideoq; non ſubterfugienda.

12. Ex veritatis itaque tripode pronunciavit *Boter. lib. 1. de polit. illuſtr. c. 7. fol. 41.* potiſſima rectæ adminiſtrationis vis in

quinque Reipub.myſteriis & arcanis ferè conſiſtit: in concione nimirum, magiſtratu, judiciis, armis, & exercitatione rei militaris. Itemque *Plin. Jun. in epiſt.* Nulla laudabilior Philoſophiæ pars eſt, quàm agere negotium publicum. Cognoſcere, judicare, promovere, & exercere juſtitiam; quæque Philoſophi doceant, in uſu habere.

13. Apage etiam cum Anabaptiſtis, qui in Republ. Chriſtiana magiſtratui locum eſſe negant, eumque in rebus per ſe illicitis ac malis numerant. Quemadmodum enim armenta ſine Paſtore errabunda vagantur: ſic hominum grex, ſi magiſtratum dempſeris, inquit *Lipſius lib. 2. pol. cap. 1.* imò non cives, ſed rabidos Cyclopes videbis: cum magiſtratus ſit anchora ſalutis, & lux Reipublicæ, *Caſ. lib. 6. ſpha. civ. c. 8.*

14. Officium magiſtratus eſt: conſervare humanam ſocietatem, legem tàm divinam quàm humanam. Divinam, puta utriuſq; tabulæ Decalogi. Humanam, ut legem naturæ, & quam ipſe promulgavit, quæ civilis & politica dicitur. Quod tum fit, quando præmia piis, impiis ſupplicia irrogat.

15. Cum n. Deus hominũ vitas regi velit per magiſtrat⁹, armaet os hâc poteſtate, imò dat mandatũ, ut puniant violantes legem, juxta illud: Non parces eis, nec miſereberis. *Deut. 13. v. 8 & 9. & c. 22. v. 21. & 24* Punitionum fons erat illa vox Dei: Auferes malũ de medio tui. De homicida voluntario dicitur: Ab altari meo avelles, & morte morietur. *Exod. c. 21. v. 12. 14. Deut. c. 19. v. 12. Melanch d. l. D. Ægid. Hunnius tom. 1. diſp. Theol. Marp. 44. de civili magiſtratu th. 18. & ſeqq. Caſman. c. 10. vita polit.*

16. Cæterùm magiſtratum vulgò diſpeſcunt in ſuperiorem & inferiorem.

17. Superiorem dicunt, qui nemini ſubjectus eſt, ſed qui ipſe ſummum in alios imperium obtinet: ut eſt ſummus Princeps, Imperator ſcilicet, Rex, vel Reſpublica ſumma. *Obrecht. diſp prior. de bell. th. 115.*

18. Inferiorem, qui ſuperiorem habet: quique & ipſe jus dicere & imperare poteſt. Hujus generis eſſe ajunt Electores, Principes, Comites, Barones, & urbes Imperiales. *idem Obrecht, th. 127.*

19. Sed

19. Sed *Herm. Kirchner. de Repub diſp.8 th.1.* magiſtratum, qui à ſuma poteſtate conceſſum imperium obtinet, pro cujusque Reipublicæ ſtatu gradibus ſuis ita diſtinguit, ut alius major, alius minor ſit.

20. Major, qui nulli, præterquam ſummæ poteſtati ſubeſt: Intermedius & ſubordinatus vulgò dicitur. *Jun. de jur. magiſtrat. quæſt.6.*

21. Minor, qui ſuperioris magiſtratus imperio tenetur, aliisq; ſeſe inferioribus, vel magiſtratib⁹, vel privatis imperat.

22. Deinde, magiſtratus aut eſt togatus, aut armatus.

23. Togatus, qui domi & in pace togatis civibus imperat.

24. Armatus, qui foris & in bello armatis militibus.

25. Tertiò magiſtratus aut eſt perpetuus, aut temporalis.

26. Illius Imperium nullis annorum ſpatiis terminatur: Hujus verò annuo ſpatio, vel biennio, & ſic deinceps, definitur.

27. Quartò, magiſtratus alius eſt ordinarius, alius extraordinarius.

28. Ordinarius, cujus juriſdictio lege, aut voluntate Principis certa eſt ac definita. *Vult. l.1. Juriſp. Rom. c.12.*

29. Extraordinarius, cujus juriſdictio certâ aliquâ lege definita non eſt, ſed qui neceſſitate poſtulante creatus, eâdem ceſſante, & ipſe deſinit. Cujuſmodi in Repub. Rom. erant Interrex, Dictator, Tribuni, & Tribuni plebis. *idem ibid.*

30. Alii magiſtratus extraordinarios, qui munus publicum extra ordinem, imperantis arbitrio gerunt, non magiſtratuum, ſed curatorum titulo inſigniunt *qua de re vid. Arniſæ. lib.1. doctrin. polit. c.17.*

31. Modus conſtituendi magiſtratum, aut principatum, vel eſt ordinarius, vel extraordinarius.

32. Ordinarius fit electione, aut ſucceſſione: unde aliud Regnum eſt electivum, aliud ſucceſſivum, ſeu hereditarium.

33. Electio eſt, cùm ſpreto natalium jure, ſuffragiis Princeps deſignatur. *Lipſ. l.1. Pol. c.4.*

34. Succeſſio eſt, in quo is honor gentilis eſt & Princeps ex Principe naſcitur. *Lipſ. d.l.*

35. Modus extraordinarius fit vel immediatâ Dei vocatione, ſicut Deus in Repub. Iſraëlitica immediatè quandoq; magiſtratus conſtituit: vel ſorte, vel jure belli, aut jure dotis, emptionis, ceſſionis, deditionis, donationis, permutationis, de quibus & ſimilibus modis diximus *diſp.2.*

36. Magiſtratibus accedunt Cenſores: ut enim legibus magiſtratus ac judices: ita moribus præficiendi ſunt Cenſores: qui ea, quæ legibus definiri nequeunt, notent, caſtigent, corrigant, *vid. Cbokier. in aphoriſ. pol. 1. lib. 5. c. 19. fol. 281.*

37. Hi maximarum, minimarumq; rerũ, præcipuè circa morum diſciplinam, cognitionẽ animadverſionemq; habent: de quibus leges aut non ſcriptæ, aut quę judicio pœnali haud dignæ videbantur.

38. Inquirebant n. olim, quo ſe quiſq; modo domi ſuæ, intra laris penetralia erga uxorem, liberos, erga ſervos, erga propinquos, neceſſarios, vicinos gerreret: quæ inſtitutio liberorũ, quæ diſciplina, unde victus & amict⁹, quis opũ uſus, quis abuſus, quæ incuria, quis focus & menſa, &c. omnes malas artes, libidines, voluptatesq; malas, otium, luxum omnem prohibebant: ab univerſisq; exigebant, ut probitati atq; induſtriæ, non ſumptibus & divitiis ſtuderent, vid. hac de re *Scip. Amirat. lib. 11. diſcurſ. 2. in Taci. Alexand. ab Alex. l. 3. gen. dier. c. 13. Bodin. l. 6. de Rep. c. 1. Camer. cent. 1. medit. hiſt. c. 15. &c.*

39. Exinde illorum animadverſio ſeu cenſura appellata eſt magiſtra pudoris & modeſtiæ. *Cic. in Piſon.* non ſolùm Romanis, verùm etiam Græcis uſitatiſſima.

40. Hodiè in noſtris Rebuspublicis adeò obſoletam tàm neceſſariam ꝓvinciam Reipub. perſpicimus, ut non modò non colatur, ſed etiam ferè ignoretur. *Lipſ. l. 4. pol. c. 11.* unde illius neglectus multorum magnorumq; malorum perpetua cauſa à prudentioribus reputatur.

41. In optimis tamen conſtitutis Rebuſpublicis exteris, puta Veneta, Lucenſi, Genuenſi florida eſt aliquantũ, *Bod. d. l.*

42. Hodiè quidem locorum quorundam uſu, ut etiam ſtatutis Polonicis *lib. 1. ſtat. c. 4.* relictum eſt hoc munus Eccleſiaſticæ cenſuræ, & Senioribus Eccleſiæ permiſſum, ut ſi quos malè vivere cognoſcant, admoneant, caſtigent, & indicent.

Sed

Sed cùm publicæ cenſuræ notâ & correptione deſtituantur, parùm inanibus efficitur reprehenſionibus, *ex Sturm. l. 1.de admin bell.Turc.Kirchn.in Repub.diſp.XI.th.2.ad lit.c.*

43. Diximus *th.32.* modum conſtituendi magiſtratum ordinarium fieri aut electione, aut ſucceſſione: Utra forma ex his ſit præferenda, multis diſputatur:

44. Nos ſucceſſionem electioni ὡς ἐπὶ τὸ πλῦ, ut plurimum, pro conſtitutis legibus cujuſcunq; provinciæ, proque ſtatu regiminis præferimus.

45. Nam 1. cùm natura hominum ſit avida imperii, *Saluſt.in Jugurth.*& cupido potentiæ mortalibus inſita *Tacit. 11. hiſt.* per ſucceſſionem malis ob id occurrentibus providetur. Proinde in Regno ſucceſſivo ceſſant inſidię & conſpirationes in Regem viventem, quæ non tot & tantæ, quantæ in electivo, quod Optimates variis ratibus ad ſe trahere ſæpè conantur, & conari leguntur. Et quot quæſo Pontifices per electionem & ſuffragia quæſiti veneno periêre? Venenum Pontificum Romanorum mortem eſſe in proverbium ferè abiit.

46. 2. Succeſſio probatur in jure divino, & à Deo ſtabilitur lex in Regno populi ſui, ut longo tempore regnet ipſe Rex, & filius ejus ſuper Iſraël.

47. 3. In Regno hereditario filius, cùm ab incunabulis Règno ſit deſtinatus, omni curâ ac diligentiâ enutritur, ardenti ſtudio parentum ad caſtitatem vitæ, ad veram gloriam, ad prudentiam rerum inſtituitur *Caſ. lib.3 ſph. civit. c.11.* Ubi tamen exclamat: optandum, ut hodiè talis eſſet inſtitutio, nec tànta in educatione Procerum mollities, libertas morum, & indulgentia dominaretur.

48. 4. Populus quoque inſitis Regibus facilius, quàm aſſumptis obtemperare cupit.

49. 5. Nec novis exactionib' ita facilè gravatur, ſed filius plerunq; acquieſcit in impoſitis à patre.

50. 6. In ſucceſſione certæ ſunt leges, certi mores: at in electione quanta mutatio ſæpiſſimè legum & morum? Unde natum eſt illud: Novus Rex, nova lex. Inſitum ſiquidem eſt omnibus ferè Principibus, ut & populos imperio ſubditos ſuis moribus & inſtitutis vivere aut aſſueſcant, aut certè cogant.

51. 7. In

51. 7. In electivo Regno non rarò conſpicitur anarchia, quo tempore Reſpub. velut navis ſine gubernatore ſeditionum fluctibus jactatur, at ſæpè mergitur, cùm ferociſsimis & audaciſsimis quibuſq; omnia impunè facere licet. Wilhelmo Comite Hollandorum cæſo usque ad Rodolphum I. Habſpergenſem Imperium noſtrum annos amplius octodecim, ſecundùm alios, viginti duos, Imperatore, velut navis gubernatore caruit. Per interregni tempus à Septemviris de electione diſcordantibus, creati ſunt duo Cæſares: Richardus, Princeps Cornubiæ, filius Joannis Regis Anglorum: & Alphonſus Rex Caſtellæ. Quorum hic imperium oblatum recuſavit: Ille à potiore Electorum parte fuit reprobatus: unde vaſtationes & magna bella in Germania fuère exorta. Anno 1346. contra Carolum IV. Joannis Regis Bohemiæ filium fuerunt electi Everhardus Rex Angliæ, Fridericus Marchio Miſniæ, Güntherus Comes Schwartzburgenſis: quod factum Anno 1349. Illis imperium detrectantibus: hoc verò ſexto ab electione menſe veneno interempto, Carolus IV. per multas largitiones Imperio tandem eſt potitus, Anno 1350. *Peucer. lib. 5. Chron. in vit. Caroli IV. Onuphr. Panvin. in tract. de Comit. Imperatoriis. c. 12.*

52. Cæterùm Rex electus ut plurimum eſt peregrinus: Unde quæritur: An talis peregrinus ad gubernacula Reipublicæ ſit admittendus.

53. Hic diverſorum populorum diverſa occurrunt ſtatuta & exempla.

54. In populo Iſraëlitico Regnū Judę ad extraneos minimè recidebat. Sic enim *Deut. 17. v. 15.* legitur: Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.

55. Idem jus fuit olim Lacedæmoniis, de quibus *Plutarchus in Lycurgo*: Lycurgus apud Lacedæmones omnibus viribus & legibus contendebat, ne peregrini in urbem admitterentur, multò minus ad rerum gubernacula admoverentur. Et Alexander M. Peloponeſum profectus, Concilio ibi habitó, ut Imperator adverſus Perſas crearetur (quod prius Philippo Patri conceſſum) petiit. Id ab omnibus impetratum, præterquam Lacedæmoniis, à quibus reſponſum: Non con-

ſueſſe

ſueſſe Lacedæmonios externis Imperatoribus ſeſe ſubjicere, ſed externis ipſos exercitibus præeſſe, atque imperare. *Arrianus Nicomedenſis lib. 1. de geſt. Alexandr. M.* Simile reſponſum tulit à Scythis, ut refert *idem Curt. lib. 7.* Nam ut fortior ſit, inquiunt Alexandro, quàm quiſquam: tamen alienigenam dominum nemo pati vult.

56. Hodiè apud nos publicâ imperii conſtitutione cautum, ne aliquis eligatur Imperator, qui non ſit natione Germanus, cujus rei documenta dedimus *ſup. diſp. 6. th. 18.*

57. Lex Belgarum eſt: Nullum peregrinum Principem aut externum publicis muneribus præficiunto. *Althuſ. in polit.*

58. In inclyta quoque Venetorum Republica peregrinis nullus eſt locus, *teſte Franciſco Patritio lib. 3. de inſtit. Reipubl. tit. 2.*

59. Apud Genevates Syndicus aut ſecretioris conſilii ſenator, niſi Genevæ domicilium originis habuerit, nemo fit. Quod etiàm apud Helvetios uſu receptum eſt. *Bodin. lib. 1. de Repub. c. 6. n. 48.*

60. Apud Argentinenſes ad publica munera regulariter nemini patet aditus, niſi ex urbe aut Epiſcopatu fuerit oriundus. *Dn. Matthias Berneggerus dodecad. 5. in Tacit. quæſt. 4. in fine.*

61. Et vix ulla natio eſt, quæ diu ferat peregrinum Principem *Cominæ. lib. 8. fol. 615.* Sic Erici Regneri pugilis Sueciæ Regis filii vox fuit ad Gotherum Norwegiæ Regem, Daniæ Regnum affectantem: Patrium quiſque ducem extero præfert, ut refert *Saxo Grammaticus lib. 5. hiſt. Daniæ.* Nam cives promptius obediunt ſuæ nationis & ſanguinis hominibus, quàm extraneis. Sic Tirii maluerunt viliſſimo homini ſui generis obedire, quàm alienigenæ. *Diodor. Sicul. lib. 17.*

62. Sunt multæ aliæ, eæq; graviſſimæ rationes & cauſæ, quæ peregrinos ab imperiis & magiſtratibus arcere poterunt. Inter alias hæ 1. quod non ſit tantus affectus, propenſio, & amor peregrini erga ſubditos, quantus eſt indigenæ. Unde neminem aliena tam diligenter curare, quàm ſua, dixit *Dio.* 2. quod peregrini non habeant perſpectos civium mores. 3.

Nec ſolùm cum moribus eorum, quibus præponuntur, convenire, ſed & ſæpè idioma ſubditorum intelligere, aut ab his intelligi nequeunt, &c.

63. In contrarium tamen extant aliorum Regnorum exempla & ſtatuta, quæ fores dignitatum & magiſtratuum peregrinis aperiunt. Ita Poloni ſubinde exteris ſceptra ſua deferre ſolent, ad æquabilitatem libertatis conſervandam.

64. Quare ſtatuta ſingularum nationum ſunt obſervanda, aliæq; multæ circumſtantiæ: inprimis neceſſitas. Ita cùm Sultani apud Ægyptios Prætorianorum ſuffragio crearentur, ac mutuis cædibus & factionibus Rempub. divellerent, communi conſenſu legatos ad Campſonem Caramariæ Regem miſerunt, ut Ægypti Regnum acciperet. Et Ruteni bellis civilibus exhauſti ac fatigati tres Germanos Principes ſibi crearunt, Anno 861. ut refert *Cromer. in hiſt. Polon.*

65. De juvene quæritur: An huic magiſtratus & officia publica ſint demandanda? Negatur vulgò, niſi ſingularis indoles virtutis, ingenium, judicium, & mores aliud ſuadeant: cùm reperiantur qui ætate quidem ſunt juvenes, ſed ingenio & judicio propè ſenili ſint prædíti, vel, ut alii loquuntur, ſapientiâ ſenes. Cujus rei exempla multa *apud Tiraquel. de jur. primogenit. in præfat. & Jun. part. 1. quæſt. pol. 14.* Quò ſpectat illud *Eccleſiaſt. c. 4. verſ. 13.* Melior eſt pauper & ſapiens, quàm ſenex ſtultus.

66. Pro ſententia negante faciunt hæc 1. In magiſtratu requiritur 1. prudentia politica. 2. experientia & varius rerum uſus, quem ætas affert. 3. Auctoritas, quam Senectus maximè conciliat. Hinc dicitur: Plus valet umbra ſenis, quàm gladius juvenis. *Bald. in cap. 1. num. 1. de renunciat. & in l. ſenium. C. de teſtament.* His adminiculis deſtitui cenſetur juvenis: cùm ætas juvenilis ſit raró conſtans, ſed præceps, mobilis, flexilis, credula, vicina lapſibus, variis affectibus & voluptatibus obnoxia. Unde Poeta.

Flexi-

Flexilis eſt juncus, ſalices flectuntur amaræ:
Robora dura minus.

67. Qua de cauſa jura civilia adoleſcentes tutelæ ſubjiciunt, quod ſuis rebus non ſatis commodè proſpicere, ſeque ipſos regere queant. §. *minores 15. Inſtit. de excuſ. tut. l. nemo. C. de legit. tut.* Quî igitur alios regent? quî aliorum negotiis & rebus coſulent?

68. Nec ad honores ante 25. ætatis annum (quæ ætas dicitur perfecta, *l. ſi maritus* §. *lex Julia ad. l. Jul. de adult.*) admittuntur, ut patet *ex l. 8. ff. de muner. & honor. l. 2. §. fin. ff. de jure immunit.*

69. Accedit anctoritas *Eccleſiaſtis c. 10. v. 16.* dicentis: Væ Regno, cujus Rex puer eſt. Et inter comminationes divinas apud Prophetam eſt: Dabo pueros Principes eorum, *Eſa. 3. verſ. 4.*

70. Adde, quod juvenum conſilia ſæpè lubrica ſint, ut patet ex conſiliariis novellis Roboami, quorum conſilio admiſſo, & Seniorum rejecto, decem tribus Iſraël à Rege defecerunt. *1. Reg. 12. 2. Paralip. 10.*

Movetur & hæc quæſtio in ſcholis Polticorum. An invitis magiſtratus ſit deferendus, & quodammodo obtrudendus?

71. Nos in affirmantem abimus ſententiam, ſi modò quis idoneus, nec impediatur morbo, imbecillitate, ætate, ſenectute, difficultate rei domeſticæ, ſeu fortunæ, profeſſionis, numeri liberorum, &c. de quibus & aliis ſunt tituli juris *de vacat. & excuſ. mun. & de jure immunit.*

72. Nam 1. Publica à privato declinari non poſſunt. *l. ſi ad magiſtrat. C. de decur. l. tutori. C. de negot geſt.* Sic cum tutela & cura ſint munera publica *l. filiusfa. 9. ff. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* ad ea ſuſcipienda etiam invitus cogitur. *l. 1. in pr. ff. de adminiſtr. tut. § fin. Inſt. de ſatisd. tut.* ut & alia munera publica ſunt ſubeunda ei, cui imponuntur *l. 21. Lucius. ff. ad municip. l. 9. ſi quis magiſt. de mun. & honor. & per tot. l. munus 214. de verb. ſignif.* niſi quis habeat vacationem & immunitatem, eaq; uti volet, ut *in tit. de vacat. & excuſ. muner. in ff. & Cod. & de jure*

immunit. in ff. per tot. Si enim ea, quæ ſunt publica, declinari poſſent, jam eſſet in arbitrio hominis privati jus publicum ſequi, vel non ſequi, qua ex re maxima ſequeretur confuſio, cùm nemo ſuſcipere vellet: quod non tantùm difficile, ſed periculoſum etiam eſſe arbitraretur. *Vult. in Inſtit. ad tit. de excuſ. tut. n. 2.* Unde *Cic. lib. 1. offic.* juſtitiæ facit fundamentum, ut communi utilitati ſerviatur. Non nobis ſolùm nati ſumus, inquit, ortusque noſtri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici: atque (ut placet Stoicis,) quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum causâ eſſe generatos, ut ipſi inter ſe, alius aliis prodeſſe poſſent, in hoc naturam debemus ſequi, & communes utilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tùm artibus, tùm operâ, tùm facultatibus deviincre hominum inter homines ſocietatem.

73. Imò indignus eſt Sacerdotio, niſi ordinetur invitus. *l. 31. C. de Epiſc. & Cleric.* Et Alexander Severus invitos, non ambientes dixit in Repub. collocandos. *Lamprid. in ejus vit.* Galba quoq; non dedit Senatoria & equeſtria officia, niſi invitis & recuſantibus. *Suet. in ejus vit.*

74. Juvat & hanc annectere quæſtionem: utrum præſtet magiſtratus mutabiles, vel perpetuos habere?

75. Nos judicamus in Monarchia ſummum magiſtratum debere eſſe perpetuum, cùm ſit fundamentum & firmamentum univerſi imperii, à quo, ut à corde, victus effunditur in alios. Minores verò, intermedios, ſeu communes, annuos eſſe poſſe, & interdum debere. Has ponimus rationes:

76. 1. Crebra magiſtratuum mutatio in Repub. valde eſt pernitioſa, propter novas ſubinde leges, conſtitutiones, mores & ritus, novam rerum omnium faciem in Repub. dum quiſque magiſtratum ſuum novis legibus memorabilem facere nititur, juxta illud: Novus Rex, nova Lex, cujus rei illuſtria ſunt documenta in Republica Romana *apud. Liv. lib. 5. & paſſim alibi.*

 77. Muta-

77. 2. Mutabilitas illa non expetenda propter novas exactiones. Nam, ut dici ſolet: Non parcit populis regnum breve. Sicut etiam de Commodo Imp. Lucanus ſcribit:

Ille quod exiguum reſtabat ſanguinis hauſit

78. 3. Nec Imperii decus tueri, nec cum majeſtate imperare poteſt, qui ſe brevi eâ privaturum fore metuit. Sin perpetua poteſtas erit, & cum dignitate imperabitur, & cum obſequio parebitur: nec magiſtratui metuendum erit, ne aliquando privatorum contumelias, aut improborum calumnias ferre cogatur. *Bod. l. 4. de Repub. c. 4. n. 436.*

Corollaria.

I.

Q. Utrùm cæcus, vel caſu, vel natus magiſtratum gerere, & judicis officio fungi poſſit, vel minus? Hâc diſtinctione opus eſſe judicamus cum Camerario cent. 3. hor. ſucciſiv. c. 80. *Aut tales res incidunt, quæ judicum oculis ſubjici oportet, priusquam de iis rectè cognoſci poſſit, ita aſpectus judicis omninò requiritur. Et tunc talis non cenſetur officio judicis rectè fungi poſſe. Aut potiùs mentis integritas & internus viſus requiritur? tunc tanquam judex admittitur. Ita* ex Cicerone in Tuſculan. quæſt. *refert* idem Camer. *Caii Druſii Juriſconſulti domum, quamvis cæcus eſſet, conſultoribus completam fuiſſe.*

 Sed &

Sed & Appius Claudius cæcus conſiliis publicis interfuit, & in Senatu ſeveriſſimam dixit ſententiam de Pyrrhi captivis l.1.§.5. ff. de poſtuland. *Ubi alia determinatio additur ex Ulpian. lib. 6. ad edict. retinere quidem cæcum jam cæptum magiſtratum poſſe: aſpirare autem ad novum ei non licere, quod in ſimilibus terminis dicitur de Judice dato furioſo, quòd in officio permaneat licet furere cæperit: quia rectè ab initio Judex addictus eſt.* l, 44. ff de. judic.

II.

An uni multi magiſtratus vel officia committenda? Negatur, argumento primo deducto à ſimili. Quia ſicut natura non uni omnia, ſed ſingulis diſtincta officia dedit: exempli gratia, ſoli, ut luceat: igni, ut ardeat: ita ratio & ordo in civitate poſtulant, ut unus unum officium, non plura ambiat, aut vendicet. Ariſtot. lib. 2. pol. c. 9. & Caſ. in comment. ſupr. d. c. 9. q. 2. *Nam unicum ab uno optimè perficitur opus* Ariſtot. l. 2. pol. c. 11. & l. 4. εἰς πρὸς ἕν, *quique uno eoque ſingulari munere ſit contentus. Altero, à difficili. Nam officium publicum integrum & iuſtum requirit hominem. Et tanta eſt humani ingenii imbecillitas, ut vix ac ne vix quidem uni ſoli muneri omnibus in partibus rectè, prout decet, ſufficere poſſimus, nedum, ut unus quiſpiam par eſſe poſ-*

ſit

ſit pluribus ſubeundis, quodſi facere quis hoc conatur, in ſingulis deficiet, ita ut in nullo egregius evadat, Jun. part. 1. quæſt. pol. 22. Keck, in curſ. Philoſ. diſp. 31. quæſt. 6.

III.

Utrum plures conſanguinei ſimul in eadem Repub. ad ſocietatē magiſtratus admittendi? Heduorum lex, quam Tullius nobis reliquit, probabili nititur ratione: eaq; in pluribus civitatibus Germaniæ, & olim in Galliâ obſervata fuit ad colludii ſuſpicionē aliasq; corruptelas & metum invadendæ Reipub. avertendū Tholoz. l. 4. de Rep. c. 6. n. 9. & Ariſtot. l. 5. pol. c. 6. circa pr. *quibusdam in civitatibus, ait, non unà pater & filius magiſtratus gerunt, in quibusdam autem neque natu major, minórve frater.*

IV.

Utrum nobilitas, an virtus in committendo magiſtratu ſpectanda? Poſt. A.

V.

Utrum in magiſtratibus & honoribus demandantis opes & facultates ſpectandæ: adeoq; an dives pauperi ſit præponendus? Quòd ſic, evinci poſſet ex incommodis paupertatis. Hæc n. onus grave, morbus Reipub. magnus. Plut. in Lycurg. & Simanca l. 3. de Rep. c. 15. *Res, inquit, pernitioſa in imperante tenuitas: animal periculoſiſſimum, Rex pauper. Impoſſibile n. eſt, ut refert* Cagnol. de recta Princ. inſt.

c. 73.

c.73.t.91.in fin. *egentem benè legitimeq; publicis poſſe vacare negotiis. Nam propter neceſſitatem inhiat lucris, & à veritate diſcedit,* juxta Saluſt. *agentiſſimo omnia cum pretio honeſta ſunt. Nec rei domeſticæ anguſtiâ preſſi communem ſalutem promovere poſſunt, dum de victu ſibi ſuisq; quærendo ſoliciti ut ſint neceſſe eſt. Placet tamen nobis diſtinctio* Keck.l.1. Syſt. pol.c.2.fol.54. *nec nimium pauperem, nec nimium divitem ad magiſtratum gerendum aſſumi debere, ex ſententia* Ariſtot.l.4.pol.c.11. *qui enim, inquit, ſupra modum pauper eſt, propenſus eſt ad fraudes, & captat munera, & depeculatur Rempub. Contra verò, qui ſupra modum dives eſt, is ad inſolentiam propendet, juxta illud* Ariſtot. *nimiæ divitiæ excitant inſolentiam, ex inſolentia autem oriuntur intolerabiles injuriæ. Et quòd pauperes non prorſus excludi debeant, exemplis docet* Jun. p.1.q 17.

VI.

A foribus dignitatum repellendi ſunt illi, quos inquinat & contemptui obnoxios reddit vel vitæ vilitas, & ſordidarum artium profeſſio, vel infamia & vitæ turpitudo: vel hæreſis: vel onus æris alieni, vel ambitionis æſtus, &c.
Schönb.l.2.pol.c.6.

F I N I S.

DISPUTATIO XI.

DE OFFICIO MAGISTRATUS PUBLICO, EOQVE ECCLESIASTICO ET POLITICO.

Reſpondente

CASPARO SCHWERTELIO, COBURGENSE FRANCO.

THESIS I.

Rectè Philoſophorum Princeps *Ariſtot. Ethic. lib. 10. cap. ult.* monet, quod Magiſtratui & Legislatoribus incumbat adminiſtratio civilis rerum publicarum & privatarum, circa educationem & ſtudia hominum.

2. Huic præcepto aures accommodaturi, hac diſputatione agemus de adminiſtratione, ſeu regimine & officio Magiſtratus publico, quod eſt vel Eccleſiaſticum, vel Politicum.

3. Eccleſiaſticum eſt circa curam rerum ſacrarum. Non ſolùm enim Princeps religionem & cultum divinum puro pectore exercebit, ſed etiam ſartum tectum conſervabit & propagabit. Nec enim abs re S. Scriptura Principes vocat Nutritios & Patronos Ecleſiæ, *Eſa. 49. v. 23.* & ad muros ejus ædificandos conſtitutos. *c. 60. v. 10.* In quam ſententiam laudatiſs. Imp. Juſtinian. *in L. unic. c. nemini lic. ſign. ſalv.* ait: Cu-

ra nobis diligens eſt, per omnia ſuperni numinis religionem tueri.

4. *David Paræus in tract. de poteſt. Reg. contra Pap. fol. 74. ſ* id jus vocat poteſtatem regiam circa Eccleſiaſtica: item poteſtatem Eccleſiaſticam externam.

5. Dicitur *externam* illam eſſe poteſtatem. Nam *interna* Principi laico adimitur. Hæc enim poteſtas Eccleſiaſtica interna ab Eccleſiaſticis eccleſiaſticè in Eccleſia exercetur, docendo, ſolvendo, ligando, ſacramenta adminiſtrando &c. Externa verò eſt νομοθετικὴ, quæ circa Eccleſiaſticas res & perſonas extra templum civiliter exercetur, *Dn. Chriſtian. Matth. Colleg. 2. diſp. Polit. 6. th. 24.* Seu: eſt poteſtas diſponendi, ordinandi, & curandi media de religione vera, Deiq; cultu ex verbo divino introducendo, conſervando, & defendendo.

6. Atque hinc Chriſtianus Magiſtratus habet poteſtatem convocandi Epiſcopos, & Synodos congregandi: quia ejus eſt providere, ut verbum Dei purè ac ſincerè tradatur, pax & tranquillitas in Eccleſia conſervetur, hæreſes & ſchiſmata, quibus pax & tranquillitas iſta turbatur, puritas doctrinæ vitiatur, ratione juſtâ tollantur. Quam ad rem cùm faciant etiam concilia, palàm eſt, quod convocatio eorum Magiſtratui competat. *Johan. Förſter. in tract. peculiari de Concil. diſput. 1. th. 34. & 35.*

7. Eſt verò Magiſtratus ſupremus, vel inferior.

8. Supremus eſt Romanus Imp.

9. Inferiores Magiſtratus ſunt Principes, & alii in gradu eminenti conſtituti, ut ſunt Comites, Barones, & urbes liberæ Imperiales.

10. Supremus Princeps concilia univerſalia ſive œcumenica convocare poteſt, quæ ideò univerſalia vocantur, quia ab univerſali omnium Domino Imperatore cogebantur, ut tradit *Lutherus in lib. de Concil.* relatus *à Bellarmino lib. 1. de Concil. c. 12.*

11. Idque ex indictione quatuor Oecumenicorum Conciliorum præcipuorum poſt natum Chriſtum celebratorum ex Hiſtoriis Eccleſiaſticis ὀφθαλμοφανερῶς patet. Scilicet Niceni I.

ceni I. Conſtantinopolitani I. Epheſini I. & Chalcedonenſis: quæ *Gregorius Magnus lib. 1. Epiſt. 24.* ſe venerari affirmat, ſicut quatuor Evangelia, ut refert *Förſterus in d. tract. de Conciliis, diſput. 4. th. 2.*

12. Magnum illud & celeberrimum Concilium apud Niceam, urbem Bithyniæ, Conſtantinus Magnus convocavit, Ann. Chriſti 328. ibique Arrium decem & octo ſupra trecentis Epiſcopis reſidentibus adeſſe jubet, ac de propoſitionibus ac quæſtionibus judicari. *Ruffin. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 1. in fin. Hiſtor. Tripartit. l. 1. c. 21. in fin. Euſeb. l. 3. de vita Conſtantini, c. 6. Socrat. l. 1. c. 5. Theodoret. l. 1. c. 7. Sozomen. l. 1 c. 16. tom 1. Concil. fol. 198. col. 2.* Conſtantinopolitanum I. contra Macedonium indixit Theodoſius Magnus, Ann. Chriſti 385. *Socrat. l. 5. c. 8. à pr. Theodoret. l. 5. c. 7. Sozomen. l. 7. cap. 7. Niceph. l. 12. c. 10. tom. 1. Concil. fol. 237. col. 2.* Epheſinum I. fuit convocatum à Theod. II. ſive Jun. contra Neſtor. *Evagr. l. 1. c. 3 Niceph. l. 14. c. 34. Hiſt. Tripart. l. 12. c. 5. à pr. tom. 1. Concil. fol 304. col. 1. in med. An. Epocha Chriſti 431. ſecundùm Förſterum diſp. 8. th. 39. de Concil.* juxta alios, An. 432. vel etiam An. 433.

13. Chalcedonenſe Concilium congregatum eſt à Martiano Imp. adverſus Eutychetem, Ann. 458. *Evagr. l. 2. c. 1. dict. tom. 1. Concil. fol. 400. act. 1. à pr.*

14. Non ergo Pontifici Romano illud jus competit, ut contendit *Bellarmin. lib. 1. de concil. c. 12.*

15. Quemadmodum verò Imp. Synodos univerſales rectè congregat: ita inferiores Magiſtratus, ſeu Principes in ſuis ditionibus concilia particularia convocare poſſunt. *Forſt. diſp. 1. de Concil. th. 23.*

16. Tantam enim hi poteſtatem in ſuis territoriis obtinent, quantam Imp. in imperio univerſo: exceptis iis, quæ Imperatori in præeminentiam & ſignum ſuperioritatis expreſsè ſunt reſervata. *Geil. 2. obſerv. 57. num. 7. & libr. 1. de pac. public. c. 6. n. 10. & 11. Weſenb. conſil. 27. nu. 29. Modeſtin. Piſtor. conſil. 28. n. 1. Mynſ. reſponſ. 32. nu. 22. Kirchn. de legat. l. 1. c. 3. n. 11. & ſeqq.* Adeoque repræſentare Imperatorem in ſuis ditionibus vulgò dicuntur.

Aa 2 17. In

17. In iſtis verò conciliis Princeps unà judicet, judicium promulget, promulgatum legibus ac pœnis ſanciat. Vid. *Chriſt. Matth. th. 32.*

18. Cæterûm, non ſolùm defenſio, conſervatio, nec non propagatio ſinceræ & veræ religionis ad Principem ſpectat, ſed etiam Reformatio abuſuum, exemplo piorum Regum in V. T. ſic Ezechias Rex Judæ diſſipavit excelſa, contrivit ſtatuas, & ſuccîdit lucos, confregitque ſerpentem æneum, quem fecerat Moyſes, *2. Reg. 18. v. 4.* Sacerdotes & Levitas templum Domini ſanctificare, mundare, & purgare juſſit. *2. Paralip. 29. v. 4. & 5.* Sic Joſias mundavit Judam & Jeruſalem ab excelſis, & lucis, ſimulacriſque & ſculptilibus. Deſtruxit aras Baalim, & ſimulacra, quæ ſuperimpoſita fuerant, demolitus eſt &c. Mundatâ jam terrâ & templo Domini, principes Conſiliarios miſit, ut inſtaurarent domum Domini ſui. *2. Paralip. 34. v. 3. cum ſeqq.*

19. Quamvis autem Princeps debeat conſtituere, promovere, & reformare divinum cultum, errores tollere, ut pura, ſecundum ſcripturam, vigeat religio: idque faciat non jure imperii: verùm ut præcipuum Eccleſiæ membrum, & tanquam defenſor & protector Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque doctrinæ: hinc non ſolus de ceremonis & aliis rebus Eccleſiaſticis: ſed cum aliis membris, præcipuè Eccleſiæ Miniſtris, de his conſtituet, decernet, & exequetur *ex Polycarp Leyſer. Jun. diſp. ad Formul. Concord. dec. 9. quæſt. 6. Dn. Beſold claſſ. 1. diſp. Polit. 4. th. 16. & præced. 14.* Atque inde errare eos ſcribit, qui Magiſtratui Politico poteſtatem liberam ceremonias ſuo arbitratu obtrudendi aut abrogandi concedunt: cùm Eccleſia non ex ſolo Magiſtratu conſtet, ſed etiam ex Paſtoribus & Auditoribus.

20. Exemplum hujus rei eſt illuſtre in ſacris literis. Sic enim Hiskias Rex conſilium cœpit cum Principibus, univerſoque cœtu in Jeruſalem, ut facerent Phaſe menſe ſecundo. *2. Paralip. 30. v. 2. & v. 23.* dicitur: Placuit univerſæ multitudini, ut celebrarent etiam alios dies ſeptem: quod fecerunt cum ingenti gaudio.

21. Ex

21. Ex eadem ratione deducit *idem Beſold. theſ. 17* jus vocandi Miniſtros Eccleſiæ non ſoli competere Magiſtratui, ut Politici hodiè contendunt, ſed toti Eccleſiæ. Quæ eſt communis noſtrorum Theologorum ſententia, & ipſa veritas.

22. Nam 1. diſcrimen eſt inter regna, & jura Politica, quæ vocantur Regalia, & inter regnum Chriſti. Vult enim Chriſtus ſuum regnum, & mundi regna cum ſuis officiis diſtincta eſſe, *Joh. 18. v. 36.* Miniſterium verò verbi, & vocatio Miniſtrorum non pertinet ad jus Politiæ, ſed ad regnum Chriſti. Quare Politicæ majeſtati Magiſtratus ſubjici non debet miniſterii Eccleſiaſtici conſtitutio. *Mart. Chemnitius p. 3. loc. Theolog. in loc. de Eccleſ. c. 4. fol. 225. Dn. D. Mentzerus tom. 2. diſp. Theol. Marp. 22. th. 89. & in exegeſi Auguſt. Confeſſ. ad art. 19. fol. 426.*

23. Deinde: Eccleſiæ in hiſce terris gubernatio non eſt externa Monarchica: & per conſequens nec electio Monarchica erit, hoc eſt, ex unius duntaxat arbitrio pendens. *Dn. Chriſt. Matth. d. diſp. 6. th. 42.*

24. Neque etiam Eccleſiæ gubernatio eſt Democratica. Quare nec ſoli populo & promiſcuę multitudini id juris concedendum eſt, quod faciunt Anabaptiſtæ.

25. Manet ergò forma regiminis Eccleſiaſtici Ariſtocratica, *Balthaſar. Meiſnerus de Regim. Eccleſ.* & ſic jus vocandi & conſtituendi Miniſtros toti competet Eccleſiæ. *D. Chemnit. d. l. & in examine Concil. Trident. de Sacrament. ord. fol. 409. & ſeqq. Clariſ. Mentzerus in d. diſp. per tot. in exeg. fol. 425.*

26. Ratio autem pro vocatione totius Eccleſiæ eſt: Quia, quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari. Eamque ſuadet praxis Apoſtolorum, in electione Matthiæ. *Actor. 1. v. 23. & ſeqq.* in ordinat. Diaconorum. *c. 6. v. 3.* ubi ita Apoſtoli inquiunt: Diſpicite ergò fratres ex vobis viros ſeptem idoneo teſtimonio ornatos, plenos Spiritu ſancto & ſapientiâ, quos præficiamus huic negotio. *cap. 14. v. 23.* creantur per ſuffragia (χειροτονήσαντες) per ſingulas Eccleſias Presbyteri. *& c. 15. v. 22.* cùm eligendi eſſent, qui cum mandatis ad Antiochenam Eccleſiam mitterentur, inquit Lucas: Tum

placuit Apoſtolis & Senioribus cum tota Eccleſia, delectos ex ſeſe viros mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barſabas, & Silam, viros primarios inter fratres.

27. Et hanc Apoſtolicam formam electionis & vocationis poſtea etiam retentam & uſurpatam eſſe in veteri & puriore Eccleſia, certo quodam ordine à præcipuis Eccleſiæ membris, nomine & conſenſu totius Eccleſiæ, refert *Chemnit. d. c. 4. fol. 326. & in Exam. concil. Trident. part. 2. de Sacramento ordinis, fol. 410.*

28. In quam rem ſunt multi vetuſti Canones in jure Canonico. *Diſtinctione 24. Can. 2.* eſt ex Concilio Carthagin. *3. c. 22.* Nullus ordinetur clericus, niſi probatus fuerit, vel Epiſcoporum examine, vel populi teſtimonio. *diſtinct. 62. cap. 1.* ita loquitur Leo Papa: Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti, nec à comprovincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati. *diſtinct. 63. cap. 27.* Vota civium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electio clericorum in ordinationibus Sacerdotum expectantur. *Item:* Per pacem & quietem Sacerdotes, qui præfuturi ſunt, poſtulentur: teneatur ſubſcriptio clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis conſenſus & plebis. *diſt. 67. c. 1.* Reliqui Sacerdotes à proprio ordinentur Epiſcopo, ita ut cives & alii Sacerdotes aſſenſum præbeant, &c. Hinc reliqua adhuc ſunt vocabula nominationis, ſeu poſtulationis, præſentationis, conſenſus, & confirmationis, ſeu collationis. *Chemnit. d. c. 4. fol. 327.*

29. Cùm igitur jus vocandi Miniſtros ad totam Eccleſiam pertineat, id uni aut alteri ſoli parti tribui non debet. Unde à regia via aberrant hodiè Pontificii, ad ſolos cleros ſeu Epiſcopos, & potiſſimùm ad ſummum Pontificem vocationem & ordinationem Miniſtrorum referentes. *Concil. Trident. ſeſſ. 24. cap. 4. Canon. 7. Bellarm. l. 1. de Cler. c. 3. & 4.* Nam nefas eſt Miniſtrum ſibi ſumere partes Domini. Doctores autem & Paſtores ſunt Miniſtri Eccleſiæ. *2. Cori th. 1. v. 24.*

v. 24. non Domini. *1. Pet. 5. v. 3.* Ergò. *D. Mentz. d. diſp. 22. th. 88. & in exegeſi fol. 426.*

30. Quæ autem legitima eſt ratio Eccleſiæ in Miniſtrorum ordinatione & conſtitutione: eadem quoque erit in depoſitione & remotione. *Chemnit. d. c. 4. fol. 229. in med. & ſeq. Chriſt. Matth. d. diſp. 6. th. 43.*

31. Et quia Principes ſeu Magiſtratus ſunt præcipua Eccleſiæ membra: hinc ad eorum curam & officium etiam ſpectat inſtitutio Senatuum, ſeu Conſiſtoriorum Eccleſiaſticorum, & per ea de Epiſcopis & Paſtoribus vocandis, examinandis, in officio dirigendis, judicandis, diſponendis, leges dare, *Beſold. th. 19.* ubi ſtatim addit: Quæ tamen judicia itidem Presbyterium Eccleſię repræſentant: nec abſolutè ad Principes ſpectant, ut curiæ meræ ſeculares.

32. Monent autem Politici, ut ejuſmodi Conſiſtoria conſtent non ex Theologis & Clericis ſolùm, ſed ſimul ex doctis, gravibus & honeſtis viris Laicis ſeu Politicis, qui æquè ſunt pars Eccleſiaſtici cœtus.

33. Inſuper Magiſtratus eſt cuſtos utriuſque tabulæ Decalogi, quoad externam diſciplinam. Unde ſcelera & flagitia commiſſa contra primam tabulam: puta, blaſphemiam, Idololatriam, Magiam, Atheiſmum, Epicureiſmum: contra ſecundam: ſcilicet, homicidia, adulteria &c. gravi animadverſione perſequetur. *D. Ægid. Hunnius tom. 1. diſp. Theol. Marp. 44. th. 19. & 20. Beſold. th. 2.* Ita Servetus Ann. Chriſti 1500. inſtinctu Johannis Calvini, propter atroces blaſphemias Genevæ combuſtus eſt, ut alicubi refert *Theod. Beza.*

34. Hæc cenſura morum Eccleſiaſtica quibuſdam in locis relicta etiam eſt Senatui Eccleſiaſtico vel Conſiſtorio Spirituali; permiſſumvè Senioribus Eccleſiæ, ut ſi quos malè vivere cognoſcant, admoneant, caſtigent & indicent.

35. Præterea, vigore jurium Epiſcopalium, quæ habent Principes Germaniæ Reformatæ Religionis ex transactione Paſſavienſi, rectè & ritè præſident matrimonialium cauſarum cognitioni. *Andr. Knich. de jure territ. c. 3. n. 234. Bocer. de juriſdict. c. 3. n. 44. 51. 80.* & in gradibus de jure poſitivo

ſitivo prohibitis diſpenſant. *Beza de divort. per plura alleg. idem Beſold. th. 20.*

36. Diximus etiam ſup. Magiſtratus officium eſſe, providere ut omnes hæreſes tollantur, omnes diſſenſiones Religionis præcaveantur. Quare ſummis viribus enitetur, ut una, eaque vera Religio, quantum fieri poteſt, vigeat & floreat in ſua ditione. Quâ de re actum à nobis fuit *diſp. 9. de Relig. & legib.*

37. Et hactenus de officio Magiſtratus Eccleſiaſtico, pro ratione inſtituti noſtri diſſeruimus: ſequitur, ut de Politico ſermonem inſtituamus.

38. Officium Politicum Magiſtratus conſiſtit in iſta lege XII. Tabb. *Salus populi ſuprema lex eſto.* Ad quam Maximam imperandi, velut ad Helicem & cynoſuram in adminiſtratione ſemper ſpectabit. Proinde oculum ante omnia ad ſalutem & utilitatem Reipub. intendet, ut monet *Plutarch. in Lacon. & Ageſil. & Saluſt. in Jugurth.* & velut è ſublimi ſpecula proſpiciet, ut ſubditorum quiſque ſub ſua vite, ceu S. Scriptura loquitur, tutò & ſecurè poſſit vivere. Hinc *Boter. l. 3. de orig. urb. c. 31. fol. 932.* officium, inquit, boni Magiſtratus in Repub. benè conſtituta eſt, fortunas ſubditorum in tuto collocare, juſtè judicare, unicuique id, quod ſuum eſt, tribuere, perſonam nullius reſpicere, hoc eſt, potentem imbecilli, divitem inopi, gentilem inquilino, civem advenæ, patritium plebeio minimè anteponere, ſed æquabile jus univerſis æqualiter impertiri.

39. A' ſcopo itaque aberrant Anabaptiſtæ, qui Chriſtiano nefas eſſe docent, quenquam in jus vocare, aut legibus adverſus alios experiri, abutentes dictis S. Scripturæ.

40. Homerus officium boni Regis deſcripturus, ejusq; exemplar ob oculos poſiturus, dicit, quod ſit ἤπιος πατὴρ, bonus pater. Nam ut dixit *Seneca:* Bonus Princeps non differt à bono patre. Pater publicus inſignitur etiam *à Caſſiodoro. Tholoz. l. 8. de Rep. c. 11.* Ergò etiam ſuis benevolentiam paternam exhibebit, bonum publicum quæret & promovebit, magisque ſubditis, quàm ſibi conſulet. Imperialis benevolentiæ proprium eſſe judicamus, inquit Imp. Lotharius *in c. 1. à pr. de*

3 *pr. de prohibit. feud. alienat. per Lothar.* commoda ſubjectorum inveſtigare, & eorum calamitatibus diligenti curâ mederi: ſimiliter Reipub. bonum ſtatum, ac dignitatem Imperii omnibus privatis commodis præponere. Idemque reſcribit Juſtin. Imp. *Novel. 8. in pr.* Ut enim tutela, ſic procuratio Reipub. ad utilitatem eorum, qui commiſſi ſunt, non ad eorum, quibus commiſſa eſt, gerenda eſt. *Cicer. libr. 1. offic.* Hinc optimè optimus Imp. Hadrianus ſæpè pro concione dixit: ſe ſic geſturum Rempub. ut ſciat rem populi eſſe, non ſuam. *Spart. in ejus vit.*

41. Auguſtiſſimæ memoriæ Princeps Philippus Landgravius Haſſiæ tribus commendari bonum Principem dicere eſt ſolitus: 1. probâ monetâ. 2. ſecuris itineribus. 3. præſtatione promiſſorum. *Waremund. ab Erenb. de regn. ſubſid. c 5. nu. 37.*

42. Priori ergò loco de cura & ratione circa monetam per Principem habenda diſpiciemus.

43. Dicta eſt moneta à monendo. *Iſidor. libr. 16. cap. 17.* ut ſcilicet moneat, cujus auctoritatis & æſtimationis propriè ſit, & ne quid fraudis in materia, ſigno, vel pondere monetæ fiat. *Coraſ. miſcel. lib. 3. c. 3. nu. 3. Sixtin. de Regal. l. 2. c. 7. n. 51.* moneat itidem quemque ſubditorum, vectigalia & cenſus dandos eſſe ei, cujus utpote legitimi Principis & Magiſtratus imaginem in nummo circumferant. *Matth. 22. v. 17. Roman. 13. v. 7. Kirch. de Repub. diſp. 20. addit. 1. ad lit. a.*

44. Tria verò in omni moneta conſideranda veniunt, ut monent omnes Politici & Jureconſulti. 1. Materia. 2. Forma. 3. Pondus. *l. 1. C. de vet. nummiſ. Conſtit. crim. Carolin. artic. 3.*

45. Materia monetæ qualis eſſe debeat, differit *Nicolaus Oreſmius c. 2.* ubi probat, aurum & argentum metalla eſſe ad monetam aptiſſima, quia pretioſa ſunt, & faciliùs portari, atque adeò ad mercaturam majorem habiles eſſe poſſunt, ut refert *Keck. in curſ. Phil. diſp. 31. q. 20.*

46. Forma nummi conſiſtit in valore publico, qui dependet à pondere, charactere, & pretio. *Bornit. libr. 1. de nummis. c. 7. Schönborn. l. 4. Pol. c. 30.*

47. Quod ſi moneta ſecundùm prædicta juſta & legitima ſit, ne Principi quidem ſummo licet eam vertere & pervertere. *Tholozan. l. 9. c. 1. nu. 31.* reprobare vel mutare, ſive per augmentum, ſive per diminutionem. Rei enim cùm publicæ, tùm privatæ maximoperè intereſt, ne legitima moneta reprobetur ac mutetur. *Matth. Stephani l. 2. de juriſd. part. 1. cap. 1. memb. 2. n. 176.* cui pulchrè reſpondet *Bodin. l. 6. cap. 3. num. 680.* dicens: Non modò corrumpi moneta, ſed ne mutari quidem poteſt ſine incommodo civitatis: quoniam mutatio pretii ac materiæ numiſmatum, cenſus etiam ac bonorum cujuſque dubitationem affert, quo fit, ut nemo quantum in bonis habeat, conſtituere poſſit. Incerta ſunt pacta conventa, quæ verſantur in ſocietatibus, tutelis, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur, incerti reditus, vectigalia, tributa. *Et paulò pòſt:* Principi non magis licet improba numiſmata cudere, quàm occidere, quàm graſſari: nec à jure gentium, quo quidem auri & argenti pretium conſtitutum eſt, diſcedere, niſi Regis nomen ac ſplendorem amittere, ac falſæ monetæ fabricator, quàm Princeps appellari malit: quod à Dante Poëta Philippo Bello Regi Francorum probro datum eſt: quod numiſmata corrupiſſet, ac dimidiam æris partem argento miſcuiſſet: unde frequentes in tota Gallia tumultus, cujus facti cùm Regem ſerò pœnituiſſet, ac nummos priſtinæ bonitati reſtituiſſet, Ludovicum filium admonuit, ne deinceps adulterari numiſmata pateretur. *Hact. ille.* Imò nihil poſt legem magis in Repub. neceſſarium, quàm nummorum pretium, pondus, & imago. *lib. 1. c. 10. nu. 167.* Quid enim nummus? Menſura eſt commutandarum rerum. *Ariſt. l. 1. Pol. c. 6. & l. 5. Ethic. c. 5.* Primus eſt & ultimus in commutatione, adeoque maximè neceſſarius ad quotidiana commercia, & omnes vitæ uſus. *Plat. 5. de legib.* Quis itaque non intelliget, maxima incommoda & mala ex malevola mutatione monetæ ſequi? Commerciorum inde oriri difficultatem? Quis non cernit, ipſius Principis famam obſcurari & lædi? Prudens ergò Magiſtratus illud in antiqua Rom. Repub. receptum, ad ſuam

trans-

transferat: *Nummos legitimos improbare nulli fax eſto. Numiſma publicè ſignatum nullus vitiato, neq; ad exteros mercandi causâ transferto. Marquard. Freber. in tract. de re monet. fol. 20.*

48. Meritâ ergò laude celebrantur Romani, quod nullius ferè rei tàntam curam & ſolertiam habuerint, quàm rei nummariæ probè ad poſteritatem transferendæ, ut *idem Freber.* notat *lib. 1. d. tract.*

49. Eadem cura & induſtria etiam fuit laudatiſſimorũm noſtrorũ Impp. dum de re monetaria ſanctiſſimas conſtitutiones fecêre. Fridericus III. *Decret. Comit. Francofurt. de Ann. 1442.* Ferdinand. *edict. Auguſt. de Ann. 1559. &c.* Cujus rei causâ etiam monetæ ponderatores & probatores vulgò Wardin / *d. decret. Auguſt. & Spirenſ. de Ann. 1570. & alibi* ordinati, qui exactiſſimam monetæ probandæ rationem haberent. Iisque bini quotannis indicti dies, Calendæ nim. Maii & Octobris, quibus cura monetariæ rei & diligentiſſima luſtratio inſtituenda. *d. Conſt. Ferd.* Talesque Græci appellarunt Zygoſtatas, & per ſingulas civitates eos conſtituerunt, qui ſuâ fide atque induſtriâ neque fallant, neque fallantur, ut loquitur Imp. *in l. 2. C. de ponderat. & auri illatione.*

50. Sed quid leges, inquit *Kirchner. d. l.* has conſtitutiones quoque referens, ſine moribus vanæ proficiunt? *Horat. l. 3. Od. 2.* Abuſus hujus rei longè maximus: nemo tamen huc uſque comminationis toties repetitæ effectum vidit.

51. Quò itaque major rei nummariæ eſt neceſſitas, eò magis nummorum depravationi proſpiciendum: cùm ea res incredibile afferat univerſis ac ſingulis detrimentum. *Bodin. d. nu. 380.*

52. Falſarii & adulteratores monetæ graviſſimis pœnis coërcendi, ut & illi, qui deſcalpendo, rodendo, vel in orbem attondendo numiſma publicè ſignatum violant. *Keckꝛr. d. fol. 331.*

53. De jure civili, *l. 2. C. de falſ. monet. & jure noviſſimo,* in der peinlichen Halsgerichtsordnung. *art. 120.* falſam mo-

 netam

netam cudentes criminis læſæ majeſtatis fiunt rei, ideoque ignis ſupplicio addicuntur, bonis omnibus confiſcatis.

54. Altera commendatio boni Principis erat circa curam viarum publicarum, ſeu tutum iter. Opera ergò danda eſt Principibus, ut tota regio, non modò in conſularibus viis, verùm etiam in omnibus ſemitis ac locis tuta, pacata, & libera conſervetur. *Kirch. d. diſp. addit. 1. ad lit. b.* Et Ulpianus *in l. 13. ff. de offic. præſid.* ita reſcribit: Congruit bono & gravi præſidi curare, ut pacata atque quieta provincia ſit, quam regit, quod non difficilè obtinebit, ſi ſolliciè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. Nam & Sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet; & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertere: receptoresque eorum coërcere, ſine quibus latro diutiùs latere non poteſt.

55. Tertia laus & nota erat à fide promiſſi. Rectè ſiquidem Alphonſus Rex Hiſpaniarum dicere ſolebat: Tantum valere debet apud Regem verbum ſimplex, quantum privatorum hominum jusjurandum. *Panormitan. l. 1. de dict. & fact. Alphonſi apobt. 58. & Iſocrates in Orat. ad Nicoclem de Reg. inſtitutis:* Perpetuò, ait, tantùm ſtudium & reverentiam præ te fer, ut tuis verbis major ſit fides, quàm aliorum juramentis. Animo ſiquidem obſtringi, non aliâ quâvis arte poteſt. *Æn. Sylv. lib. 1. com. c. 58.* Hæc de notis, à quibus bonum Principem Landgravius commendavit.

56. *Greg. Tholoz. lib. 10. de Repub. c. 1. n. 3.* officium Regis in hoc etiam conſiſtere arbitratur, ut ſit amator & conſervator pacis. *& Æn. Sylv. de ort. & auct. Imp. Rom. c. 3.* Princeps pacem ſuis ſubditis, & ſibi tutum tranquillumque regnum parabit. Hinc *Seneca Tragœdus* encomium optimi Imperatoris his voluit comprehendere verſibus:

Conſulere Patriæ, parcere civibus,
Ferâ cæde abſtinere, mores regere,
Reddere orbi quietem, ſeculo pacem ſuo,
Hæc ſumma virtus, petitur hâc cœlum viâ.

Sene-

Sereniſſimus etiam Rex Britanniæ Jacobus VI. in *δώρῳ βασιλικῷ ex 6. Æneid.* filio ſuo Henrico commendat verſus illos Virgilii :

Tu regere Imperio populos Romane memento,
Hæ tibi erunt artes, paciq; imponere nomen,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

57. Quare Princeps pacem & concordiam inter ſubditos ſuos fovebit, litium & diſcordiarum ſemina, ſtirpes & fibras omnes tollet, dirimet, & extirpabit ab ipſis radicibus. Summoperè enim civitati expedit, ut una ſit omnium civium in amicitia conſpirantium fides ac voluntas. Sic ſuadet *Ariſtot. l. 5. Polit. c. 4.* diſcordias potentium & inferiorum Magiſtratuum tollendas eſſe, quia trahant ad ſe, & in partes univerſum populum. Valeat ergò *Machiavell. in diſcurſ. c. 4.* diſſidia & factiones civitati commodas eſſe exiſtimans, adeoque alendas, refutatus *à Keckerm. in curſ. diſp. 31. quæſt. 5. &c.*

58. Ad publicum munus Magiſtratus pertinet quoque procuratio mediorum ad vitæ civilis commoditates neceſſariorum, ut eſt inſpectio & cura commerciorum regni, quæ verſatur circa eorundem res, perſonas, locum, tempus. *Altbuſ. in Polit. c. 27.*

59. Rerum importatio debet eſſe facilis & expedita, ſcilicet illarum rerum, quæ ad quotidianum victum & vitam ſunt neceſſariæ: Contra impedienda importatio rerum, quarum uſus, imitatio, vel tractatio eſt noxia, & bonos civium mores corrumpit, quales ſunt pigmentariorum, cupedinariorum. *Idem eod. c.*

60. Quò autem merces undique apportentur, mercatus ſeu nundinæ frequentes & ſolennes inſtitui debent: & ſimul præcavendum, ne neceſſaria ejuſmodi à mercatoribus anticipentur, ne cariora fiant.

61. Nundinæ à nono die Romæ ſunt dictæ, quaſi novendinæ, quod eæ celebratæ fuerint. *Macrob. 1. Saturnal. 16. Columell. 1. de re ruſt.*

62. Uſus nundinarum non utendo 10. annis amittitur. *l. 1. ff. de nund. Geil. 2. obſ. 60. nu. 1.* De jure verò Saxonum annis demum 31. Per non uſum. *Schonb. l. 4. Polit. c. 31.* Hæc circa res.

63. Perſonæ commercia exercentes tales ſint, quibus jure permiſſum eſt negotiari, non proditores vel exploratores regni, & corruptores civium. *d. l. 4. C. de commerc.*

64. Locus erit aptus, idoneus, & tutus. Quare, juxta verbum Landgravii Magiſtratus ad ejus acceſſum præbeat ſecura & libera itinera, portus, &c.

65. Tempus relinquitur in arbitrio negotiantium. Nundinarum tamen ſeu mercatuum tempus commodiùs videtur, quod in illud anni tempus eſt rejectum, quo ſolet eſſe ſerenum, tranquillum, ſine pluviis, frigore, vel magna nive. *Althuſ. d. c. 27.* quod etiam providendum monet, ne dies cultui divino deſtinatus mercibus illis tribuatur, & negotiis hiſce profanis profanetur. *Nehem. c. 13. à v. 15. uſq; ad 23. Exod. c. 20. v. 8. 9. & 10.*

66. Sine quibus commercia commodè exerceri nequeunt, ſunt menſura, pondera, & ſtatera publica, à Magiſtratu approbata. De his autem præcipit Dominus *Lev. c. 9. v. 36.* ſtatera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, & *Deut. c. 25. v. 13.* Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus. Et hactenus de publico officio Magiſtratus à nobis fuit dictum.

COROL-

COROLLARIA.

I.

An leges olim Impp. circa Eccleſiaſticas cauſas fuerint Eccleſiaſticæ ſanctiones? N.

II.

Minus rectè Pontificii clericos, & Eccleſiæ miniſtros eximunt à juriſdictione ſecularis Magiſtratus. Qua de re D. Ægid. Hunnius tom. 1. diſput. Theol. Marp. 44. th. 66. & ſeqq.

III.

Ut autem hi in exceſſu peccant: ita illi in defectu, qui Miniſtros verbi ſuis privilegiis ſpoliant, eosq́ in Ruſticorum & Bajulorum ordinem redigere conantur. Dn. Beſold. claſſ. 2. diſput. Polit. 1. th. 44.

IV.

Bonorum Eccleſiaſticorum abuſus ad alium pium uſum conferri poteſt.

V. *An*

V.

An graduum diverſitas & ordo inter Miniſtros Dei ſit conſtituenda, vel toleranda? Affirm. cum Dn. D. Mentzero in exegeſ. Auguſt. Confeſſ. ad art. 14. fol. 427. in fin. & fol. 437.

VI.

Ordinis tamen illa ratio nullum in Eccleſia tribuit primatum vel dominium. Beſold. d. diſp. 1. th. 48. *Hoc enim prætextu Romanæ hierarchiæ tyrannis paulatim ita crevit, ut coërceri & tolli, niſi cœleſti & divinà vi, nequeat.* D. Mentzer. fol. 428.

Disp. XII.

DISPUTATIO XII.

DE OFFICIO MAGISTRATUS OECONOMICO.

Reſpondente

JOACHIMO Gottwaldt/
Fridberg. Sileſio.

THESIS I.

IN diſputatione præcedente officium Magiſtratus publicum deſcripſimus: ordo requirit, ut diſpiciamus de privato, quo in ſtatu Oeconomico conſtitutorum ſubditorum ſalutem procurare tenetur.

2. Curam verò & regimen illud circa horum nativitatem & ſanitatem conſtituit *Keckerman. lib. 1. Syſt. Polit. c. 8.* nec non educationem, *c. 9. Dn. Chriſtian. Matthiæ Colleg. 2. Polit. diſp. 5. theſ. 5.* circa nativitatem, ſanitatem & annonam ſeu victum.

3. Curam nativitatis dicunt, ut ſubditi legitimè naſcantur; id quod tum fit, quando legitimum contrahitur matrimonium.

4. Quod ſanitatis ſubditorum Princeps curam gerere debeat, monet *Ariſt. in Polit.* dicens: Quemadmodum boni patrisfamiliâs munus eſt, ut ſuis de ſanitate proſpiciat liberis: ſic etiam boni Principis eſt opus, ut de ſubditorum ſuorum valetudine ſollicitus ſit.

5. Sanitatis cauſę conſtituuntur tùm principales, tùm minus principales.

6. Principales ſunt quatuor: 1. ſalubritas aëris. 2. ſalubritas aquæ. 3. cibi. 4. & medicamentorum.

7. De aëris & aquæ ſalubritate diximus ſupra diſput. 4.

8. De ſalubritate ciborum hunc Canonem proponit *Keckerm.d.c.8.fol.181. in fin. & in curſ. Philoſ. diſp.30.q.7.* Provideat Magiſtratus, ne carnes aut piſces corrupti, contagioſi, & putridi publicè vendantur, ne fructus immaturi ſub initium autumni immaturiùs uſurpentur: ne denique cupediarii cupediis ſuis ac deliciis nimis valetudini ſubditorum noceant. Utque flumina limpidiora & ſalubriores aquæ in urbem deriventur, ut tubi & fiſtulæ quàm puriſſimæ ſerventur, ne cibi aliàs ſalubres cocti, aquis inſalubribus corrumpantur, morboſq; cauſentur.

9. Circa medicamenta Principem operam dare jubet, ut ea probata in Rempublicam importentur, atque eo fine certis ac ſtatis temporibus curet luſtrari Pharmacopolarum officinas.

10. Minus principales ſeu miniſteriales cauſæ ſunt Medici, & proviſores ſanitatis, quos Princeps, cum hiſce curis omnibus ipſe ſolus non ſufficiat, ceu miniſtros conſtituit in ordinandiis iis, quæ ad publicam ſanitatem pertinent.

11. Hi nullo non tempore ſunt conſtituendi, iiſque opera impenſius danda, ut quod monet *Franciſc. Ripa in tract. de Peſt.* Plateæ, atque adeò omnia civitatis loca tàm publica, quàm privata ſint mundiſſima, nec putridis hinc inde repleta, aut inſectis ſcatentia: vel denique cadaverum mortuorum aut ſepulchrorum apertorum fœtoribus plena, ne malis iſtis odoribus aëris oriatur infectio, & ſic peſtis ſequatur, *Keck.d.q. 7.* idem cavetur *in l.2. §.29. ff. ne quid in loc. public. & in l.unic. ff. de via publica*, in qua ſtercoribus, odoribus peſtilentibus, & morticiniis prohibendis olim apud Romanos conſtituti ædiles. Quod etiam teſtatur *Franciſc. Patrit. l.3.* dicens: Fuit ædilium cura apud Romanos, ut viæ publicæ adæquarentur, ſternerenturque, ne quid in illis ædificaretur, quod uſui ornamentoque obeſſet: Aquarum ductus, publicæque cloacæ ut purga-

purgarentur, ponteſque reficerentur, eis demandatum eſt: venditiones, emptionesque ut fierent ſine dolo malo curabant, redhibitionemque præſtabant morboſi pecoris, morboſique aut inſani ſervi venatici.

12. Apud Venetos certi ex Magiſtratu conſtituuntur, quorum munus eſt, providere, ne quid putridum & fœtidum, aut quod incolumitati civitatis officere poſſit, vendatur, *Quirinus Piſo in lib. de Roman. & Venet. Magiſtratuum comparat.*

13. Inprimis tamen tempore peſtis, aut aliorum morborum contagioſorum ſeu epidemicorum ejuſmodi proviſores ordinandi, ut diligentiſſimè provideant, ne ex locis infectis contagio attrahatur, & in civitatem ſerpat: aut ſi hoc factum fuerit, operam dent, ne longiùs virus vagetur. Ubi *ex Contareno lib. 4. de Repub. Venet.* refert *Chriſt. Matth. d. diſp. 5. theſ. 18.* quod, poſtquam illis Magiſtratibus hęc cura in Repub. Venet. demandata fuerit, numine divino favente, nulla penè peſtilentia graſſata fuerit.

14. De officio Magiſtratus tempore peſtis videatur *Colerus in Oeconom. lib. 9. cap. 6. Keſler. de officio Juridico-pol. l. 2. cap. 21.*

15. Tertia cura Magiſtratus conſtituebatur circa Annonam, ſeu rem frumentariam, cujus curam diligentiſſimam habebit. Neque enim ſaturo populo, ut dixit olim Aurelianus, quicquam poteſt eſſe lætius. Quid verò, ut ſcribit *Keckerman. d. diſp. 30. q. 8.* periculoſius famelico populo, quem non arma, non Magiſtratus, non jura divina aut humana, non leges, non pudor aliquis coërcere valet, juxta illud Lucani:

Neſcit plebs jejuna timere.

16. Conſtituenda itaque publica granaria, & frumentorum copia, tempore uberrimorum annorum illic reponenda, quæ neceſſitatis uſui reſervetur, & difficilimis temporibus ſuccurratur ſubditis, quibus eo beneficio ſe gratiſſimum Princeps reddet, *Petrarch. de Republ. optimè adminiſtranda.*

17. Sic Joſephus frugum abundantiam in ſingulis

Cc 2 urbibus

urbibus condidit, *Geneſ.41.v.47.& 48.* ſic Roboamus, filius Salomonis in civitatibus munitis ſui Regni horrea ciborum, ſeu, ut D. Hieronymus reddidit, frumentorum, hoc eſt, olei & vini, *2.Paralip.11.v.11.* ſic Ezechias juſſit parari horrea in domo Domini, quò primitiarum reliquiæ in futuram neceſſitatem reconderentur, *2.Paralip.31.v.11.& 12.* Sic Romanis ſumma annonæ cura ſemper fuit. Ex Africa & Ægypto, aliiſque Provinciis Romam vehebatur frumentum ad alimenta civium: quam vectionem tranſmarinam vocat *Tacit.lib.13.* Julius Cæſar bellis Germanicis intentus, ne populus fame laboraret, Romam eſt reverſus, & frumentum in annonæ difficultatibus leviſſimo pretio, interdum nullo, viritim populo diſtribuit, *Cagnol.de rect. princ. inſt c.78.* Marcus Antoninus Philoſophus Italicis civitatibus famis tempore frumentum ex urbe donavit, omnique frumentariæ rei conſuluit, & graviter providit, *Jul.Capitolin. in ejus vita.*

18. In hunc uſum conſtituendi præfecti annonæ, horreorum publicorum inſpectores & viſitatores, iique ſapientes & induſtrii, *Gen.41.v.33.* qui frumentum colligant & condant, atque ab omni carie & corruptione illæſum conſervent, quod fiet, ſi ſuo tempore vetus eruatur & vendatur, inque ejus locum novum recondatur, *Kecker.in curſ.Phil.diſp 30.q.8.* ſcilicet juxta præceptum Imperatorum Valentiniani & Valentis *in l. 2.C.de conditis in publicis horreis*, ubi ita reſcribunt Authemio præſidi: Cùm ad quamlibet urbem manſionemve acceſſeris, protinus horrea inſpicere te volumus, ut devotiſſimis militibus deputatæ & incorruptæ ſpecies præbeantur. & exemplum Romanorum, apud quos præfectus annonæ erat conſtitutus, ad cujus officium pertinebat, ut annona urbi præpararetur, & ubivis panis copia redundaret, pondereque juſto venderetur. *Novell.88.Vult l.1.Juriſp.Rom.c.12.* Pharaonis Regis Ægyptiaci, qui Joſephum talem præfectum conſtituit, *Gen.41.v.40. & ſeq.* Itemque Nehemiæ, qui ſimiliter fideles ſuper horrea conſtituit, *Nehem.c.13.v.13.*

19. Antiquitus qui frumento publicè emendo erant præpoſiti, *Sitonas* dixêre: & Sitoniæ munus, id eſt, frumentationis, *Budæus in l.numerum.§.1.ff.de mun. & hon. l.2.ff.de vacat.&*

rat.& excuſ.mun. Apud Athenienſes dicebantur *Fori curatores:* apud Venetos hodiè *Cereales*, item *Proviſores*, de quorum officio videatur *Keckerman. d. c. 8. fol. 186. & in curſ. Philoſoph. diſput. 30. q. 8.*

20. Annonæ quoque flagellandæ anſa omnis eſt præcidenda, quod fiet, ſi pœna ſeveriſſima ſtatuatur in annonæ flagellatores, qui faciunt, ut annona (cujus appellatione frumentum, panis, caro, acetum, vinum, lardum, oleum, legumina, & ſi qua ſunt alia, *Althuſ. in Pol. c. 27.*) gravior & carior fiat ad privatam utilitatem, *l. 2. ff. ad L. Jul. de annon.* Dardanarios, annonam attemperantes, vexantes, onerantes, *Decian. in crim. tract. lib. 7. c. 22.* quorum avaritiæ obviam itum eſt tàm mandatis quàm conſtitutionibus, *l. 6. ff. de extraord. crim.* Item in uſurarios, propolas & ſimiles, quib. *Althuſ. d. c. 27.* annumerat laniones, qui carnem inflant, ut fruſta graviora, majora & elegantiora appareant, idq́; ea de cauſa, ut cariùs diſtrahant & vendant, piſtores, coctores, caupones, & ſimiles negotiatores, qui clam inter ſe, multis collatis ad hoc conſiliis, procurant, & ſtatuunt aliquid, quod ad proprium commodum ſpectare videtur, in detrimentum & perniciem Reipub. eorumq́; variis technis monopolium redolentes certas leges conſtituendas monet.

21. Non ſolùm autem de ſubditorum proſperâ adhuc valetudine utentium ſuſtentatione princeps erit ſolicitus, ſed vel maximè miſerabilium perſonarum, quæ nihil acquirere, & certum vitæ genus ſectari non poſſunt: & de certis reditibus providebit, quibus illæ ordinariè poſſint ſuſtentari, idq́ue non tantùm mandato divino: ſed & propter decus Reipubl. Neque enim major eſt nota Reipub. malè conſtitutæ, quàm ſi multæ miſerabiles perſonæ in ea oberrent, & ſubſidia vitæ non inveniant: quæ res etiam maximam confuſionem in Repub. parit, *Keck. in Syſt. Polit. c. 14. fol. 254.*

22. Prudenti ergo conſilio in benè conſtitutis Rebuſpublicis miſerabilium perſonarum receptacula & Collegia fundata ſunt, de quibus *lib. 1. Cod. tit. 2. de ſacroſanct. Eccleſ. & tit. 3. de Epiſcop. & Cleric. Vult. lib. 1 Iuriſp. Rom. c. 11. Schonb. lib. 3. Pol. c. 18.* Scilicet ORPHANOTROPHIA, quæ educant minores,

 parentibus

parentibus & ſubſtantiis deſtitutos, *l. 32. C. de Epiſcop. & Cler. l. 17. C. de ſacroſanct. Eccleſ.* Brephotrophia, quæ alumnos habent infantes, præſertim expoſititios, *l. 19. & l. 22. eod. tit.* Prochotrophia, in quibus aluntur mendici & pauperes, *d. l. 19. & 22.* Xenodochia, quæ advenas, ægrotos, inopes, debiles, invalidos, qui ſibiipſis per laborem de alimentis proſpicere non poſſunt, hoſpitio excipiunt. *d. l. 22.* Et talia Xenodochia ſive Hoſpitalia laudatiſſimè inſtituta ſunt apud Amſterdamenſes & Argentinenſes. Noſocomia, quæ valetudinarios; Gerontocomia, in quæ recipiuntur ſenes, *l. 16. & l. C. de ſacroſanct. Eccleſ.*

23. Hoc nomine *Bodin. lib. 3. de Republ. cap. 8. nu. 361.* commendat Pariſienſes, qui ſanos aut ægrotos humaniter alunt & curant: parentibus ac bonis orbatos pueros ac puellas partim literis, partim mechanicis artibus quatuor diſtinctis Collegiis præter Noſocomium maximum maximiſq; opibus auctum ſtudioſiſſimè erudiunt.

24. Morbis quoque contagioſis conſtituenda eſſe Noſodochia, vel Leproſaria, tradit *Kirchner. de Republ. diſp. 21. th. 1. ad lit. c.* & talia fuiſſe conſtituta, ſacra pagina docet.

25. Sed & mentis impotes & inſanos Magiſtratus in Republ. oberrare non ſinat: ſed certis ad eam rem deſtinatis domiciliis ſive ergaſtulis includi, *Keck. c. 14. in fin.*

26. Hæ perſonæ variis utuntur privilegiis, iiſque quibus Eccleſia, de quibus paſſim *ſub d. tit. C. de Epiſcop. & Cleric.*

27. Illi verò, qui ad curanda debilium corpora deputantur, parabolani dici ſolent, *l. 18. eod. tit.* quod fortè inde confictum, ſcribit *Schönb. d. c. 18.* quod ſeſe audacter periculis omnibus objicerent, neque ullius, quantumvis peſtiferi morbi contagionem timerent. Nam παράβολα, inquit, dicuntur à Græcis, quæ ſummis periculis objecta ſunt.

28. In hunc pium uſum Magiſtratus provideat de certis reditibus, quibus perſonæ miſerabiles ordinariè poſſint ſuſtentari, *Keckerm. d. c. 14 fol. 214.* Ita Julianus Auguſtus Paganos

ganos Pontifices Chriſtianorum exemplo ad Noſocomia & Xenodochia extruenda, ac publicis privatisque opibus augenda cohortatur, *Nicephorus Call:ſtus, & Ariſtot. l. 6. Polit. c. 5.* monet, ut divites, qui facultatem faciendæ mercaturæ habent, egentibus ad neceſſitatem vitæ ſuggerant, & libenter largiantur, unde piè Ludovicus VIII. Rex Franciæ, qui multa pupillis ac tenuibus viduis teſtamento legavit, *Bodin. l. 6. c. 2. num. 591. fol. 1002.*

29. Ut autem ſuſtentationis habenda eſt ratio univerſim: ita & ſingulis, ſuus ut dimenſus ſit labor, curandum eſt, *Dn. Beſold. claſ. 1. diſp. Polit. 4. th. 41.* Nam grave eſt in Repub. vel unum otioſum alere, *Xenoph. 2. Cyropæd. & Kecker. l. 1 Syſt. Pol. c. 10. f. 209.* Magiſtratus, inquit, ſedulitatem inprimis inter ſubditos ſuos conſervet, & hominem otioſum nullum in Repub. ferat: talem nempè qui laborare adhuc poſſit vel debeat, ut qui ætate eſt integrâ, & valetudine bonâ, idque ſuadent rationes & cauſæ graviſſimæ.

30. Nam 1. otium eſt *ἀταξία* quædam contra legem & voluntatem Dei, præcipientis, ut homines in ſudore vultus ſui panem quærant, *Gen. 3. v. 19. & apud Jobum c. 5. v. 7.* dicitur: Quod homo ad laborem naſcatur, ſicut avis ad volandum.

31. Et quid otium? Pulvinar & balneum diaboli eſt, ex voce *D. Auguſtini*, & ex ſententia *D. Bernhardi cap. 5. de vita Chriſtiana*, cogitationum & tentationum malarum eſt incentivum. Homines ſiquidem nihil agendo, malè agere diſcunt. Quò ſpectat etiam dictum *Gerſonis in opuſculo de remediis contra puſillanimitatem*: Cor otioſi hominis eſt inſtar molendini, quod cum non habet ad molendum bonum frumentum; quia in continuo motu eſt, molit & conſumit ſe ipſum. Hinc, dum iſti homines fugiunt labores, quibus honeſtè, ſi vellent, victum ſibi comparare poſſent, plerumq; ſunt improbi, leves, fraudulenti & petulantes. Sed & pernitioſi ſunt ſibi & toti Reip. dum tẽpus otiando & vagando miſerè perdũt: & inſtar fucorum circa alvearia volitantium, aliorum domos perreptant, ſtipemq; ab aliis importunè & impudenter extorquent, *Timpl. l. 1. Pol. c. 5. q. 16.* prꝫter experientiã, idẽ hiſce vei bis

teſtatum

teſtatum facit, *Bodin. l. 5. c. 2. num* 557. Nihil in Republ. tàm pernicioſum, quàm otioſorum ac tenuium hominum huc illuc errantium multitudo: & qui privatorum bona diripiunt, & in everſione Reip. ſpem omnem fortunarum ſuarum poſuerunt. Unde & *Lipſ. lib. 4. Polit. c. 11.* ſcribit: quod otioſorum hominum multitudo facilè mutationem Reipubl. cauſari poſſit.

32. Quis igitur civitatis ſentinas & catharmata, ut à *Schönb. l. 3. c. 19.* vocantur, è Repub. non tollenda velit? Imò non modò tolli, ſed etiam omnes otioſos occidi ſanxit gravis illa lex Draconis ſanguine ſcripta. Amaſis Rex Ægypti legem tulit, ut ſinguli quotannis apud Νομάρχην, id eſt, cujuſque præfecturæ præſidem profiterentur, unde viverent: qui autem hoc non faceret, aut certum genus vitæ præſidi approbare non poſſet, extremo ſupplicio afficeretur. *Herodot. in Euterpe. Alexand. ab Alex. l. 3. c. 1. Diodor. Sicul. l. 1. Ælian. lib. 4.* Hanc legem Solon ex Ægypto mutuatus Athenienſibus promulgavit, ut teſtatur *Camerar. d. cent. 1. hor. ſucciſiv. c. 15.* qui dum in ſuis legibus inertem turpemque ignaviam ſeveriſſimè in hunc modum culpavit: Qui deſidiam ſectatus eſt, is accuſantibus eſto obnoxius. Mitiùs tamen Areopagitæ Athenarum judices rationem vitæ à quovis exigebant, ita ut exponere cogeretur, unde & quomodo ſuos alere poſſet, *Athenæ. l. 9.* Refert *Thomas Morus in Utopia l. 2. tit. de artificijs*, quod in ea Repub. nemo civium non ſit deditus artificio, quodque nulla ſit uſquam otiandi licentia, nullus inertiæ prætextus, nulla taberna vinaria, nulla cereviſiaria, nuſquam lupanar, nulla corruptelæ occaſio, nullæ latebræ, conciliabulum nullum, ſed omnium præſentes oculi neceſſitatem aut conſueti laboris, aut otii non inhoneſti faciant. Hunc populi morem, addit, neceſſe eſt omnium rerum copiam ſequi, atque ea cùm ad omnes æquabiliter perveniat, fit, ut inops eſſe nemo aut mendicus poſſit. Econtra verò mater egeſtatis inertia eſt, ſecundùm tritum illud. Nec Chinenſes ullum ferunt vagabundum & otioſum. *Boter. part. 1. lib. 2. Coſmograph. in deſcription. regni Chinenſ.*

33. Olim Romæ cenſoribus id negotium datum fuit, quis

quis otioſus in urbe oberraret. E re igitur civitatis & ſalutis publicæ maximè foret, ſi prædictarum aliarumque laudatiſſimarum Rerumpublicarum exempla hodiè adhuc in imitationem traherentur, moreque Romanorum crearentur, qui in otioſos homines animadverterent, eoſque examinarent: exinde enim multa bona redundarent in Rempub. Nam compertum eſt, hâc inquiſitione ſæpiſſimè detecta gravia ſcelera, *vide Camerar. d. c. 15.*

34. Sed & remedium majus eſſe nullum poteſt, alibi ſcribit *Bodin.* quàm hujuſmodi homines, qui propter deſidiam in otio vivunt, & in ſua turpi inertia voluptatibus diffluunt, è civitate ad bellum emittere, & veluti pravis ac corruptis humoribus plenum corpus evacuare.

35. Nec improbandum, ſed omnibus meritò Rebuſpublicis imitandum judicatur Amſterdamenſium in coërcendis otioſis nepotuliſque conſilium, quo laborantes occulto illo malo, quod pigritiam vocant, aut alioqui degeneres & efferos, includunt in quendam honeſtiorem carcerem, & ergaſtulum, vulgò das Zuchthauß / ibique cogunt aut acanthinum lignum (Braſilianum vulgò appellant) in ſcobem tenuiſſimam tynocneſti comminuere, aut pannos bombaſios contexere, aliaque tractare, prout vel ingenium vel artus cujuſque ac robur ſuadere videntur, uſque dum ad frugem perveniant, *poſt Iſaacium Pontanum in hiſtor. Amſterd. l. 2. c. 11. Matth. Berneg. dodec. 3. in Tacit. q. 2.*

36. Eâdem ergo ratione nec mendici validi in Republ. ferendi, ſed eorum importunitas cohibenda. *Schönb. l. 3. cap. 15.* Nam Deus ipſe per Moyſen edixit, ne mendicus in populo Iſraelitico reperiatur, *Deuter. 5. v. 4.* Et Lex *Platonis* fuit: Nemo in noſtra civitate mendicus eſto: ſi quis tentaverit & miſerabilibus precibus ſtipem victumq; collegerit, eum præfecti è foro, ædiles totâ urbe, agrorum præfecti totâ regione exterminent, *lib. 11. de legib. & l. 8.* ait: Quemadmodum fucus apum, & pituita hominis eſt morbus, ita mendicus peſtis eſt Reipub. ut ubi multi conſpiciuntur mendici, ibi etiam inveniantur fures, latibula quæritantes, crumeniſecæ, ſacrilegi & hujuſmodi ſcelerum artifices. Quàm mira interdum

in iis lateat calliditas & impoſtura, inſigni hiſtoria *ex Damboudio in prax. crimin.* enarrat *Camerarius d. cent. 1. cap. 16.*

37. Similis ferè eſt Conſtitutiò Impp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii, *in l. unic. C. de mendicant. valid.* itemque Caroli Magni ita præcipientis: Mendici per regiones vagari non permittuntur: ſuos pauperes quæque civitas alito: illis, niſi manibus operentur, nullum quicquam dato, &c. Huc etjam ſpectant recentiores Imperii Conſtitutiones, quibus ſancitum & proviſum, ne ſegne futile & inutile, & velut ex rapto vivens, ejuſmodi genus hominum in ſocietate humana feratur, ſed exulare jubeatur. In eam eſt *Reformatio Auguſtana* Von guter Policey / *de Anno 1530. & Anno 1548. Francofurt. de Anno 1577. tit.* Von Bettlern vnd Müſſiggängern. Apud Thuanum extat, & refertur *à Dn. Berneggero d. l.* Conſtitutio Henrici II. Regis Gallorum, de conſilio Franciſci Olivarii, ſummâ prudentiâ viri promulgata in hunc modum: Quia Lutetiani, quò ſe à mendicorum moleſtia liberarent, eos ſponte ſibi indicto tributo alebant, eò fiebat, ut genus hoc hominum inertiæ deditum ex omnibus Regni partibus, quaſi præmio invitati confluerent: igitur Rex edicto mandat decurionibus, ut publicis operib. mendicos validos exerceant: Cæteri qui aut morbo impediantur, aut mutilo corpore ad laborem ſint inhabiles, Ptochotrophiorum opibus ſuſtententur: nullibi in publico ad ſtipem flagitandam permittatur. De cura & ſuſtentatione debilium & ægrotorum apud Pariſienſes teſtimonium etiam *Bodin. lib. 3. de Repub. cap. 8. num. 361.* ſupr. adduximus: Ubi & hoc teſtatur, quòd robuſtos ac valentes operibus publicis urgeant: ſimulque ſuadet, ut ingens ille numerus otioſorum hominum, qui nec bello, nec pace ullis artibus aut diſciplinis implicantur, è civitatibus exterminentur, aut publicis operibus adhibeantur.

38. Pariſienſium exemplum prudenter imitatus eſt Senatus Argentinenſis, cujus decretum publicatum & à ſuggeſtu proclamatum ſcio Anno 1615. quo ignavi & validi mendicantes vel è civitate ejecti, vel ad operas publicas ire

juſſi

juſſi ſunt : Senes verò & debiles in hoſpitalia recepti.

39. Expreſsè autem dictum eſt: validos mendicantes, qui robuſto ſunt corpore, validiſque lacertis, non eſſe ferendos: tales enim ſunt, qui mendicandi victus quaſi artem quandam factitant, & ita ignaviam potiùs, quàm laborem ſectantur. Sic etiam *Baſilius in Pſalm. 14.* adductus *à Camerario cent. 2. cap. 74. fol. 294.* mendicorum vult delectum haberi. Nam qui arte ad fallendum cantilenas mendicitatis edocti, ulcera corporiſque mutilationes quæſtus causâ prætexunt, his non oportet ſuppeditare, aut exiguo dono eorum latratum depellere, ne ad ignaviam & malitiam ſumptus ſuppeditentur, ſed veris & exploratis pauperibus liberaliter largiendo.

40. De illis ſunt verſus *Plauti in Trinummo*:

De mendico malè meretur, qui ei dat quod edat aut bibat.
Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miſeriam.

Alio tamen verſu veteri jubemur illis panem dare, & inſuper pro obſonio pugnum impingere:

Δὸς ἄρτον πτώχῳ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ.

Illud quidem, quia homini petenti negare panem vix hominis eſſe videtur: hoc autem, ut diſcant ab illa fœda parandi victus ratione abſtinere, ut intelligant ſe omnibus bonis meritò odioſos eſſe, *Camerar. d. cap. 16. fol. 94.*

41. In otioſorum, vagabundorum & mendicorum claſſe reſident etiam Zygari, vel Cyngari, vulgò Zigeuner appellantur: de quorum ortu & vitæ genere differit *Camerar. cent. 1. cap. 17.* quòd non ſint oriundi ex Ægypto & Æthiopia, ut quidam volunt, nec etiam ex Aſſyria & Perſia: ſed ſunt, inquit, nihil aliud, quàm manipulus furum, & colluvies otioſorum & fraudulentorum hominum ex variis nationibus, non ita remotis, ſed vicinis collecta, qui extra civitates in agris,

in iis lateat calliditas & impoſtura, inſigni hiſtoria *ex Damboudio in prax. crimin.* enarrat *Camerarius d. cent. 1. cap. 16.*

37. Similis ferè eſt Conſtitutio Impp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſii, *in l.unic. C. de mendicant. valid.* itemque Caroli Magni ita præcipientis: Mendici per regiones vagari non permittuntur: ſuos pauperes quæque civitas alito: illis, niſi manibus operentur, nullum quicquam dato, &c. Huc etjam ſpectant recentiores Imperii Conſtitutiones, quibus ſancitum & proviſum, ne ſegne futile & inutile, & velut ex rapto vivens, ejuſmodi genus hominum in ſocietate humana feratur, ſed exulare jubeatur. In eam eſt *Reformatio Auguſtana* Von guter Policey / *de Anno 1530. & Anno 1548. Francofurt. de Anno 1577. tit.* Von Betlern vnd Müſſiggängern. Apud Thuanum extat, & refertur *à Dn. Berneggero d. l.* Conſtitutio Henrici II. Regis Gallorum, de conſilio Franciſci Olivarii, ſummâ prudentiâ viri promulgata in hunc modum: Quia Lutetiani, quò ſe à mendicorum moleſtia liberarent, eos ſponte ſibi indicto tributo alebant, eò fiebat, ut genus hoc hominum inertiæ deditum ex omnibus Regni partibus, quaſi præmio invitati confluerent: igitur Rex edicto mandat decurionibus, ut publicis operib. mendicos validos exerceant: Cæteri qui aut morbo impediantur, aut mutilo corpore ad laborem ſint inhabiles, Ptochotrophiorum opibus ſuſtententur: nullibi in publico ad ſtipem flagitandam permittatur. De cura & ſuſtentatione debilium & ægrotorum apud Pariſienſes teſtimonium etiam *Bodin. lib. 3. de Repub. cap. 8. num. 361.* ſupr. adduximus: Ubi & hoc teſtatur, quòd robuſtos ac valentes operibus publicis urgeant: ſimulque ſuadet, ut ingens ille numerus otioſorum hominum, qui nec bello, nec pace ullis artibus aut diſciplinis implicantur, è civitatibus exterminentur, aut publicis operibus adhibeantur.

38. Pariſienſium exemplum prudenter imitatus eſt Senatus Argentinenſis, cujus decretum publicatum & à ſuggeſtu proclamatum ſcio Anno 1615. quo ignavi & validi mendicantes vel è civitate ejecti, vel ad operas publicas ire

juſſi

juſſi ſunt : Senes verò & debiles in hoſpitalia recepti.

39. Expreſsè autem dictum eſt: validos mendicantes, qui robuſto ſunt corpore, validiſque lacertis, non eſſe ferendos: tales enim ſunt, qui mendicandi victus quaſi artem quandam factitant, & ita ignaviam potiùs, quàm laborem ſectantur. Sic etiam *Baſilius in Pſalm. 14.* adductus *â Camerario cent. 2. cap. 74. fol. 294.* mendicorum vult delectum haberi. Nam qui arte ad fallendum cantilenas mendicitatis edocti, ulcera corporiſque mutilationes quæſtus causâ prætexunt, his non oportet ſuppeditare, aut exiguo dono eorum latratum depellere, ne ad ignaviam & malitiam ſumptus ſuppeditentur, ſed veris & exploratis pauperibus liberaliter largiendo.

40. De illis ſunt verſus *Plauti in Trinummo:*

De mendico malè meretur, qui ei dat quod edat aut bibat.
Nam & illud quod dat, perdit, & illi producit vitam ad miſeriam.

Alio tamen verſu veteri jubemur illis panem dare, & inſuper pro obſonio pugnum impingere:

Δὸς ἄρτον πτώχῳ καὶ κόνδυλον ὄψον ἐπ' αὐτῷ.

Illud quidem, quia homini petenti negare panem vix hominis eſſe videtur: hoc autem, ut diſcant ab illa fœda parandi victus ratione abſtinere, ut intelligant ſe omnibus bonis meritò odioſos eſſe, *Camerar. d. cap. 16. fol. 94.*

41. In otioſorum, vagabundorum & mendicorum claſſe reſident etiam Zygari, vel Cyngari, vulgò Zigeuner appellantur: de quorum ortu & vitæ genere diſſerit *Camerar. cent. 1. cap. 17.* quòd non ſint oriundi ex Ægypto & Æthiopia, ut quidam volunt, nec etiam ex Aſſyria & Perſia: ſed ſunt, inquit, nihil aliud, quàm manipulus furum, & colluvies otioſorum & fraudulentorum hominum ex variis nationibus, non ita remotis, ſed vicinis collecta, qui extra civitates in agris,

 in triviis,

in triviis,tentoria erigentes latrociniis, furtis, deceptionibus & permutationibus,atque ex Chiromantica divinatione oblectantes homines,iis fraudibus victum mendicant.

42. Primùm Duce Zindelo, eos in Germaniam veniſſe Anno Chriſti 1417.ſcribit *Crantzius lib. 11. Sax.cap.2. ſed Aventinus lib.7.Annal.Bojor.in fin.* tradit ad annum 1439. ut refert idem Camerar.ibid.

43. In hoc genus hominum & erronum futile & deteſtabile Maximilianus I. & Albertus IV. Dux Bavariæ prout merebatur,animadvertit *Hieronym Ziegel. in hiſt.illuſt. Germ. viror.cap.93.* Compertum ſanè eſt, eos proditores atque exploratores hoſtium eſſe, ſcilicet Turcarum: ideoque ex publica Imperii Conſtitutione locum in Imperio nuſquam inveniunt, *in d. Reformatione Politica Auguſtana de Anno 1530.& Francof.de Ann 1577.tit.*Von Ziegeunern.

44 Hactenus de cura Magiſtratus circa vitam, ſanitatem,&ſuſtentationem ſubditorum:cui addimus membrum ultimum,circa mortuos & ſepulturam, cujus jus religioſum, *§.9. Inſt de rer. diviſ.*

45. Quæritur itaque: 1. An mortui ſepeliendi, & quidem omnes indiſtinctè? 2. Quo apparatu? 3. Quâ ſolennitate? quo loco?

46. Ad primum membrum quod attinet: corpora humana honorificè ſunt ſepelienda. 1. Propter tres cauſas, aſſignatas *à Chriſtian. Matth. d diſp.5 th.31.* quarum prima eſt Dei mandatum: Terra es, & in terram redibis, *Geneſ.3. v.19.* cum quo dicto convenit illud Euripidis, *apud Cic in Tuſcul.* Reddenda eſt terra terræ. 2. Noſtra erga defunctos dilectio. 3. Noſtra reſuſcitatio. Sanè privationem ſepulchri pœnis annumerat *Eſaias cap.14.v.19.*

47. Quare inhumana judicatur aſſertio Theodori Philoſophi dicentis: Nihil intereſſe,ſupra terram,an infra terram putreſcat. *Senec. de tranquill. anim.cap.14. Cicer.in Tuſcul.* Itemque Diogenes inhumatum ſe abjici juſſit baculo tantùm appoſito. *Stobæ.ſerm. 121.* Siquidem inſignium virorum ſepulchrum eſt univerſa terra, ut dixit *Thucyd.l.2.*

48. Barbaris hoc in more fuit poſitum, ut ſepulturam ſuſque

ſuſque deque habuerint. Sic enim Albani nefas putabant curam mortuorum agere, *Caſſane. p. 2 glor. mund. conſ. 5.* Colchi defunctos ſuos de arbore ſuſpenderunt, *Apollon. lib. 3. Argon. hiſt. Nicolaus de moribus variis gentium* Idem fertur de Parthis, Bactrianis, & Caſpiis, *Bonfin. lib. 1 rer Vngar. dec. ad 1.* Hircani canibus objecerunt. *Cæl. Rhodigin. lib. 9. lect. antiquit. c. 47* Perſæ avibus & canibus, *Herodot. l. 1.* Maſſagetæ & Berbitæ parentes, propinquos, cognatosque, ubi ad multam ſenectutem veniſſent, & aliquo caſu mors eſſet viſa appropinquare, mactatos ante magnifico apparatu devorarunt, hâc ratione allatâ: quod peſſima eſſet æſtimanda hominum conditio, à vermibus devorari, *Herodot. L. 1, Hieron. contra Jovin. cap. 36.* Indę ſuos cremabant. Et cum more patrio complures uxores eidem nuptæ eſſent, mortuo marito, in certamen judiciumque veniunt, quam ex iis maximè dilexerit: victrix gaudio exultans, deductaque à neceſſariis lætum præferens vultum, conjugis ſe flammis ſuperjacet, & cum eo tanquam feliciſſima crematur: ſuperatæ cum triſtitia & mœrore in vita remanent, ut his verbis memorat *Valer. Max. lib. 2. c. 6 nu. 14.* Cremabant itidem Romani, quod tamen veteris inſtituti non fuiſſe, teſtatur *Plin. lib. 7. hiſt. nat. cap. 54.* Sic Claudius Tiberius Nero Romæ publico funere crematus eſt, *Cuſpin. in ejus vit.* Lotophagi & Ichthyophagi in mare projiciebant, *Alexand. ab Alex lib. 3 genial. dier. cap. 2.* Hyberborei verò ſenes in mare proſiliebant *Plin lib. 4 c 12.*

49. Cùm igitur pium ſit mortuos ſepelire, ut docet etiam *Camerar. cent. 3 medit. cap. 99.* hinc rectè conſtitutum, ne ob debitum ſepultura impediatur ſub pœna amiſſionis debiti, *l. 6. C. de ſepulcb. violat. l. 3. §. 4 ff. eod. l. 38. ff. de relig & ſumpt. fun. Geil in tract. de arreſt. c. 11. nu. 28.* Quamvis Ægyptiis fuerit permiſſum, cadavera dare pignori, *Herodot. lib. 2.*

50. Eccleſiaſtica tamen cenſura quibuſdam perſonis denegata eſt jure Canonico, ut ſceleratis, uſurariis manifeſtis, furibus & latronibus in flagranti crimine occiſis, Judæis, excommunicatis, & iis, qui ſibi ipſi violentas manus inferunt, de quibus *Schönb. lib. 4. cap 5.*

51. Apparatus erit moderatus: moderati ſumptus & expenſæ ſepulchrales. Nam Euripides dicebat, mentes hominum inſanire, cùm ſumptus inutiles pro mortuis profundunt. Et *Ulpian. in l.14.§.5.ff. de relig. & ſumpt. fun.* ſcribit: Non autem oportet ornamenta cum corporibus condi: nec quid aliud hujuſmodi, quod homines ſimpliciores faciunt. Culpæ genus eſt, inutiliter in abditis relinquere mortuorum, unde ſe vita poteſt ſuſtentare viventium, *Schönb. d. c. 5. vid. Dn. Gerhard. decad. 8. quæſt. Polit. 9.*

52. Solennitatibus quidam annumerant, nęnias, pulſum campanarum. *Chytræ.* luminaria, &c. ſed tamen ritum nolarum ſeu campanarum in multis locis eſſe ſublatum, ut apud Genevates, in Alſatia, in Gallia, aliisque multis locis, refert *Waremund. ab Erenberg. lib. 2. de fœd. c. 1. n. 103.*

53. Denique de loco ſepulturæ eſt diſpiciendum, ubi quęritur: an in civitate, vel extra eam ſepulturę & monumenta mortuorum ſint conſtituenda? Quod extra civitatem jubet conſtitutio D. Adriani. Hic enim pœnam 40. aureorum in eos ſtatuit, qui in civitate ſepeliunt, quam fiſco inferri juſſit, & in Magiſtratus eadem, qui paſſi ſunt, & locum publicari præcepit, & corpus transferri. *l. 3. §. 5. ff. de ſepulch. violat. & in l. 12. C. de religioſ. & ſumpt. fun.* Ita reſcribunt Impp. Dioclet. & Maximian. Mortuorum reliquias, ne ſanctum municipiorum jus polluatur, intra civitatem condi, jampridem vetitum eſt. Lex quoque XII. Tabb. fuit: Mortuum hominem in urbe ne ſepelito. Ratio autem aſſignatur, *in d. l. 12. C. de relig. &c.* ne municipiorum jus polluatur, eamque in medium adducit, *Franciſc. Ripa in tract. de peſt. c. 9.* dicens: Cùm ad removendum fœtorem ex cadaveribus provenientem à majoribus noſtris inventa ſunt ſepulchra, non defunctorum, ſed viventium gratiâ inſtituta. Sed in Levitico Deus ipſe dicit, eum, qui tangit cadaver, immundum eſſe, & locum iſtum pollui, in quo cadavera ſepeliuntur.

54. Conſtitutioni & rationi accedunt exempla, tàm in Veteri, quàm in Novo Teſtamento, *Geneſ. cap. 25. v. 19. cap. 35. v. 19. c. 49. v. 30. 31. Luc. 7. v. 12.*

55. Roma-

55. Romanos quoque ſepulturas extra urbem habuiſſe, teſtis eſt *M. Tull. Cic. l. 4. famil epiſt.*

56. Verùm creſcente ſuperſtitione, ſub Gregorio Magno cœmiteria ſacrificulorum lucri gratiâ intra urbes translata ſunt, ut eò faciliùs ſacra & quæſtum facerent, *vid. Waremund. ab Erenb d. c. 1. num. 104. 105. & Keckerm. in curſ. Philoſ. diſput. 30. quæſt. 13.*

Corollaria.

I.

AN Judæi in Rebuſpublicis Chriſtianorum ſint ferendi? Affir. ſi modò ad generalium & ſpecialium quorundam διαταγμάτων *præſcriptum vivere cogantur, de quibus inter alios Doctores, vide* Dn. Gerhard. decad. 9. quæſt. Polit. 1.

2. An ad auditionem verbi divini ſint compellendi? A.

3. An jure civitatis donandi? N.

4. An ad honores Reip. admittendi? N.

5. An Lupanaria permittenda? Neg. Quin meritò damnātur, & Chriſtianorum Principum legibus tolli debent, quod Romæ fecit Theodoſ. Magn. ut tradit Socrates l. 5. c. 18. hiſt. Eccleſ. *& id fieri debere, diſertè præcipit*

cipit lex divina, Deut.23.v.17. Danæ. lib. 2. Ethic. Chriſt. f.221. *col.2. Lupa Romuli & Remi fratrum nutrix erat: at hodiè Lupanar Romano Præſuli non tantùm nutrix, ſed & delicatiſſima eſt filia, inquit* Schönb. l.3. Pol. c. 13. *quem vide per tot. cap. ubi oſtendit, Lupanaria deſpicabilem, ſordidam, & ad omnem vitiorum clivium præcipitanter inſilientem facere civitatem. Quid? Chriſtianorum nomen profitentibus hac in re cautiores & prudentiores ſunt illi, qui omni luce Evangelii, & cognitione verbi divini deſtituuntur: Chinenſes Aſiaticos dico, Tartaris vicinos: illi etenim intra pomœria civitatis nulli prorſus meretrici locũ concedunt, ne diſciplina externa & honeſtas corrumpatur & lædatur, ut refert* Boter. part.1. Coſmograph. lib. 2. in deſcriptione regni Chinenſis, fol. 167.

DISP. XIII.

DISPUTATIO XIII.

DE VIRTUTIBUS ET REQVISITIS PRINCIPIS.

Reſpondente

ADAMO PHILIPPO à Steinaw/ COGNOMINATO Steinrück Eq. Franco.

THESIS I.

HActenus de Magiſtratibus, tàm ſuperioribus, quàm inferioribus, eorumq; officio egimus: Sequitur doctrina jam ſpecialis, de ſuperiorum Magiſtratuum, Principum videlicet, virtutibus & requiſitis.

2. Quæ verò, inquis, in Principe requiruntur dona, quæ virtutes & qualitates? Ubi ſcies, à Politicis virtutes alias exigi morales ſeu Ethicas, alias Oeconomicas, alias Politicas, quæ tamen omnes & ſingulæ magnificentiùs, quàm veriùs proponuntur: ideoque optandæ potiùs ſunt, quàm ſperandæ, exemplo perfecti oratoris, deſcripti *à Cicerone de perfecto orat.* qui talis faciliùs fingitur, quàm oſtenditur & datur.

3. Sic verò præ cæteris *Cicero in orat. pro Rege Dejotaro* ait: Fortem, juſtum, ſeverum, (clementem alii malunt) gravem, magnanimum, largum, beneficum, liberalem dici, hæ ſunt regiæ laudes. *Octavianus Cacheranus in Proœmio deciſionum Senatus Pedemontani*, *n. 3*, ſummatim deſcribens quali-

tates & officium Principis: Omnium illorum, inquit, qui de Principe tractatus conſcripſerunt, dicta huc tendunt, & hunc unum ſcopum reſpiciunt, decere Principem eſſe ſubditorum ſuorum patrem, erga eos mitem, placidum, lenem, providum, æquum, humanum, magnanimumque, liberalem, pecuniæ contemptorem, haud obnoxium affectibus, ſibiipſi imperantem, voluptatibus dominantem, ratione utentem, ingenio perſpicacem, circumſpectum, ſtabilem, conſtantem, & inflexibilem, magna cogitantem, auctoritate præditum, induſtrium, ſuo parentium imperio ſervatorem & fautorem, ad beneficentiam promptum, lentum ad vindictā, ad juſtitiam omninò propenſum, aditu facilem, & alloqui volentibus ſe commodum præbentem, pacis ac tranquillitatis amatorem & conciliatorem, qui bonos defendat, pręmiisque alliciat, malos verò pœnis afficiat. *Sic ille*, qui tamen *n.6.* dicenti: Quis eſt hic, & laudabimus eum? Reſpondet: Beatus ille, qui minus urgetur.

4. Conciſiùs alii, quibus virtutes principales aliæ ſunt animi, aliæ corporis: ſeu ut loquitur *Lipſ. l. 4. Polit. c. 9.* aliæ internæ, aliæ externæ.

5. Internæ ſunt pietas, juſtitia, clementia, humanitas, providentia, prudentia, & ſapientia, quæ duæ virtutes maximè omnium Principis propriæ ſunt. *Ariſt. 4. Polit.* peritia gubernandi & adminiſtrandi Rempub. cùm nihil magis imperantis naturæ adverſetur, quàm rerum gerendarum imperitia, ſenſuum ruditas, & judicii conſiliique defectus *Hippol. de Marſil. conſil. 18. n. 3. Cagnol. in l. 2. n. 3. ff. de reg. jur.* modeſtia, temperantia, frugalitas, fortitudo, eruditio.

6. Externæ poſitæ ſunt in ſermone, puta gravitate, humanitate, & facilitate, in cultu corporis & geſtu, de quibus *Althuſ. in Polit. fol. 281. & ſeq. edit. prior.*

7. Sed quæritur: An virtutes illæ Principis Chriſtiani debeant eſſe veræ & ſolidæ, an verò adumbratæ, fucatæ & ſimulatæ. Sic enim *Lipſ. l. 4. Pol. c. 13.* aſtum & fraudem commendat, ac ſuadet, atque inter Cretes cretizandum eſſe præcipit. Et *Machiavell. lib. 1. de Repub. c. 42. & in tr. de Princ. c. 18.* tradit, repetitq; frequentius, Principem, ut cautiùs decipiat, & ſta-

& ſtatum ſuum meliùs conſervet, timorem ac reverentiam divini Numinis ſimulare debere, quamvis nec Deum amet, nec metuat, modeſtiam ac temperantiam, etiamſi diſſolutus ſit, & intemperans: Clementiam & bonitatem, licet crudelis ſit, & ferus, cæterarumq; omnium virtutum ſpeciem & imaginem quandam oſtentare, cùm illi expedit, ut vitia ſua tegat, & qui non eſt, habeatur. Hinc in Principe requirit, ut ſciat homines verſare, quò eos fraude circumveniat. *& d. c. 18.* tùm vulpis, tùm leonis mores Principi dicit eſſe aſſumendos.

8. Sed hunc fœtum valdè fœtidum, non modò veritas, pietas, & religionis Chriſtianæ decreta, ſed etiam ipſa ratio, & verè Philoſophiæ placita rejiciunt, & pro abortivo ac monſtroſo habent.

9. Rectiùs itaque Socrates *apud Cic. l.2 offic.* hanc viam ad gloriam proximam, & quaſi compendiariam dicebat eſſe, ſi quis ageret, ut qualis haberi vellet, talis eſſet. Quod ſi, ait *Cic.* qui ſimulatione, & inani oſtentatione, & ficto non modò ſermone, ſed etiam vultu ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi decidunt: nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum.

10. Addimus Spiritus S. oracula. Non decent ſtultum verba compoſita, neque Principem labium mentiens. *Proverb. 17. v. 7.* Diligite veritatem & juſtitiam, ait Pſalmiſta. Væ vobis Scribæ & Phariſæi Hypocritæ. *Matth. 23. v. 13.*

11. Et cui ignotum, vitam Principis ſpeculum eſſe, in quo ſe contemplantur ſubditi: Exemplar, ad quod vitam conformant: normam, ſecundùm quam mores dirigunt, ut loquitur *Plin. in Panegyr.* Et Pindarus morem omnium dixit eſſe Regem. Quod ipſum indicat *Claudian. in Panegyr. de quarto conſulatu Honorii:*

——— totus componitur orbis
Regis ad exemplum, nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent, quàm vita Regentis.
Mobile mutatur ſemper cum Principe vulgus.

 12. Hinc

12. Hinc Ageſilaus Rex Spartanorum privatorum erratata æquo animo ferebat, Regum intollerabiliora rebatur: ex illorum enim peccatis pauca: ex horum verò quàm multa malè evenire judicabat. *Plut. in ejus vit.*

13. Sic apud Æthiopes moris fuit, ut quando membrum aliquod corporis quacunq; ex cauſa debilitaretur, domeſtici & amici Regis omnes ſponte ſuâ idem membrum debilitarent. Turpe enim exiſtimabant, Rege claudo, non & omnes claudos amicos eſſe: cùm veræ ſit amicitiæ, ex rebus adverſis amicorum dolere, lætari ſecundis. *Diodor. Sicul.* Alexander M. & Alphonſus Rex Aragonum colla torquebant: hic quidem à natura, ille verò à conſuetudine depravatus: Aulici canes utriuſq; vitium modis omnibus ſtudebant imitari. *Plutarch. in Pyrrho.* Argumenta contraria Machiavelli reſervamus collationi.

14. Hanc quæſtionem excipit illa: An Princeps hoſti vel hæretico datam fidem inviolabilem ſervare teneatur? Negat *idem Machiavel. d. c. 18. & Mejerhoff. in ſpec. prædic.* nec non Nicolaus Abbas Panormitanus, & Ludovicus Roman', qui in Conſtantienſi concilio Sigiſmundo Imperatori ſcrupulum de violanda fide exemerunt, ac Joannem Huſſium, & Hieronymum Pragenſem, contra ſecuritatem publicam & fidem datam Ladislao Regi Bohemiæ, capitis ſupplicio addici voluerunt. Sic quoq; Eccius in conventu Wormatienſi Anno 1519. in Martinum Lutherum eodem jure, iiſdemque pœnis, quibus in Huſſium & Hieronymum, animadverti cupiebat: ſed cum pudore ab omnibus rejectus, & peſſimi judicii judicatus. *Bod. l. 5. de Repub. c. 6. n. 598. & 599.*

15. Sed nos, qui religioni Chriſtianæ nomen dedimus, ab hujuſmodi documentis & conſiliis Reipub. pernicioſiſſimis abhorrere debemus.

16. Nam 1. Nihil tàm naturali æquitati conſentaneum eſt, quàm pacta ſervare, *l. 1. ff. de pact. l. 20. C. de transact.* & grave eſt fidem fallere. *l. 1. ff. de conſtit. pecun. c. noli. 23. q. 1.*

17. Fundamentum totius juſtitiæ eſt fides: id eſt, dictorum conventorumq; conſtantia & veritas. *Cic. lib. 1. offic.*

18. Vox Principis inſtar oraculi eſſe debet. *Bod. l. 1. de Repub.*

Repub. c. 8. n 87. juſti Principis eſt, verbum tenere ſuum, ut ſcriptum eſt: verbum Regis, verbum veritatis. *Æn. Sylv. in Epiſt.* Et hoc eſt, quod Alphonſus Rex Hiſpanorum dicere ſolebat: Tantum valere debet apud Regem verbum ſimplex, quantum privatorum hominum jusjurandum. *Panormitan. libr. 1. de dict. & fact. Alphonſi apophth. 58.* Imò fides rerum promiſſarum etiamſi toto mundo exulet, apud Imperatorem tamen eam conſiſtere oportet, ut dixit Carolus V. Imp. *Guiliel. Zenocar.* qui vel ex eo nomine & laude immortali digniſſimus eſt, quòd Luthero tùm hæreſeos à Leone X. Pontifice damnato, fidem, quam dedit, inviolatam ſervavit: ita ut is ſalvus & incolumis domum redierit. Vid. *Sleid. lib. 3.*

19. Cum hoſtibus juris gentium communio eſt: Ergò etiam conventionum, ac proinde etiam obligationum communio. *Hotoman. illuſtr. quæſt. 7.* violatis ſiquidem hoſtium legatis, jus gentium violari dicitur. *l. fin. ff. de legat. Liv. lib. 15. & lib. 38.*

20. Exempla pœnarum, quibus jurisjurandi & divini nominis violatores Deus conſtrinxit, paſſim ſunt obvia. Illuſtre habemus in S. literis. Gabaonitæ callidè & fraudulenter fœdus impetraverant à Joſua & Principibus Iſraël, ne occiderentur, ut legitur *Joſ. c. 9.* Hoc pactum Saul ex poſteris rupit, & ex illis quoſdam necavit longo etiam pòſt tempore, cujus facto Deus ad iram provocatus fuit contra populum Iſraëliticum, & trium annorum famem immiſit, idque peccatum non potuit expiari, niſi per mortem duorum filiorum, & quinque nepotum Saulis; ideò & ſuſpenſi ſunt, *2. Sam. 21.* Uladislaus Hungar. & Polon. Rex, poſt violatum fœdus & inducias, initas cum Amurathe Turcico, cum triginta millibus periit ad Varnam, quam hiſtoriam latè deſcribunt *Jovius in vita Amuratis II. Bonfin. de reb. Ungar. decad. 3. libr. 6. Alex. Guagnin. tom. 1. rer. Polon. & in Pandect. hiſtor. Turcic. c. 116. 117. 118. Chytra. in Saxon. lib. 30.*

21. Circa juſtitiam (quam in ſecunda claſſe virtutum regiarum collocavimus) quæſtio movetur: An Princeps juſtior, an verò clementior optandus ſit?

22. Pro clementia facit: 1. quòd illa multum poſſit, &

maximè grata ſit. Quod & ipſi Principes animadvertentes, in ſuis titulis primo fermè loco clementiam deſcribunt, & à ſubditis clementes ſalutari volunt. Hinc Imp. Juſtin. *in l. fin. C. de donat. inter vir. & uxor.* Nihil tàm peculiare imperialis majeſtatis eſt, quàm humanitas ſive clementia, per quam ſolam rei ſervatur imitatio. Romæ in Trojani foro marmor repertum fuiſſe ſcribit *Marlor. Topogr. lib. 5. c. 22.* & exinde *Anton. Bembellona part. 2. ſuſcitabuli princ. c. 1. Hyppolit. à Collib. in princ. c. 5.* quod Romanos hos characteres continebat: *Potentiſſima dos in Principe liberalitas atq; clementia.* Hac ex cauſa Aurelianum multi neque inter bonos, neque inter malos Principes ponunt: idcirco, quod ei clementia, Imperatorum dos prima defuit. *Vopiſc. in ejus vit.*

23. Non tamen Princeps nimis remiſsè debet imperare, debetque eſſe alienus à lenitate & clementia nimia, ſtulta, ſimplici, ſtupori ſimili, quæ ſimplicitas flagitiorum omniũ ac ſcelerum quædam ſit alumna. Nimia clementia & delictorum immunitas, *inquit Tholoz. lib. 8. de Rep. c. 4.* addit delinquendi illecebram, & fit noxia, ac inanis clementia. Tali indulgentiâ longè commodior eſt in omni Repub. ſeveritas. *Bod. d. c. 4. n. 205.*

24. A' clementia principali tranſitum facimus ad humanitatem, popularitatem, & affabilitatem, quam *Iſocrates in Parœneſi* vocat τρόπον ὁμιλητικὸν, morum & vitæ condimentum.

25. Quæritur hîc itaque: An Princeps cum ſubditis colloquia ſerere debeat?

26. Eſt ſanè Principis, omnibus faciles ad ſe aditus præbere, omnes leniter ac patienter audire: etiam infimorum querelis & deſideriis aurem præbere benignam: quâ ratione januam ſuam amoris excubiis defendet. *Hyppolit. à Collibus de princ. c. 3. & Auſonius ad Gratianum:* Laudabile eſt, Imperatorem interpellantibus faciles præbere aditus, nec de occupatione cauſari. Tunc confirmas adhuc cunctantes, etiam querimoniis explicatis, ne quid adhuc ſileatur, interrogas. Sanè Alexander Cæſar familiariter ſe erga omnes exhi-

exhibens, efficit, ut amabilis eſſet omnibus, appellareturq́; pius, ſanctus, Reipublicæque utilis. *Cuſpin. in ejus vit.*

27. Principem itaque φιλάνθρωπον, non μισάνθρωπον exoptamus, qui in conſpectu populi, & luce Reipub. negotioſus, non in occulto, non in latebris & clauſtris otioſus verſetur.

28. Cautio tamen Principi eſt adhibenda, ne illâ abutatur familiaritate. Laxa ſiquidem diſciplina & nimia familiaritas facit ingenia luxuriare, nec ſatis decoro in pretio Principem habere. *Arniſæ. l. 2. doctrin. Pol. c. 4.* & Comicus ait: Nimia familiaritas parit contemptum. Viles plerunque, qui nimium civiles. *Lipſ. lib. 2. Pol. c. 16.* Nec non *Livius lib. 35.* continuus aſpectus nimis verendos magnos homines ipsâ ſatietate facit. Hinc utiliter ſuaſit Ulpianus *in l. nec quicquam. ff. de offic. proconſul.* Proconſulem maximam curam adhibere debere, ne ullo modo contemptibilis reddatur, quod itidem in prætore requirit. *l. 1. ff. de poſtulando.* itemque Calliſtratus *in l. 19. ff. de offic. præſid.* Obſervandum eſt jus reddenti, ut in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur: Unde mandatis adjicitur, ne Præſides provinciarum in ultiorem familiaritatem provinciales admittant.

29. Diximus jam, laudabile eſſe; ſi Imperator faciles interpellantibus præbeat aditus: Conſequens jam eſt, ut diſcutiamus hoc: An Princeps partes judicis inter ſubditos obire debeat?

30. Quod ita ſuadere videntur, tùm rationes & exempla Impp. & Regum laudatiſſimorum.

31. Nam Regis officium eſt, facere judicium & juſtitiam, & liberare de manu calumniatorum vi oppreſſos, & peregrino, pupilloque, & viduæ, qui faciliùs opprimuntur à potentibus, præbere auxilium. *cauſ. 23. q. 5. c. 33.* Omnibusq́; tùm Philoſophis, tùm Hiſtoricis inter ſe convenit, juſtitiæ faciendæ causâ olim Reges eſſe creatos. *Ariſtot. lib. 3. Polit. cap. 11.* & ſpeciatim *Herodotus*, de Medis, *Tullius* de Romanis id referunt. Perſarum Regum mos fuit, ut ab uno cubiculariorum ſummo manè ad thorum accedente excitarentur, his verbis: *Surge Rex, & negotia cura. Plut. de doctr. Princ. Ariſt. l. 1.*

l. 1. œcon. Indorum Regem dormientem ſi qua fœmina occiderit, munus habet, ut eum illius ſucceſſore jungatur. *Apud Homerum lib. 2. Iliad.* Agamemnonem Regem Juppiter, ſomno internuncio, ſic affatur:

Totâ nocte virum Regem dormire pudendum eſt,
Cui populi, cujus commiſſa negotia curæ.

Et ſanè nihil tàm equum impinguat, quàm oculus Regis. *Plut. de educat. puer.*

32. Exempla Impp. Romanorum obvia ſunt plurima. De Auguſto Octavio ſcribit *Sueton. in eius vit. c 37.* quòd ipſe jus dixerit aſſiduè & laborioſiſſimè, & in noctem nonnunquam, ſi parum corpore valeret, lecticâ pro tribunali collocatâ, vel etiam domi cubans. Dixit autem jus non diligentiâ modò ſummâ, ſed & lenitate. Quare & graviter & eleganter idem Auguſtus cuidam ipſi libellum trepidè porrigenti, qui manum nunc proferret, nunc retraheret: Quid, inquit: An putas te aſſem dare Elephanto? Solent enim pueri minimos nummos Elephanto porrigere, quos ille non ſine ſpectatorum admiratione proboſcidè ſic excipit, ut pueri manum non lædat. Quis neſcit Trajanum? quis Domitianum? quis Servium? quis Galbam? quis Hadrianum? Hic cùm aliquando præteriret, & mulieri interpellanti ſibi non eſſe otium diceret, atque illa exclamaret: Ergò imperare noli: ſtatim converſus, eam audivit. *Suet. & Zonar. tom. 2. annal.* Veſpaſianus cùm propter vitiata inteſtina valdè cruciaretur, nihilominus tamen Imperatoris munere fungebatur, adeò ut lecto decumbens, legationes ipſe audiverit. Et cùm amici eum hortarentur, ut ſibi parceret, reſpondit: Imperatorem ſtantem mori oportere. *Cuſpin in ejus vit.*

33. Alii tamen negant, Principis majeſtati convenire lites ac judicia ordinaria pertractare, ſuis adducti rationibus.

34. Concludimus itaque: Cùm Principes gravioribus

negotiis

negotiis impediti, ordinariè & frequenter litibus intereſſe nequeant, & judicandi munus maximam juris peritiam requirat, §. *1. in authen. de judicib*, quòd probos debeat præficere judices, qui tali officio vacent: eorum tamen judicia regere, eò, quod ad ſe provocari patiatur: exemplo item Moyſis graviores cauſas decidere, minores relinquere judicibus.

35. Ad eruditionem Principis pervenimus, & quærimus: An ea Principi conveniat? Quamvis reperiantur, iique non de fece hominum, qui id præcisè negant, certis rationibus adducti: Nobis tamen affirmativa maximè placet, argumentis ſequentibus commoti.

36. Primum ab officii Magiſtratus conditione peti poteſt, *ex proæmio libri 1. Flavii Vegetii ad Valentinianum Auguſtum de re militari, dicentis:* Neque quenquam magis decet vel meliora ſcire, vel plura quàm Principem, cujus doctrina omnibus poteſt prodeſſe ſubditis. Eſt enim omninò Imperii ars maxima, ut inquit *D. Chryſoſtom. 2. ad Corinth. homil. 15.* quam artem ſine doctrina non potes exercere.

37. Secundum argumentum eſt ab utilitate & commodis doctrinæ. Hæc enim non ad vitam ſolùm inſtituendam conducit: Verùm etiam neceſſaria eſt ad conſiliorum directionem, & Reip. adminiſtrationem. Qua de cauſa Demetrius Phalereus Ptolomæum Regem hortabatur, ut libros de regno ſcriptos emeret ac legeret. Nam de quibus amici Reges admonere non auderent, ea in libris eſſe ſcripta. *Stobæ. ſerm. 46.* Hoc ſecutus eſt Alphonſus Rex Aragoniæ, dum ajebat: Optimos Conſiliarios eſſe mortuos, libros videlicet, à quibus omnia candidè diſcere poſſet.

38. Tertium argumentum eſt ab honeſto. Doctrina enim eſt laudis fundamentum: fons veræ felicitatis: & ut ut laurus perpetuò viret, ita eruditionis fama non marceſcit. *Plat. lib. 6. de Repub.*

39. Quartum petitur à turpi. Sic enim Maximil. I. Imp. dicere eſt ſolitus: Turpe eſſe magno Principi, neſcire literas, *teſte Jovio.* Homo ſiquidem ſine literis, nihil aliud niſi aſinus bipes. *Sylv. Epiſt. 4.* Illiteratus Princeps eſt quaſi aſinus

coronatus, ut dicebat Trajanus. *Polycratu libr. 4.* A quo non eſt abſimile Alphonſi Regis reſponſum, qui cùm audiret, Regem quendam Hiſpaniæ dixiſſe: Non decere viros Principes ſcire literas. Bovis hanc eſſe vocem, dixit, non hominis. *Panorm. de dict. & fact. Alphonſi.*

40. Quintum ſumitur ab exemplis Impp. Regum, & Principum laudibus cumulatiſſimorum. Non jam in medium adducam Veteres Impp. Romanos, Julium Cæſarem, Auguſtum, Neronem, Titum Hadrianum, Marcum Antoninum Philoſophum, Alexandrum Severum &c. Germanos noſtros ſiſto: Ottonem I I. Is aliquando in fuga à Piratis captus, beneficio Græcæ & Latinæ linguæ, cùm non pro Imperatore haberetur, incognitus evaſit. Quantâ linguarum peritiâ Fridericus II. claruit? Hic præter patrias linguas, Germanicam & Italicam, didicit exactiſſimè Latinam, Græcam, Sarracenicam, Francicam, & in ſingulis Philoſophiæ partibus non tantùm rudimenta prima deguſtavit, ſed fontes ipſos introſpexit atque exhauſit. *Peucer. lib. 5. Chron. Carion. & Cuſpin. in ejus vit.* Eâdem notitiâ linguarum multarum & artium refulſit Carolus I V. Is conſuetudine Doctorum delectatus eſt plurimum. In Scholam Pragenſem, quam recens fundârat, aliquando ingreſſus, cùm diſputantes liberalium artium Magiſtros in horas quatuor audiviſſet, idque Purpurati moleſtè ferrent, ac tempus cœnæ adeſſe, dicerent, & ferè effluxiſſe: Mihi, inquit, tempus eſt minimè. Nam cœna mea hęc eſt, ea ſuavior appoſitis delicatis ferculis. *Sylv. in Com. & Peuc. d. lib. 5.* Maximilianus I I. Imp. Hiſpanos, Italos, Gallos, Belgas, Boëmos, Pannones, & Latinè loquentes rectè intellexit, & ſingulorum linguas, perindè ac ſi nativæ eſſent, calluit, *in Orat. de Max. apud Chytra. in Saxon. libr. 23. fol. 636.* Et cui ignotus Mithridates Rex Ponti & Bithiniæ? Hic duarum & viginti gentium, quas ſub ditione habuit, linguas percalluit: earumque omnium gentium viris haud unquam per Interpretem locutus eſt: Sed ut quenque ab eo appellari uſus fuit: perinde linguâ & oratione ipſius, non minus ſcitè, quàm ſi gentis ejus eſſet, locutus eſt. *Gell. lib. 17. c. 17.* Quis in Republica literaria tàm peregrinus hoſpes, cui non

ſit

ſit notus Martis & Artis ille pullus Alexander M. Rex Macedonum? Ejus Pater Philippus non tàm ob natum filium lætatus eſt, quàm quòd ſub diſciplina Ariſtotelis erudiendus eſſet, *Plutarch. in ejus vit.* Is non Ethicæ tantùm ac Politicæ, verùm etiam occultæ magisque arduæ diſciplinæ, ſpeculativæ ſcilicet, præcepta comparavit. Iliadem Homeri, quam rei militaris viaticum exiſtimare ac appellare ſolebat, ſemper unà cum pugione ſub pulvino jacentem tenere ſolitus. *idem ibid.*

41. Sed quæ, inquis, & qualis in Principe requiritur literarum cognitio? quibus potiſſimùm ſtudiis operam navabit? ſcientia divina primas tenebit. Fides enim universalis eſt, & omnium communis, atque ad omnes omninò pertinet Chriſtianos. *c. ubi nam diſtinct. 96.* unde *Xenophon* in Ageſilai laudibus: Eximiam rem dicit, cùm in aliis, tùm maximè in Principibus, religioſum eſſe. Ob pietatem David, Joſaphatus, Ezechias, Joſias in ſacris commendantur & celebrantur.

42. Divina oracula excipiunt artes humaniores. Quæ verò ex illis Principi ſint deguſtandæ, controvertitur. Vox & ſententia nonnullorum eſt, diſciplinas illas Inſtrumentarias, Scholaſticas, & Philoſophicas eſſe humiliores, quàm ut Princeps earum adita penetret.

43. Quid nos? An ita parvi æſtimabimus illa, ſine quibus ad magna perveniri nequit? Abſit! quin potius aſſerim', parcè, & ad uſum inſtrumentarias diſciplinas Principi delibandas, & guſtum earum percipiendum, non ipſos fontes exhauriendos, juxta illud Neoptolemi: *philoſophandum, ſed paucis*, i. e. methodicè & ſobriè philoſophandum eſt ei, qui ad Rempub. aſpirat, neque enim decet totum Philoſophiæ immergi eum, qui ad Rempub. præparandus eſt. *Keck l. 1. ſyſtem. Ethic. c. 3.* idem eſt judicium *Eraſmi Roterodami in Præf. Sueton. ad Frider. Elector. Palatinum.* Et quis hominum in Principe (cujus tot & tantæ occupationes) ſummam & ſcrupuloſam in doctrina *ἀκρίβειαν* exiget? quis in argutiis illis Scholaſticis indagandis diu illum occupari velit?

44. Quod ſi tamen Princeps ingenio valeat, atque otio abundet, honeſtæ recreationis gratiâ artes illas contem-

 plativas

plativas adire & cognoſcere poterit: quod Carolum II. feciſſe paulò ante diximus. Cum verò raro, imò rariſſimè id contingat, cum modo, non ſummo ſtudio Principi Scholaſticæ artes diſcendæ, ut præcipit *Seneca Epiſt. 89.* Habeto doctrinam cum modo: quia plus ſcire, quàm ſatis ſit, intemperantiæ genus eſt.

45. Quis ergò modus ſit tenendus Principi, & quid ex ſingulis diſciplinis haurire debeat, ſequentia indicabunt.

46. Ex inſtrumentariis diſciplinis primo loco ſe offert Logica. Hæc enim vulgò prædicatur ὄργανον ὀργάνων, manus & clavis diſciplinarum, ab Auguſtino ſcientia ſcientiarum. Hæc eſt, quæ normam & formam præſcribit tractandi, addiſcendique reliquas diſciplinas.

47. Eloquentiæ ſtudium maximè etiam ſibi commendatum habebit Princeps. Veriſſima namque eſt aſſertio Platonica: Orationem animis hominum imperitare, & à prudentibus eloquentia Regina animorum dici meruit. Hinc rectè *Ariſtot. in Rhet. ad Alex.* ipſum monet, valde indignam rem eſſe, ſi Princeps ſplendidis veſtib. ſe ornet præ aliis hominibus, & interim non cogitet de ornatu orationis, quæ magis propria eſt homini, quàm ulla veſtis.

48. Succedunt diſciplinæ principales, quæ vel contemplativæ & theoricæ ſunt, vel operatrices & practicæ.

49. Ex numero illarum eſt Phyſica & Mathematica: in quibus aliquatenus Princeps inſtitui debet. In Phyſicis, quoad generalia quædam Phyſicæ præcepta, & illa, quæ in communi vita frequenter contingunt, ut meteora &c, Deinde ad cognoſcenda ingenia, naturas, indolem, & temperiem iſtius populi & regionis, cui imperat. *Bod. in Method. hiſt. c. 2. Caſtellan. de offic. Reg. lib. 1. c. 10.*

50. Mathematica, Architectonica, Arithmetica, Geometria, Geodæſia rebus bellicis & domeſticis auxiliantur. Et in confeſſo eſt, Principes Duceſque bellorum ſumos hoc genere ſtudii vehementer delectari, in eoq; non mediocrem, ſed quandoque exquiſitam operam collocare, non tantùm ad oblectationem animi, ſed etiam ad caſtra metanda, & dirigenda feliciter tormenta, ſeu machinas bellicas.

51. Diſci-

51. Diſciplina ſeu Philoſophia practica, nempè Ethica, Oeconomica & Politica exactius debet eſſe nota Principi, ex cujus floſculis ſuaviſſimis coronam omnigenæ virtutis ſibi nectet, apophthegmata doctorum virorum cognoſcet, normam & formam Reipub. benè adminiſtrandæ addiſcet. Politica enim regendi ſcientiam proponit, & tanquam ex ſublimi ſpecula cœleſtem quandam facem ad totius gubernationis curſum feliciſſimè inſtituendum præbet, nec ſine civilis prudentiæ oculo adminiſtrationis clavum Reipub. gubernator rectè tenere poteſt. Et qui alios reget ille, qui artem ac præcepta regendi non didicerit?

52. Philoſpohicas diſciplinas excipit ſuperior illa facultas, Juriſprudentia, quæ à Juſtiniano Imp. definitur rerum divinarum, atque humanarum notitia, juſti atque injuſti ſcientia. §. *1. Inſtit. de juſt. & jur.* Hæc in Principe requiritur ſaltem quoad generalem cognitioné juris civilis, deinde quoad cognitionem juris proprii, ſeu ſtatuti in ſuo regno, quod debet exactiſſimè perſpectum habere, ex monitu Politicorum. Turpe enim eſt Magiſtratui, viroque Principi, jus in quo verſatur, ſtatuta & ſcita regni ſui ignorare. *l. 2. §. ſervius. ff. de orig. jur.*

53. Præterea, Hiſtoriarum lectionem Princeps ſibi commendatam habebit. Ea verò eſt duplex: Generalis, ſive ſpecialis, externa, & domeſtica. Hanc ad unguem ipſum ſcire debere, ſententia eſt Keckermanniana *fol. 76. in fin.* Ita ut calleat omnia acta regni ſui: quæ ante ipſum geſſerint Anteceſſores Principis in iſto regno: qualia ipſorum conſilia, dicta, & facta fuerint, quales eventus.

54. Quamvis autem Hiſtoriarum cognitio omni hominum generi æquè ſit ex uſu: Regibus tamen, Principibus, publicarum rerum Rectoribus, & id genus hominibus, qui tractandis regnorum habenis, aut obeundis muneribus publicis adhibentur, maximè eſt neceſſaria: utpote quos oporteat ſalutaria bonorum ſequi conſilia, & præſtantium in Repub. gubernanda virorum, Principum, Magiſtratuum virtutem imitari, *in Præf. Bapt. Fulgoſii de dict. & fact. memorab.*

55. Denique variarum linguarum, præſertim earum,

quibus vicinæ & confœderatæ gentes utuntur, cognitio Principi erit neceſſaria. Illæ ſiquidem plurimùm tùm ornamenti, tùm emolumenti ipſi afferent. Quamobrem Carolus IV. Imp. inter alias conſtitutiones *Aurea Bulla, tit. 26. §. cùm ſacri Romani &c.* hanc optimam de Impp. & Regum creatione edidit, ut qui de cætero ad Cæſaream aſpiraret dignitatem, etiam variarum linguarum peritiam haberet: ut deinde creatus Imp. variis linguis, quibus poſteà præeſſet, ſine Interprete reſpondere poſſet. Linguæ etiam latinæ uſus Principi omninò eſt neceſſarius. Cùm enim illa ſit univerſalis totius propemodum orbis terrarum lingua, poterit in Principe ſupplere plurimarum aliarum linguarum defectum, in audiendis exterorum Principum legatis, reſponſiſq; dandis.

56. Hactenus virtutes internas, & bona animi in Principe neceſſaria, eaq; principalia delineavimus: Minus principalia ſunt corporis: forma ſcilicet, ſtatura, conſtitutio & robur corporis, quæ Principem virum ornant. An vero illa ipſa reſpicienda ſint, præſertim in eligendo Rege, quæritur.

57. Varii variarum gentium mores & conſuetudines hìc nobis occurrunt. Romani n. ob formæ præſtantiam imperium ſuum ad Heliogabalum detulerunt: ob corporis robur ad Maximinum Ducem militum, tantâ corporis firmitate ac robore, tantaq; amplitudine, ut gigantum ſemine procreatus videretur. Corporis robur ſimiliter ſpectabant Medi: pulchritudinem Indi: longitudinem & proceritatem Æthiopes: molem & obeſitatem Gordii: pedum perniciem Lydi. *Herod. lib. 3. Alex. ab Alex. lib. 4. genial. dier. c. 23. Strabo lib. 16. & Diodor. Sicul. lib. 17.* Sed & naturæ inſtinctu id ſequuntur apes, quæ regē ſibi deligunt inſignis formę, diſſimilemq; cæteris, tùm magnitudine, tùm nitore. *Plin. lib. 11. c. 16. Columell. lib. 9. c. 10.* Ob ſenium Arabes regnum vetuſtiſſimo cuiq; commendabant: Scythæ ob bibacitatem bibaciſſimo. *Ariſt. in Polit.*

58. Præſtantiam formæ quod attinet, res non videtur carere ratione. Auguſtam ſiquidem Regis perſonam auguſta decet facies, totiusq; corporis dignitas, juxta illud *Curtii lib. 6.* in majeſtate corporis veneratio eſt. Quare Alex. M. deſpectus à Regina Amazonum traditur: quia non eam omninò pulchritudinem in maximo illo Rege hæc reperiſſet,

cujus

cujus in gentis rerum geſtarum fama rumore percita ad ipſum venerat. *Alb. Gentil. l. 3. de legat. c. 3.* deſpectus etiam & deriſus Ageſilaus, qui Magnus cognominabatur, ab Ægyptiis, quòd eſſet vir brevioris ſtaturæ. *Plut.* Sed & Lacedæmonienſes Archidamum Regē pecuniâ mulctârunt, ꝙ puſillam uxorem duxiſſet, ac proinde non βασιλέας, reges, ſed βασιλίδια, regulos eſſet procreaturus. *Plut. de educ. puer.*

59. Quamvis ergò optanda & magnificienda in Principe formæ dignitas, & juſta ſtatura, quia decus quoddam habent, & cum decore conjunctam gravitatem: tamen ſi deſint, non magnoperè ſunt requirenda: non enim idcircò indignus ſceptro & imperio erit judicandus, modò fortitudine animi, & virtutum radiis refulgeat: nec membris præcipuis ſit mutilatus, ut ſi cœcus, aut ſurdus.

60. Examinanda hîc venit illa trita quæſtio: An venatio ſit exercitium Principe dignum? quod affirmamus.

61. Nam 1. eſt corporis exercitium, ad bonam valetudinem comparandam conducens. Nimium ſiquidem otium ſanitati & vitæ plurimum officit, quia nimiâ quiete torpeſcunt membra. Et, ut aqua putreſcit abſque motu: ſic quoq; corpus corrumpitur, niſi exerceatur. *Dreſſer. in lib. de partib. humani corporis fol. 119.*

62. Secunda ejus utilitas in voluptate & recreatione eſt poſita. Hanc quis Principi pro exantlatis Reipub. laboribus & curis invidebit?

63. Tertiò ad bellum præcipuè inſtituit. Unde *Xenophon in lib. de venat.* eam vocat belli præludium. *Ariſtoteles* quoque *lib. 1. Pol. c. 5.* venatio pars eſt artis bellicæ, quâ contra beluas utendum eſt. In venatione ſiquidem equitare & currere, atroces feras excipere, æſtum frigusq; perferre, ſæpè famem pati neceſſe eſt: Unde bellica ingenia in ea ſe maximè præexercent. *Philo lib. 1. de vita Moyſis.* Venatio autem tùm demum erit licita & digna Principe, ſi ſit moderata, non nimia & immodica, quæ in conſuetudinem ſeu artificium convertatur, & interim res imperii negligantur.

64. Clericis tamen venatio non competit, quin potius interdicta eſt in jure Canonico, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio *c. 1. diſt. 34. c. 1. & 2. de Cler. venat. c. 1. ne Cler. vel Mo-*

nach.

nach. ſecul. negot. ſe immiſce. Hinc atro carbone notatur Detherus Archiepiſcopus Moguntinus *apud Bruſch. in Epiſc. German.* quod venationibus potiùs, quàm ſacris indulſerit. Et *Stumpffius lib. 5. cap. 37.* ita ſcribit: Hugo Epiſcopus Conſtant. venationi deditus, venationem per rura ſemel inſtituens, & ſegetes proculcans, fulmine percuſſus, octo ex comitatu ſuo & equum amiſit.

65. Quæritur denique: An à Principe delatores & auſcultatores conſtituendi, qui omnia ſolicitè exquirunt, quid quiſque ſubditorum & ſentiat, & faciat, & loquatur.

66. Quamvis *Plato l. 3. de legib.* in Repub. ſua exploratores omninò eſſe velit: & alii nonnulli pro delatorib. pugnent: tamen niſi circumſtantiæ & tempora aliud ſuadeant, ut ſi inteſtinæ ſeditionis ſit vehemens ſuſpicio, vel quando ab externo hoſte facta invaſio, nos illos impugnamus & improbam᷒.

67. Nam 1. hoc ſolent tyranni, ut emittatur

Turba gravis paci placidaq; inimica quieti.

Martial. lib. 1. Epigram. Sic enim *Ariſtot. lib. 5. Polit. c. 11.* inter cauſas conſervandæ tyrannidis hanc unam tradit, ut ſint iſtiuſmodi auſcultatores, qui dicta factaque civium notent, ſuiſque tyrannis referant & declarent.

68. 2. Delatorum opera ac inſtitutio contra libertatem naturæ eſt, contra dignitatem civitatis, & contra legem charitatis.

69. 3. Principem reddit ſubditis odioſum, & ſervilem metum in animis ſubditorum parit, adeoque ſæpè flammas ſeditionis excitat.

70. 4. Quin melius eſt, in Repub. apertos habere hoſtes, quàm diſſimulatores, blandos, qui ſub eſca hamum & virus gerunt: quiq; inter cives, ut cancri inter roſas, lupi inter oves manent: *Caſ. d. l.*

APPENDICES.

1. *An Principes rectè jura venationum ſubditis adimerint? Affirm.*
2. *Principes viri ſatellitium & ampliorem comitatum rectè adhibent, non tantum ſecuritatis, ſed etiam ſplendoris & magnificentiæ cauſa.*

DISP. XIV.

Diſputatio XIV.

DE CONSILIARIIS ET CONSILIIS

Reſpondente

NICOLAO GROSCHIO Rauenſteinenſi Franco.

THESIS PRIMA

A Principe nos ducit ordo ad officiarios eminentiores, adjutores & paraſtatas ejus, Conſiliarios ſcilicet.

2. Conſiliarios *Juſtus Lipſ. l. 3. pol. c. 4. à pr.* vocat eos, qui fidi, rerum hominumq; periti, ſalutaria ſuggerunt Principi, pace ſive bello.

3. De uſu & operâ Conſiliariorum quæritur: an illâ Princeps uti, vel potiùs carere debeat, vel poſſit.

4. Reperiuntur ſanè, qui affirmare hoc auſint, in quorum Republica familiam ducit *Nic. Machiavel. in tract. de principe cap. 23.*

5. Verùm cùm nihil ſit difficiliùs, quàm benè imperare. *Vopiſc. in Aurel.* Varii n. hîc caſus offeruntur, varia ſcelerum genera, varia pericula & negotia. Quæ igitur erit dementia, ut ait *Sagit. de conv. civ. f. 199.* affirmare Principes in tam variis negotiis ad omnia ſatis poſſe eſſe perſpicaces, ita quidem, ut

nullibi errent, aut labantur? Deum mihi ſi dederis, crediderim, ſi hominem, nunquam. Fingi fortaſſe poteſt, & neſcio quà in Platonica Republica introduci vir πανάρετος,

ὅ αὐτὸς πάντα νοήσῃ.

6. Graviſſimi ergò labores Principis, queis orbem terræ capeſſit, egent adminiculis. *Tacit. 12. annal.* Regni enim præſidia non ſunt exercitus, neq; theſauri, ſed amici, ut ait Micipſa apud *Saluſt. in Jugurth.* nullumq; magis boni imperii inſtrumentũ, quàm boni conſiliarii. *Plin. in pan.* quos *Tac. 4. Hiſt.* pacis decus vocat. *Dio Caſſius* oculos Principis. *Xenoph. pæd. 8.* aures: alii manus. *in l. 5. quisquis C. ad L. Jul. majeſt.* & in Aurea Bulla *Caroli IV. tit. 12. de Elect.* Conſiliarii, qui Principis lateri continuè aßiſtunt, & in regenda Repub. eum ſalubriter dirigunt; pars ſui corporis myſtici reputantur, felicitatem imperii augere dicuntur *in l. 8. humanum. C. de legib.* Ubi in hæc verba ſcribunt Theodoſ. & Valentin. Impp. Benè cognoſcimus, quod cum veſtro conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri imperii, & ad noſtram gloriam redundare. Hac de cauſa *Cic.* Senatum vocat mentem, rationem, & intelligentiam Reipubl. item principem ſalutis *in orat. de Aruſpic. Bod. d. c. 1.* præcipuam potißimamq; partem Reipub poſt principem. Ut n. Principum ſalus privatorum ſalus dicitur; ita & auctoritas & dignitas conſiliariorum, dignitas Principis cenſetur; nec fieri poteſt, ut magnificat Princeps, cujus Senatores contemnuntur.

7. Inprimis *Tholozan. lib. 24. de Repub. c. 5.* multas recenſet Reſpublicas, quæ bonis conſiliis natæ, & in ipſo flore multis annis conſervatæ fuerunt, multas etiam, quæ cùm ante floruiſſent, pravis conſiliis peſſum iverunt.

8. Quare, ut rectè monet *Menand. apud. Camerar. cent. 1. Hor. ſucciſiv. c. 55.*

Conſilium in omni præeat negotio,
Conſilio aliud haud eſſe tutius poteſt.

Ubi multa conſilia, ibi ſalus *Prov. c. 11. v. 14. & c. 24. v. 6.* diſſipantur cogitationes, ubi non eſt conſiliũ: Ubi verò ſunt plures con-

res conſiliarij, confirmantur *c. 15. v. 22.* cogitationes conſiliis roborantur, & gubernaculis tractanda ſunt bella *c. 20. v. 18* Eccleſiaſticus quoque præcipit, ut conſilio prudentum & ſapientum utaris, piorum & timentium Dominum *c. 9. v. 21.*

9. Nam ut Poëta canit:

Non uni dat cuncta Deus, quid proferat alter,
Diſce, ferent aliquod mutua ſenſa bonum.

Alter ſiquidem conſilia ſua exponit, alter ingenii acumine & ſolertiâ communicata expendit. Inquit n. Euripides in Heraclidis: ἀς ἀνὴρ ἐ πάντα ὁρᾷ, unus vir non omnia intelligit & cernit. Et vulgari ſermone frequentatum eſt illud: Oculi plus vident, quàm oculus, id eſt, plures melius poſſunt rem aliquam examinare & perpendere, quàm unus.

10. Majorem etiam auctoritatem apud ſubditos ſibi conciliabit Princeps per conſiliarios prudentes. Juſta n. & ſalutaria omnia putabunt, quæcunq; facit, ſi ſciunt, eum prudens & fidele conſilium habere. *Antimachiavel. lib. 1. theor. 1.*

11. Quin laudatiſſimi Duces & Imperatores, quò magis abundarunt ſapientiâ, eò minus ſibi tribuerunt, pluribus conſiliariis, iiſq;, egregiis ſtipati fuerunt, totidem veluti oculis, auribus, manibusq; Quid n. Jul. Cæſar? Hic Qu. Pedium & Corn Balbum habuit. Quid Auguſtus? Is Mœcenatem & Agrippam. Quid Adrianus? adhibuit celſum, Salvium & Neratium: alii alios. Alexander Severus nullam legem ſancivit, nullam conſtitutionem fecit ſine viginti Juriſperitis, & ſapientiſſimis ac doctiſſimis viris: iis deniq; diſertiſſimis non minus quinquaginta: ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ, quâm Senatusconſultum conficerent: & id quidem ita, ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur, quid quisque dixiſſet; dato tamen ſpàtio ad diſquirendum cogitandumq;, priuſquam dicerent: ne incogitati dicerent de rebus ingentibus, *Lamprid. in ejus vit.* ſed quid multis? Rex fuit ſapientiſſimus Salomon, idemque inſignis Philoſophus. *1. Reg. 4.* quippe cui nulla earum artium, quæ ad res benè gerendas

pertinerent ignota eſſe. Sed plantarum etiam animantiumq; naturas cæteraq;Philoſophiæ arcana ita exactè teneret,ut admiratione ſcientiæ,& famâ omnia compleret. Regibus quoq; finitimis hæc illius ſapientia adeò venerabilis fuit, ut ipſius amicitiam ultrò appeterent:ipſe tamen ſapientes viros in conſilium adhibere conſueverat. *Antimac b.lib.1.theor.1.*

12. De generibus Conſiliariorum hîc nobis erit diſpiciendum.

13. Conſiliarius itaq; à Politicis diſtinguitur vel ex gradu,vel ex modo conſulendi.

14. Ratione gradus diſtinguitur in intimum, ſive eminentiórem,& in inferiorem,atq;adeò eum, qui ad intima & ſecretiora conſilia non adhibetur.

15. Ex modo conſulendi Conſiliarius 1.eſt vel ordinarius,vel extraordinarius. Ita enim in magnis principatibus, magnisque Imperiis uſu invaluit, ut Princeps habeat duplices conſiliarios,quoſdam perpetuò præſentes ad aulam, & magis ordinarios:nonnullos etiam qui alibi, vel ſub ditione principis,vel extra eandem vivant.

16. Ordinarius eſt ergò,qui ordinariè & ſtatè ad conſilia admittitur.

17. Extraordinarius, qui in certis caſibus,iisq; graviſſimis,& rebus ad ſummam Reipub.pertinentibus,vel in particularibus quibusdam pacis aut belli tempore conſulitur, & vel ad aulam vocatur,vel ſcripto votum ſuum mittere jubetur,ein Rath von hauſe aus.

18. Deinde conſiliarius eſt vel ſupernumerarius, vel honorarius.

19. Supernumerarius,qui ultra ſtatutum numerum & conſeſſum ordinariorum conſiliariorum admittitur.

20. Honorarius dicitur tùm is, qui titulo quidem conſiliarii fruitur, cùm tamen nunquam ad conſilia danda adhibeatur:tùm is,quem princeps honoris causâ ad conſilium dandum adhibet.

21. Obſervandùm hîc, quod magni nominis viri ſcribunt,non debere principem uni tantùm conſiliario eſſe addictum.

ctum. *Camerar.part.1.Hor.ſucciſiv.c.90.Richter.axiom.polit.92.* *104.& 152.Ant.Guevara in Horologio princ.l.3.c.58.* Qui enim unum amat, videtur cæteros odiſſe. *Hippol.in princ.c.9.* Audax ille princeps nimium, qui ut amet unum, ſeſe reliquis omnibus exoſum facit, *Altbuſ.in polit.c.22.& fol.299.* inquit: Fatuus eſt magiſtratus, qui uni addictus & obnoxius eſt, ad cujus nutum & conſilium, contemptis reliquis, agit cuncta, quæ ad imperii adminiſtrationem pertinent. *in fin.* tamen idem judicat, quòd ſi talis conſiliarius bonus ſit, felices tunc fore Reſpublicas & Regna; ſin verò malus, jam præſentiſſimam eſſe malorum cauſam in Rebuspublicis.

22. Devenimus ad modum & proceſſum inſtituendæ conſultationis.

23. Partes verò conſultationis ſunt vel externæ, vel internæ.

24. Externa pars eſt indictio concilii, tum probuleuma, præparatio quædam ad futuram conſultationem: quæ pars ut in ſolennibus & gravibus conſultationibus utiliſſima eſt: ita in ſtatis conſultationibus, adeoq; etiam in extraordinariis & repentinis neceſſariò ſæpè omittenda eſt.

25. Internæ partes ſunt 1. Propoſitio. 2. Rogatio. 3. Dictio 4. Examen votorum. 5. Concluſio. *Keck. in curſ. phil. fol.380.* E quibus quatuor illæ: Propoſitio, Rogatio, examen & concluſio, ad ipſum principem ſpectant, aut eum, qui principis loco eſt. Dictio verò, ſive vota & ſententiæ, ad conſiliarium.

26. Ad primum quod attinet, maturè proponenda ſunt capita deliberationis, & in tẽpore conſiliarii conſulendi. Gladiatorum enim eſt, non principis, in arena conſilium capere.

27. Circa ſecundum genus, quod conſiſtit in Rogatione ſententiarum, venit examinanda illa quæſtio: An conſiliorum vota & ſententiæ primùm omnium debeant exigi à junioribus, & qui minoris ſunt auctoritatis, an verò à ſenioribus, & qui majoris? Nam vulgatus eſt verſiculus moralis apud Græcos:

ἔργα νέων, βουλαὶ δὲ μέσων, εὐχαὶ δὲ γερόντων:

 id eſt,

id eſt,

Vota ſenum, conſulta virorum, & facta juventæ.

Eraſm. Roterod. chil 3. cent. 5. adag 2. & Nicephorus lib. 1. hiſt. Ecclef. c. 1. in pr. in conſultationibus ſeniorum conſilia excellere dicit. E. jureconſultis quoq; *Andreas Tiraquellus in præfat. de jur. primogenit. n. 93.* ponit, ſeniores in conſiliis præferendos eſſe junioribus *per alleg. ibid. & n. 112.* vult, ut Seniores in dicendis ſententiis præferantur, & priores ante cæteros loquantur, & reſpondeant, *per text. in l. 1. §. in ſententiis ff. de albo ſcrib. & in l. 2. ibi, decernendi loquendiq; facultas antiquior. C. de præfect. præto.* allegat etiam illud *Eccleſiaſtici c. 32.* Loquere major natu, decet enim te primum verbum.

28. Senatus verò Neapolitanus & Pedemontanus in rogandis ſententiis recipit vota incipiendo à juniori, & ſic gradatim uſq; ad antiquiorem, ut referunt *Cacher. dec. 1. Ant. Theſſaur. deciſ. 1. n. 1. & Matth. de Afflict. deciſ. 1. Neap.* & ſtylus etiam eſt aliarum curiarum. Rationes hujus conſuetudinis referunt Doctores jam allegati non contemnendas. Sed apud Romanos quoq; in omnibus comitiis, ubi quid cum populo agendum erat, priùs privatis hominibus diicendi locus dabatur, quàm magiſtratibus & potentioribus, *Dio. lib. 39. Caſſiodor. lib. 39.*

29. Alii hac in re obſervandam eſſe judicant cujusq; Reipublicæ conſuetudinem, & id bonum, juſtum, utile, æquũ putandum eſſe, quod ratio communisq; uſus hominum ab antiquis temporibus receperit.

30. Non diſplicet nobis *Andreas Rey de concil. & conſult. q. 6.* ubi Principis prudentiæ & diſcretioni relinquit, quo ordine vota colligat. Nec abs re dicit eſſe, ſi ordinem certum ætatis ac dignitatis ſervet, ita tamen, ne ſe ad iſtum ordinem adſtringat: interdum etiam inverſo utatur.

31. Princeps autem qui ſapit, in dijudicandis ſententiis non quid prius, ſed quid prudentius dictum eſt, advertat, *Arniſæ. lib. 1. doctrin. pol. c. 15.*

32. Ter-

32. Tertia pars conſultationis eſt *Dictio.* Dicenda verò ſenatori Sententia candidè, apertè, perſpicuè & breviter, abſque fucis & lenociniis verborum, ut ſcil. omnia planius intelligantur.

33. Quarta, votorum examen. Princeps autem fidem conſultorum excutere & agnoſcere ut poſſit, has regulas cum Doctoribus ponimus: 1. ſi ad finem & ſcopum utilem, & honeſtum Reipub. ſit directa. 2. Si mediis licitis ad exitum, vel in actum à Principe deduci, & ſine alterius injuria expediri poſſint. 3. ſi talia media non ſint ſupra vires & potentiam Principis. Quò ſpectat illud Sapientum ſermonibus decantatum: In omni deliberatione & ſententiis hæc duo adeſſe oportet: *Poſſe illud fieri, atq; utile eſſe.*

34. Deliberationis quinta pars, quæ eſt de concluſione, & executione ſententiæ, in poteſtate & arbitrio Principis eſt. Nec enim Conſiliarius interrogatur, ut ſtatuat & imperet, ſed ut dicat, mentemq; ſuam Principi aperiat.

35. Executio verò velox eſſe debet, ſi adſit opportunitas. *Lauterbach. in princ. Chriſt. c. 6.*

36. Diximus circa quartam conſultationis partem, Principis munus eſſe ponderare & excutere vota ſuorum Conſiliariorum: ex cujus aſſertionis occaſione quærimus: An Princeps conſultationibus ſuorum debeat intereſſe?

37. Negativam tuetur *Bodin. lib. 3. de Repub. c. 1. n. 246.* per rationem aliquam, & exemplum Principis Turcarum, qui ſenatui rariùs intereſſe conſuevit, ſed interiore ac proximo ſenatus habendi loco ferè ſemper conſiſtit, aut conſiſtere putatur, ut omnes omnium ſententias audire, geſtus etiam uniuscujusque liberè contemplari, nec tamen ipſe videri: ita fit, ut ſenatores, qui principem ſe aſſiduè intueri putant, in officio contineantur.

38. Verùm hunc barbarum barbari modum vehementer improbat *Kirchner. in Republic. diſputat. 9. th. 1.* dicens: Neque enim

enim tùm Principis animo excelſo occultæ & tenebricoſæ inſidiæ, neq; cõvenir ulla adverſus Conſiliarios, quos inſtar parentum obſervar oportet, diffidentia. *Senec. in Epiſt.* tùm neq; libertas conſilii metum ullum aut pavorem ſervilem, aut ſuſpicionem ſiniſtram tolerare poteſt.

39. Pro affirmante itaq; ſententia tutius & conſultius putamus, ut Princeps liberiore & apertiore facie gravioribus conſultationibus interſit. Nam majori cum auctoritate omnia ſic peragentur in præſentia ipſius, mali & improbi minus audebunt, ſed melius conſulent, & factiones ac rixæ ceſſabunt. Boni verò Conſiliarii præſente Principe fideliùs & diligentiùs officium ſuum ſunt facturi, & in arduis negotiis ſuæ fidei ac integritatis ſpeciem exhibituri *Althuſ. in polit. c. 22.*

40. Quærimus hîc: Quid conſiliarius, in conſulendo præſtare debeat, fidemne an eventum etiam: & proinde an plectendi, quorum conſilium malè ceſſit, & quorum benè, præmiis afficiendi.

41. Conſilium ſanè ſi malè cedit, non alium accuſat Princeps, quàm Conſiliarium: quod ſi verò partem regni, aut provinciarum aliquam conſiliis ejus inſiſtendo amittat, temperare ſibi haud poteſt à nece aut pernicie ſuaſoris. *Machiavellus lib. 3. de Repub. c. 35.*

42. Utinam verò principes animo ſuo reputarent, optimum interdum conſilium parum proſperum eſſe: nec rarum, ut bonis initiis mali ſuccedant eventus. *Saluſt. in. Catilin.* quia, ut idem *orat. 2. ad c. caeſ. de Repub. ord. à pr.* ait, pleraſq; res fortuna ex libidine ſua agitat.

43. Quare conſilia, quæ ſiniſtrum eventum fortunáq; ſortita, ſi non doloſo & inſidioſo animo ſuſcepta ſunt, ſuppliciis non vindicanda: cùm eventus in manu conſultoris non ſit. Nam, ut *Cic. ad Attic.* ait: *Qui conſilium dat præſtare fidem, non eventum debet.* Quæ etiam eſt aurea inſcriptio curiæ Heidelbergenſis.

44. Sanè ſi malè ſvaſiſſe periculum eſt, defuturi ſunt qui ſuadent *Cur. lib. 3.*

45. Sed nec bona conſilia præmiis afficienda, ne quis ſpe

ſpe adipiſcendi à verò deflectat, & ad gratiam loquatur. *Lipſ. lib.3.pol.c.8.* Ubi arcanum ſe dogma ſuggerere dicit: vel etiam ſuperbiâ incipiat tumere, dum ſe placere videt.

46. Verùm *Altbuſ.c.22.* hunc proponit canonem: princeps, quo conſiliarios in fide, officio, ac diligentia retineat, de ipſis amplificandis ac locupletandis viciſſim curam ſuſcipiat.

47. Alii ita dicunt: quòd communiter conſiliarium prudentem honore & præmio afficere fas & jus ſit, non ob ſingula ſuaſa & conſulta. *Andr. Rey apud Keck. in curſ. Philoſ. fol. 543. in fin.*

48. Dictum eſt huc uſque de uſu & differentia conſiliariorum: alterum membrũ ſequitur, quod conſiſtit in qualitate & electione eorundem, qui & quales eligendi, ut ſcilicet digniſſimi, & maximè neceſſariis donis inſtructi in numerum conſiliariorum cooptentur.

49. Quales verò, inquis, requiret Princeps? Viros ſcilicet religioſos ac pios, timentes dominum, juſtos, incorruptos, fidos & amicos, veraces ac liberè ſuadentes, apertos, nihil ſimulantes & diſſimulantes, ſapientes, ſenes potiſſimùm, ingenio & judicio pollentes, modeſtos & placidos, ſobrios, ſecretos & taciturnos, fortes & conſtantes in facto, nec non literarum gnaros. De ſingulis ſubjiciemus.

50. Primò, pios conſiliarios eſſe decet. Inter cætera namq;, quibus munitus eſſe debet Conſiliarius, principem locum obtinet prudentia Theologica. Nam cùm impietas omnem ex animo peccandi metum evellat, & conſilia impiorum fraudulenta ſint, *Prov.9.* & Princeps à Conſiliario malo ſervare animam debeat. *Siracid.c.29.* ſequitur religionis contemptum Rerumpub. everſionem adferre. Quare Moyſes à Jethrone ſocero jubetur eligere viros honeſtos, graves, ſapientes, timentes Dominum, qui oderint avaritiam, & in quibus ſit veritas, *Exod. cap.18.v.21.*

51. Secundo loco conſiliarii erunt alieni ab omni injuſtitia. Quod juſtũ eſt, judicate, ſive civis, ſive peregrinus. *Deut. 1.v.16. & c.16.v.20.* juſtè quod juſtum eſt perſequêris: ut vivas & poſſideas terram, quam Dominus tuus dederit tibi. Parallela

loca ſuns *Levit.19.v.15.Exod.23.v.3.Deut.16.v.18.& c.1.v. 17. Eccleſiaſt.c.42.v.1.* Imò judicum officium conſiſtit in juſtitia adminiſtranda: nec judex is dicitur, in quo non eſt juſtitia. *text.in cauſ.23.q.2.& in c.forus. de verb. ſignific.* Quid enim aliud eſt judex, quàm lex animata? *l.8.ff. de juſt.& jur. Novel. 105.c.2.* Cogitabunt ergò, Dei & Principis munus judicando ſibi eſſe demandatum, de quo ſi non apud Principem, tamen ante magnum Dei tribunal in omnem conſpectum reddituri ſint rationem. Cogitabunt ſe non tàm alios judicare, quàm ipſos judicari: ipſis magis, quàm partibus terribile eſſe judicium. Hinc Joſaphatus ad ſuos judices: videre quid faciatis: non enim hominis judicium exercetis, ſed Dei: & quodcunq; judicaveritis, in vos redundabit. Unde non temerè, ſed gravi de cauſa veteres olim juxta templum collocarunt forum judiciale, ut oſtenderent à Deo eſſe conſtitutos judices: & dum hominibus jus dicunt, à Deo ſe quoq; judicari. *Plat. lib. 6. de legibus.*

52. Tertiò erunt incorrupti: nec enim debent eſſe *δωροφάγοι*, qui muneribus ſe corrumpi patiantur, ſed alieniſſimi à crimine avaritiæ, quo nullum eſt tetrius, præſertim in principibus & Rerumpub. gubernatoribus: Unde ab Apoſtolo avaritia dicitur radix omnium malorum. Inter quatuor, quæ humanum judicium pervertunt, de quibus *in cauſ.XI.quæſt.3. cap.78.* potiſſimùm munera corrumpunt. Hæc excæcant oculos ſapientum ac judicum, & ſubvertunt verba juſtorum, *Ex. 23.v.8. Deut.16.v.19. Eccleſ.20.v. 31.* Invalidum eſt auxilium legum, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbantur. *Tacit.1. annal.* Magiſtratus ſiquidem avaritiæ deditus & lucro inhians, prævertit juſtitiam: unde altera pars, quæ ad dandum emortuas habet manus, causâ cadet.

Deviat à vero corruptus munere judex,
Falcidiumq́; facit impia gaza manum.

Quos

Quos verſus *ex Henric.Sammaren.lib.1.par. 2,* depromit *Boer. deciſ.153.n.26.& Horat.lib.2.od.2.*

Malè verum examinat omnis
Corruptus Judex.

Talibus gravem comminationem addit S. Scriptura, fore ſcilicet,ut qui impium pro muneribus juſtificat, ejus radix, quaſi favilla fiat: germen ut pulvis aſcendat, *Eſai. c. 5. & 10.* Notandum hic venit factum Cambyſis Regis Perſarum,quod *Herodot.lib.5.* narrat,& vulgò laudatur. Præſidem Siſamnem, qui pecuniâ corruptus injuſtam ſententiam tulerat, interfecit,& toti corpori cutem detraxit, eamq; inſtravit tribunali. Poſteà filium Siſamnis Otanem in eam ſedem collocavit, ac juſſit eum intuentem patris exuvias rectè judicare, ne ſimilî ſupplicio afficeretur.

53. Quartò,amici & fidi eligendi conſiliarii. Oportet enim, ut conſiliarius fidelem affectum erga principem & Rempub.gerat,& ſincero amore ac pietate debitâ proſequatur,publicis rebus poſthabeat privata,quæ,*teſte Livio lib. 22.* ſemper offecêre,officientque publicis conſiliis.Et quis ab inimico unquam fidele habebit conſilium? Bono verò conſilio anima recreatur *Proverb.29.* oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum.*Pſal.101.v.6.*

54. Quintò optandi veraces. Cui non eſt notum, inquit Imp.Juſtin.*in l.14.C.de judiciis,* antiquos judices non aliter judicialem calculum accepiſſe, niſi prius ſacramentum præſtitiſſent,omnimodò ſeſe cum veritate & legum obſervantia judicium eſſe diſpoſituros? Et ſimul omnibus judicibus jusjurandum judiciale obſervandum ibidem præſcribit, itemq; libere ſuadentes:in libera enim civitate linguam menteſq; liberas eſſe debere,vox fuit Tiberii *apud Suet. in ejus vit. cap.28.*Quid enim rectum proficiſci poſſit ab eo, qui linguam frenat ad nutum ſui Principis? quid unquam fuerit præſidii in iſta Republica, in qua videmus curiam elinguem:

in qua dicere quod velis periculoſum, quod nolles miſerum eſſet? *Plin. in panegyr.*

54. Sextò, ſapientes, prudentes, peritos, rerumq; uſu exercitatos ſeliget Princeps. Date ex vobis viros ſapientes & gnaros, & cognitos per tribus veſtras, ut ponam eos vobis Principes. *Deut. 1. v. 13.* Poſtquam Salomon poſt obitum patris ſui Davidis Rex eſſet conſtitutus, & à Deo poteſtatem liberè petendi quidvis accepiſſet, maximam Regni ſui amplitudinem, & innumerabilem populi multitudinem intuitus, non divitias, non dies multos, ſed ſapientiam & cor docile petiit, ad judicandum populum Domini, *1. Reg. 3. v. 9.* Sapientiam tanquam proprium requiſitum judicis urget quoque *Apulej. in lib. de Philoſoph.* Conſiliarius ergo ſive judex, ut conſcientiæ ſuæ benè conſulat, ac officio ſatisfaciat, tantum ſibi comparet ſcientiæ, quantum ad cauſas judicandas erit neceſſarium. Judex enim duplicem debet habere ſalem; ſcientiæ, ſine quo eſt inſipidus, & conſcientiæ, ſine quo eſt diabolicus, ut dixit *Bald. in l. 2. C. de ſent. ex brevi recit.* Graviter Quintus Mutius ſerviũ ſulpitium reprehendit ob ignorantiam juris, dicens: Turpe eſt patritio, & nobili, cauſas oranti jus in quo verſatur, ignorare. *l. 2. §. 43 ff. de orig. jur.* quî ergo judex à grandi vitio & reprehenſione erit immunis, cujus pectus nullo intellectu, & jurium ſale eſt conditum? qui velut hoſpes in aliena regione ſecundùm jus & fas dicere poterit? ſunt enim leges tanquam cynoſura & Helices, ad quas in judicando pronunciandoq; judicem reſpicere oportet. Apage igitur ignaros & imperitos, ſcabinos analphabetos, ruſticos ex arbitrio judicantes, confuſè omnia, ſine certa conſuetudine, ſine ordine & ſtylo, aut ulla ſcriptura tranſigentes, mutantes, alterantes, ſordidantes. *Althuſ. in polit. c. 24.* Ridebant hac de cauſa Perſæ Romanos, quod apud eos viri indocti judicum munus ſuſtinerent; literati verò iis poſt terga aſſiſterent. *Ammian. lib. 23.*

56. Septimò, ſenes erunt præficiendi juvenibus. Illi n. non tantum ex libris ſapiunt, ſed & uſu rerum ſunt edocti. Expedit tamen, ſenibus & expertis adjungere juvenes, probos tamen, qui ſeniorum factis dictiſq; diſcant ſimilia & dicere &

conſu-

conſulere, ſenioribusq; è ſtatione ſua excedentib. ſuccedant.

57. Octavò, ingenio & judicio valebunt. Quisquis n. bonum conſilium (aut ipſe ſibi capturus eſt, aut aliis daturus, oportet eum plurima circumſpicere, loca, tempora, perſonas, rerum præſentium ſtatum examinare, eorumq; ſimul omnium delectum habere, facultates, clientelas, opes expendere, præterita diu multumq; in animo vertere, eaq; præſentibus conferre, & tanquam in trutina componere: quib. compoſitis, & quod prudentis eſt æſtimatoris, omni ex parte examinatis, de agendi modo rationeq; præcipuè ſolicitus erit, totusq; in eo verſabitur, ut non ſolùm, quid ſequendum ſit, ſed quà illud viâ ſequendum, utque & quid deceat, quid etiam oporteat, & quantum quoq; & quouſq; oporteat, in ſcapulo ipſo probè perpenſum habeat. *Boter. lib. 2. de polit. illuſtr. c. 6.*

58. Præterea ſobrietas Conſiliarios commendabit. Sobriè enim, non gravatis mero viribus conſultationes inibunt, ut aciem ingenii extendere poſſint ad res, quæ in deliberationem cadunt. Et ſic non immeritò reprehenſionem incurrunt Perſæ, quod inter convivia & benè poti de rebus ſeriis deliberaverint. *Herodot. lib. 1.* Quem morem etiam tenuerunt antiqui Germani, *Tacit. de morib. Germ.*

59. Peractâ deliberatione erunt taciturni & ſecreti, nec arcana ſibi commiſſa ullo modo divulgabunt. Nam taciturnitas optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum eſt vinculum. *Valer. Max. lib. 2. c. 2.* Secretum Regis abſcondere bonum eſt, opera autem Dei revelare, honorificum eſt. *Tob 12. v. 7.*

60. Deniq; erunt fortes & audaces in facto, ſeu bono negotio. *Tholoz. lib. 24. c. 6. n. 5. ſ. 2.* Bias *apud Laert.* ſolitus eſt dicere: Cunctanter aggrediendum negotium, verùm in ſuſcepto conſtanter perſeverandum. Pertinaciam autem, immodeſtiam, & nimiam confidentiam abeſſe jubemus. Pertinacia enim ſtultitiæ ſimilis eſt, & qui in ſententia ſemel concepta pertinax eſt, & judicio tantùm utitur ſuo, futurum certò ſtatuat, ut in omnibus, aut certè in pleriſq; aberret. Quod ſi ergo melior ſententia reſederit, mutatio conſiliorum inconſtantiæ non erit arguenda. *Cic. 1. Epiſt. Famil.*

61. Affectibus quoque Conſiliarius in conſultatione, & cauſæ cognitione vacare debet. Affectus enim mali ſunt conſiliarii, inquit *Plato*, rem conſilio & cogitatione videre non ſinunt. *Senec. l. 8. epiſt. 60.*

62. Conſultores ergò & judices in rebus dubiis odium, invidiam, cupidinem, amicitiam, iram, miſericordiam, metum, avaritiam, perniciofam feſtinationem & celeritatem amovere, & maximè æſtimare conſcientiã mentis ſuæ debent. *Cic. ora. pro Cluentio.* atq; ea ſolùm intueri, quæ ad Dei cultum & Reipub. commodum ſpectant. *Durus de Paſcolo in Aul. pol. reg. 31.*

63. Inter alia requiſita boni conſultoris ſuperiùs etjam retulimus benevolentiam ſeu fidelitatem, quòd is debeat eſſe fidus, & amicus Principis: Cùm autem peregrinus vix talis ſit, non immeritò quæritur: An ad conſilium dandum de Repub. ſit adhibendus?

64. Quod non, videtur facere 1. Ad conſilium de Repub. dandum, caput eſt, noſſe Rempub. *Cic. 2. de orat.* At verò peregrini raró Reipub. ſunt periti & gnari, qui igitur rectè conſulent?

65. 2. Etiamſi iis peritia, vix tamen curæ ſunt illis negotia, nullus in eis affectus, nulla fides.

66. 3. Accedit auctoritas S. Script. coram extraneo ne facias conſilium: neſcis enim quid pariet, inquit *Siracides cap. 8. v. 21.*

67. Sed alii hîc contraveniunt, dicentes hanc ſententiam inhumanitatem in ſe continere, ac gentium nationumq; diverſarum communionem inter ſe, bonamq;, ut loqui ſolemus, correſpondentiam tollere, & rumpere vinculum omnis ſocietatis humanæ, quæ ſancita eſt non tantùm inter hominem & hominem in uno loco, unaq; regione viventes: ſed etiam inter gentem & gentem diverſis regionibus, & ſub diverſo imperio.

68. Et quid faciendum, ſi ſubditi ſatis idonei haberi nequeant? *Lauterbach. in princ. Chriſtian. c. 6.* Determinationem igitur addet εὐζήτησις.

69. Ulteriùs quæritur: An Conſiliarius etiam non requiſitus debeat monere & conſulere?

70. Nam

70. Nam notum eſt illud vulgatum: Ad conſilium ne acceſſeris, antequam voceris. Ut igitur non eſt boni Medici ſe, cùm vocatus non eſt, intrudere ad ægrotum. *Hippoll. à coll. lib. de conſil. fol. 266.* in quam ſententiam abit *Machiav. de princ. c. 23.* qui tamen ipſe ſibi non conſtat, dum eodem loco ſic ſcribit: Princeps ſi quempiam noverit inter conſiliarios, qui aliquo ad ſe reſpectu veritatem reticeat, ea de re maximè ſuccenſeat. Dicetne verò irrequiſitum ſilentio ſuo veritatem non occultare? uterq; enim reus, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit. *Auguſtin.*

71. Conſiliarius ergò in rebus magni momenti ob bonum publicum, etiam non rogatus de quibuſdam monebit & denunciabit, ne in cenſum adulatorum referatur. *Dn. Gerb. decad. 4. quæſt. 4. polit.*

72. Sed à Romanis Senatoribus id obſervatum, ut neceſſitate urgente ultrò poſtularent, ut ſibi de Repub. dicere liceret. Sic enim *Tacit. lib. 13. annal.* licebat patribus, quoties jus dicendæ ſententiæ accepiſſent, quæ vellent, expromere, relationemq; in ea poſtulare.

73. Quæ tamen circumſtantiæ hîc à conſiliario priùs perpendendæ, docet *Hippol. & D. Gerbard. dict. loc.*

74. Ex hac quæſtione dependet illa: An, ſi conſiliarius in conſiſtorio conſilium aliquod tractatum iri ſciat, cui ſalvâ conſcientiâ aſſentiri nequit, ac ſi eo die domi ſe contineat officium ſuum minus diligenter feciſſe dici poſſit?

75. Nam ſi etiam non vocatus publici boni causâ conſilium dare Principi tenetur: multò minus ſalvâ fide effugere poterit occaſionem, ne rogetur. Occaſio enim rerum graviorum veros à cæteris diſtinguit conſiliariis: illi quò periculoſiora inſtant negotia, eò magis ſe ad juvandam Rempub. accingent: hi urgentibus vel minimis difficultatibus, libenter ſe ab eis ſeducunt, ut concludit *idem Hippol. fol. 269.* Alia argumenta brevitatis causâ omitto.

76. Quærimus deniq;: An Princeps novus ſuperiorum principum conſiliarios ac officiales mutare ac dimittere debeat?

77. Primo intuitu id videbatur ex eo, quoniã Princeps novus ſibi

ſibi adſciſcere debet eos Conſiliarios, quos ſcit ſuo ingenio maximè eſſe accomodatos. Jam verò illi antiqui adſueti ſunt moribus anteceſſoris: & novus Princeps ſucceſſionis lege deſignatus, non ſuo arbitrio, ſed Conſiliariorum illorum arbitrio pleraq; peragere cogeretur: quod illi perquàm dedecorosum, ut loquitur *Schônborn.lib.3.polit.c.22.*

78. Verùm negativa magis arridet. Nam 1. novum imperium inchoantibus utilis eſt clementiæ fama. *Tacit. 4. Hiſt.* Ideoq; conſultum, ut initio Principatus nihil Princeps innovet, priusquam firmatum ſit imperium. *Geil.de arreſt.Imp.c.8. n.12.Bod.lib.4.de Repub.c.3.n.428.*

79. 2 Conſiliarij prædeceſſoris gnari ſunt morum animorumque provinciæ: ſciunt vires Principatus, experientiâ ductrice plurima cognoverunt: de quibus & ipſum poſſunt monere ſucceſſorem. *Tholoz.lib.24.de Republ. cap.6. num. 15.Hippolit.fol.288.*

80. Si tamen poſt principem invitum, & cujus imperij pœnitet, principatum acceperit Princeps: aut ſi veteris aulæ Conſiliarij populo inviſi admodum, iis abjectis probos & expertos adſciſcat. *Antimach.l.1.theor.3.*

Corollaria.

I. *An præſtet, ſi Princeps ſit malus, & conſiliarij boni, quàm Princeps ſit bonus, & conſiliarij mali? prius affir.*

II. *Conſiliarij non ex ſola nobilitate, nec ex ſolis perſonis Eccleſiaſticis, ſed etiam ex omnibus omninò ordinibus & ſtatibus Regni ſeu Reipub. deligantur, ne ordo & ſtatus unus in præjudicium & odium alterius quid decernat.* Althuſ. in polit.c.22.

§ [o] §

Diſp.XV.

Diſputatio XV.

De

LEGATIS ET LEGATIONIBUS.

Reſpondente

JOHANNE EPPINGERO
Ratisbonenſe.

THESIS PRIMA.

DE Legatis & Legationibus ſermone inſtituitur, inveſtigabimus ea,quę tùm ad internam, tùm ad externam ejus conſtitutionem requiruntur. Cùm verò definitio cujuſque rei ſit principium,accuratiori methodo inſiſtentes, definitionem Legati, quam varii variè proponunt, *cum Hermano Kirchnero lib. 1. de legat.c.1.n.6.* damus ejuſmodi.

1. Legatus eſt mandatarius, publico negotio conficiendo ſolenniter miſſus, ab eo, qui poteſtatem legandi habet.

2. Legati à legendo dicti, quod publicè lecti mitterentur, *teſte Varrone.* Vulgò dicuntur *Nunciȷ*. *Cic. in quæſt. Tuſc.* Sed hæc ſignificatio eſt generaliſſima, quâ nuncius quilibet inſignitur, qui à privato ad res privatas adminiſtrandas mittitur. *Oratores. Virgil. Liv. & l.7.ff.ad L. Jul.de vi.publ.* Sed hæc quoque acceptio eſt latiſſima, & oratoris nomen latiùs patet nomine Legati. Illud enim ejus eſt,qui de rebus omnibus poſſit variè, copioſèque diſſerere: hoc verò ad illos tantùm refertur, qui negotia publica tractant. *Alberic. Gentil. lib. 1. de legat. c. 2.* imò arctior jam ex communi uſu videri aliquan-

do poteſt, ut tradit *idem ibid.* cùm Legatos quoſdam deprehendamus, qui penitùs nihil, aut ſolùm in acceſſionem operis peragendi aliquid loquantur. Interpretes itidem in lato ſenſu & officio. Propiè n. ita dicuntur, qui linguæ interpretandæ gratiâ Legatis & Oratoribus adjunguntur. Reſponſales. *c. Salonitana civitatis 24. diſt. 63. Ambaſſatores, ſeu Ambaſſiadores. Nicol. Boërius in tract. de auctorit. magn. Cōſil. Parla. Regn. Fr. n. 46.* à veteri voce Celtica Ambachte. *Marquard. Freher in annot. ad Petr. de Andlo lib. 1. c. 13.* videtur autem *Kirchn. d. c. 1. n. 22.* Celtica iſta vox ex mutilatione Græci verbi ἀμβαδίζειν profluxiſſe: quod Latinis hinc atq; inde vadere, circumambulare, & commeare denotet: Idq; Legatorum nomini, qui ex natione alia in aliam, & ex Regno uno in aliud ititant, non incongruum. *Franciſco v. Le Vayer lib. 1. c. 1. de legat fol. 19. in fin.* ἀμβαδίζειν: mittere eſt. *Oculi & Aures Regnorum* vocantur *à Guicc. lib. 5. hiſt.*

4. A Legatis veris & propriè dictis diſcernendi ſunt Commiſſarii & Deputati. Nàm illi ſolenniter mittuntur, & à ſummo Reipub. Magiſtratu, qui jus mittendi habet; Hi verò à judice tàm inferiori, quàm ſuperiori ad ſubditos, rei ut plurimùm privatæ causâ, adeoq; non ſolenni modo. Quamvis ab aliquibus Legati Commiſſariis æquiparentur, præſertim Imperatorii: & Receſſus Imperii nomina Legati & Commiſſarii confundant, ex *Rutger. Rulando de commiſſ. & cōmiſſar. Bort. apud Dn. Aruma. de jure public. fol. 371.*

5. Eodem modo differentia traditur *à Kirch. d. c. 1. n. 19.* inter Legatos Geſandten, & Ablegatos, ſive Selectos & Deputatos, Abgeſanden.

6. Præterea Legatus olim dicebatur, qui alicujus poteſtatis, magiſtratusq; perſonam, munusvé ſuſtinuit: qualis fuit Legatus Cæſaris, ſeu Præſes, *l. 1. ff. de offic. præſid.* quem Princeps in aliquas è ſuis Provinciis cum Imperio ejus gubernandæ causâ miſit. *Dn. Vult. lib. 1. Juriſp. Rom. c. 13.* Item Legatus Proconſulis, cui Proconſul vices ſuas in adminiſtratione provinciæ mandabat, cum negotiis ipſe non ſufficeret, *l. fin. ff. de offic. proconſul. & legat. Vult. ibid. Cujac. 7. obſ. 21.*

7. Quia autem Legati ad externas Reſpub. vel Principes mittuntur, vel ad indicendum bellum, vel ad componen-

dam

dam pacem,ad amicitias, ad fraternitates & fœdera ineunda, ad contrahenda matrimonia,ad gratulandum de victoriis, de novis nuptiis, de novis conjugum puerperiis, deq; aliis proſperæ fortunæ eventibus: vel de adverſis & luctuoſis caſibus ad dolorem ſignificandum, aut ad gratias agendum: hinc variæ legationum emanant ſpecies.

8. Summa verò Legatorum duo ſunt genera,ex objecto. Aut enim expediunt negotia ad ſummam Reipub. pertinentia tempore pacis, aut Martis opus conficiunt, indicendo bello, & ictis fœderibus finiendis: Illi Legatorum nomine & titulo propriè ac in ſpecie ita inſigniuntur: Hi Fecialium ſeu Heroldorum nomine veniunt. *Buda. ad l. 7. ff. de rer. diviſ.* In bellis quoq;, armorum ſtrepitu, & ardore præliorum uſus eſt Legatorum, qui pacem petunt & offerunt: inducias flagitant, &c. eosq; Caduceatores vocat *Feſtus*. Sic dictos à Caduceo, ſive Ceryceo, quo Græcorum Legati ferebant. *l. 8. eod. tit.* Erat verò baculum, habens ab utraque parte inſculptos duos ſerpentes invicem implicatos,& ſe mutuò reſpicientes, *teſte Suida & Plinio lib. 29. hiſt. nat.* Illaq; angvium invicem ſe contuentium ſpecies caſtris oppoſita caſtra ſignificabat. *Alberic. Gentil. d. l. 1. c. 18.*

9. Tempore pacis legationes aut negotii, aut officii, aut honoris gratia fiunt.

10. Negotii, ut quando matrimonium pro abſente contrahitur Principe, quæ ſpecies legationis *Pronuba* vocatur *à Budæo lib. 1. de Aſſe.* cum auxilia petuntur, &c.

11. Officii cauſâ ſunt legationes illæ, quæ ad Imperatorem & Pontificem quotidiè fermè ſuſcipi ſolent. *Dn. Beſold. claſſ. 2. diſp. polit. 8. th. 3.* quos non propriè legatos dicit, quemadmodum nec provinciales, quales legationes expediebantur ad Impp. vel ad gratulandum, vel ad dolendum, de quibus tituli *Digeſt. & C. de legat.* maxima ex parte loquuntur, & mentionem facit *l. 35. §. 1. ff. ex quib. cauſ. major.* eosq; hodiernis Deputatis æquiparat. Et hæc *officioſa legatio* appellatur, cujus exempla plurima refert *Gentil. l. 1. c. 7.* & inter illa Papæ Romani, qui indignatus fuit Regi Hiſpaniarum, quod ſibi recens creato non pro more legatos miſiſſet, pedis exoſculandi gratiâ. *ex*

Guicciard. lib.7. Ad hoc enim officium, cùm Pontificis beneficiarius & vaſallus ſit Rex Hiſpan. ratione Regni Siciliæ & Neapolis tenetur. Quemadmodum officii gratiâ gratulari tenentur ſuo domino potentes etiam vaſalli. *Kirchner. de legat. l.1.c.2.n.10.*

12. Legatio ergo quæ fit officii causâ eum in ſe nexum habet, ut, ſi omittatur, exigi & flagitari jure poſſit: & ſic voluntatis coactæ eſt. Ea v. quæ honoris, ut ad gratulandum, condolendum, eſt ſpontanea, & meræ voluntatis, nihilque in ſe habet, quod devincire mittentem aliquo jure poſſit. *Idem Kirch. num. præced. 7. & 8.* non tamen omittenda, ne inter Principes alioquin conjunctos, ſimultatibus occaſio detur, quod de officioſa ſcripſit *Schönb. lib.3. pol. c.37.* ſub qua comprehendit illam, quæ eſt honoris. Hodiè talis legatio in teſtimonium mutuæ amicitiæ uſitata eſt ad novos Principes, eos ſalutando, gratulando de novo Principatu ſuſcepto.

13. Ex cauſa efficiente Legatus Principis eſt, ejusque vel ſupremi, vel ſuperiorem recognoſcentis: vel Reipublicæ liberæ.

14. Ratione perſonæ mittentis non ſolùm humanam, ſed & divinam legationem conſtituit *Gentil. l.1. c.3.* hancque vocat, quæ eſt à Deo, aut ad Deum remvé divinam, Verùm Legatos ſacros, Angelos dico, & Apoſtolos, non propriè & juregentium Legatos eſſe appellandos, ſed potius Interpretes & nuncios (ſtrictè accepto vocabulo) à potentiſſimo ad infimos & ſubjectiſſios miſſos, ut voluntatem, gratiam & mandata referrent, rectè monet *Kirch. l.1. c.1. n.15. & c.2. n.23.*

15. Reſpectu mandatorum Legati aut ſunt liberi, aut Formularii.

16. Hi certam formam & inſtructionem accipiunt, cujus fines ipſis egredi non licet.

17. Illi dicuntur, qui nullâ certâ præſcriptâ formulâ, liberam agendi habent poteſtatem, quod è re publica eſſe judicarent. Idque in rebus potiſſimùm intricatis & ancipitibus, quarum certus modus dari nequit, fieri ſolet.

18. Eſt & alia ſpecies legationis liberæ, ejus ſcilicet, qui publico Legati nomine commendatus, ornatuſque, reipsâ ob priva-

privatam exiit occaſionem. Similis ſcilicet hîc eſt procuratori, quem dicunt *in rem ſuam* Juriſconſulti. *Gentil. l. 1. c. 8. â pr.* Donabantur enim à Senatu vel Imper. Clariſſimi Viri honoratio titulo liberæ Legationis, etiamſi ſuorum, non publicorum negotiorum causâ in provinciam aliquam proficerentur: quò majori abeſſent cum dignitate. *Juſt. Lipſ. in comm. ad lib. 12. annal. Cornel. Taciti.* Si Scipioni Naſicæ hæc fuit decreta legatio, ut tutiùs, honorificentiùsq; in Aſia eſſet, quò proficiſcebatur, plebis ob necem Grachi infenſæ furorem, ſi Romæ ſubſtitiſſet, reformidans. *Plutarch. in vit. Gracch.* Ita tribus ferè de cauſis hæ legationes liberæ concedebantur, voti ſolvendi, periculi vitandi, & hereditatis nominumvé perſequendorum causâ *Gentil. Ibid.*

19. Dicitur verò libera, ex ſententia *Cujacij lib. 9. obſ. 29.* quod nullo ſit finita tempore, ſed redire & abire, ei, qui eam impetraverit, quandocunque liceat. Virgulâ cenſoriâ ob id notatus *à Gentil. d. c. 8. fol. 23.* ſed ab ea liberatus & vindicatur *à Kirch. d. c. 2. n. 29.*

20. A tempore nonulli Legatos alios faciunt *Temperarios*, alios *Reſidentes*. Illos dicunt, qui ad tempus ſive certum, ſive incertum emittuntur, & redire juſſi, quando id, quod habent in mandatis, confecerunt. Hos verò, qui nec ad definitum certumque negotium, nec ad tempus, ſed ad voluntatem mittentis, ex anno in annos, ex luſtro in luſtra, donec non fiat revocatio, reſident, ad omnium rerum, quæ in alieno Regno Principatu, & Repub. accidunt, curioſitatem & explorationem, ut nihil prætermittant, quod Principi commodum afferre poſſit. Tales in Regno ſuo nunquam fuiſſe paſſum ferunt Henricum VII. Regem Angliæ. *Gentil. l. 2. c. 12. in fin.* Hodiè verò eo genere ſunt Reſidentes Galliæ & Angliæ Regum ad Portam Ottomannicam.

21. Sed tales alii non in genuina Legatorum claſſe, ſed ſpeculatorum cenſu collocant, cùm non tàm negotii, quàm relationis gratiâ ſint miſſi, neque ex Legati jure, ſed ex pacto ſingulari utriusq; partis, variis de cauſis, ut ſint nonnunquam aut fœderis inter potentes, tanquam obſides.

22. Legatos mittere poſſunt ii ſoli, poteſtatem ſumam Reipub. habent: ideoq; nemini ſubditorum hoc conceſſum.

Principes quidem Germaniæ, jure liberi Imperii, illud jus obtinent, ut de negotiis ſui Principatus ad alios, cùm intra tùm extra Imperium Legatos mittere queant. *Paſchalius in legat. c. 11. Kirchner. l. 1. c. 3. n. 13.* Quod ipſum de civitatibus liberis Imperialibus rectè aſſeritur.

23. Nunc de requiſitis, virtutibus, & ſcientiis Legatorum erit agendum.

24. Legendorum vero Legatorum ratio diligentiſſima habenda eſt, nec promiſcuè ſumendi, qui tàm arduo & periculoſo muneri præficiantur; quod vel ipſa notatio Legati, à legendo dicti, ſuadet. Nihil ſiquidem inconſideratiùs committitur, nihil periculoſius ſuſcipitur, nihil difficiliùs peragitur, quàm legatio. *Chriſtoph. Warſevicius in panegyr. ad Stephan. I. Regem Polon.*

25. Requiruntur autem in Legato dona & bona tàm interna, quàm externa.

26. Interna, (quæ externis longè præferenda) ſunt ingenii præſtantia & prudentia, doctrina, eloquentia, peritia linguarum, fides, fortitudo, temperantia. *Gentil. lib. 3. cap. 5. & multis ſeqq.*

27. Prudentiam quod concernit, vel ea ad Legatos maximè pertinet, quorum lumen & oculus ille eſt, quo ſi quiſpiam careat, non ſecus, ac Homericus ille Cyclops, undiquaque in tenebras & terroris caliginem irruet. Hinc Salomon claudum pedibus facit, qui mittit verba per nuncium imprudentem & ſtultum.

27. Excellet verò prudentiâ Legatus, ſi ingenium ad res ſubitas non deſit. Legatus, præſertim Principis, inquit *Otto Meland. in Idea ſtud. polit. f. 72.* celeri ingenii motu præditus ſit, ut argutè & eleganter proponat & reſpondeat, dicat, agatq; ſolerti judicio antea cogniat, & non cogitata. Sunt enim actiones plerumque tales, quæ tempus ad conſultandum non præbent, ut ſcribit *Durus de Paſcolo in Aulico ſuo pol. aphoriſ 47.* ubi igitur res moram nõ fert, ibi ex arena conſiliũ eſt capiendum.

29. Fidelitas maximè commendabit Legatum. Nam in ipſius fidem Princeps ſe totũ commiſit. Unde Legatus fidelis dicitur ſanitas à Salomone *Prov. 13. v. 17. & c. 25. v. 13.* ſicut frigus

gus nivis in die meſſis; ita Legatus fidelis eî, qui miſit eum, animam ipſius requieſcere facit.

30. Fortem ſe quoq; præſtabit Legatus, geretque pectus adverſus omnem vim omnemq; eventum obfirmatum & imperterritum. Multa n. ſecus eveniunt, quàm cogitata ſunt. Nec verò eſt cauſa, cur intrepidè munus ſuum non obeat, verſans in re laudabili, & tanto jure munitus, tutusq;

31. Adhæc: Temperantem ſe exhibebit, ad imitationem Xenocratis Athenienſium Legati, qui dicitur nec quicq̃ voluiſſe aut guſtare prius, quàm legationem ſuam expoſuiſſet.

32. Externa fortunæ bona potiſſimùm ſunt auctoritas & gravitas, ſine quibus legationis ſplendor & intuitus vileſcit *Gent. l. 3. c. 4.* Dignitas n. Legati à dignitate non modò mittentis, ſed etiam miſſi coruſcat: indignitas verò Legati non ſolùm mittentis perſonæ dehoneſtamento eſt, verùm etiã ei, ad quem indignus miſſus eſt, ruborem incutit. Negarunt Romani quibuſdam pacem, ob hoc, quia parum dignitatis in legatione fuerat. *Liv. lib. 30.* quo loco ſæpè numero remiſſos eſſe Legatos indignos teſtatur. Et Auguſt⁹, Legatis eſſe in orcheſtra locum, vetuit, cùm quoſdam etiã libertini generis mitti deprehendiſſet, *Suet. in ejus vit. c. 44.* Et quis non mirabitur Ludovicum XI. Regem Galliæ? Hic tonſorem ſuum Olivarium in Burgundiam petitum uxorem Delphino ſuo, Caroli Ducis unicam filiam Mariam ablegavit, quod pro contemptu à domo Burgundica meritò fuit habitum, & tale, quod etiam in jugulum barbitonſoris, meritò deriſi ab omnibus, rediiſſet, niſi maturiore fugâ ſibi conſuluiſſet. *Comina. l. 8.*

33. Removeantur ergo à legatione fullones, cerdones, inſtitores, negotiatores, turpes, infames, ſervi, Judæi, &c. præficiantur verò ei viri genere nobiliſſimi, virtute & eruditione clariſſimi, rerum periti, probi & graves, qui ampliſſimos in Republica gradus ſunt conſecuti. In iis, q̃ Legum deciſiones flagitant, non niſi Juriſconſulti. Ita de reb⁹ Eccleſiaſticis miſſos olim fuiſſe Patres, Auguſtinũ, Cryſoſtomum, Gregorium, hiſtoriæ Eccleſiaſticæ loquuntur. Si neceſſitas poſtulat, viros militares Legatis adjungendos ſcribit *Camerar. cent. 3. c. 68.*

34. Auctoritatem quoq; in ſenectute & canitie magis quàm in juvẽtute relucere, tradit *Cic.* Sanè ſi haberi poſſunt ſeniores,

niores, graves, prudentes; rerum intelligentes (non ergo repueraſcentes, deliros, mente & conſilio vacillantes, acie hebeſcentes) eligi eos ac præferri magis ad majeſtatem legationis conferret. *Kirchn. l. 1. de legat. c. 4. n. 63.* interim minorem annis triginta non vult excludi (prout facit *Alberic. l. 3. c. 14. f. 297. & ſeq.*) Si modò cætera ſenilis prudentiæ & gravitatis inſtrumenta non deſint.

35. Pulchritudinem quod attinet, illa ad inflectendos hominum ſenſus animosq; devinciendos valida eſt *Plato in phæd.* Hinc *Franciſcus Le Vayer l. 1. de leg. f. 27. Alberic. Gent. l. 3. c. 3. Herm. Kirch. l. 1. c. 4. n. 5. & ſeq. ut & n. 87. & ſeqq.* volunt, ut corporis quoq; pulchritudine, tanquam ab ipſa natura commendatus, Legatus mittatur. Pulchritudinem verò *cum Cic. l. 1. offic.* requirunt non muliebrem, quæ in venuſtate corporis conſiſtit, & mangonicâ arte conciliatur, utpote cerusâ aut calamiſtro, quamq; multi cum maxima virilitatis jactura mentiuntur, ſed virilem, quę in dignitate, legitima omnium partium conformatione eſt, utpote in magnitudine, numero, figura & ſitu. Sanè quanto animus corpore præſtabilior: tantò illius pulchritudo divinor & amabilior, quàm hujus.

36. Legendum ergo Legatum monent talem, qui ſit juſta ſtatuta & proceritate ſani corporis: non brevioris ſtaturæ homuncio, nec etiam Cyclopicæ proceritatis: cùm hæc legationis gratiam non habeat: parvitas verò ſtaturæ ludibrio ſit; nec etiam ſtigmate & inſigni alioquo corporis vitio notatus: unoculus, multò minùs cœcus, ſurdus & ſurdaſter, claudus, naribus, auribus, aut reliquis membris eminentiorib. truncatus, tum, quia in legati perſona Regis & Principis mittentis majeſtas repræſentari peregrinis videtur: tùm, quia in deſpectum ſui id fieri arbitrantur exterorum Principes, tùm etiam, quia deriſionis & cachini anſam potius præbent, nec quicquam laude dignum in hoc munere gerunt. Præſertim cùm longè plurimi id perſuaſum habeant, ejuſmodi vitia vitiorum etiam animi indicia eſſe, *Fr. Le Vayer. d. l.* Refertur feſtivus jocus & ſcomma Catonis Stoici, quo Legatos vitioſos eſt proſecutus. Cùm enim à Senatu Romano pacis ergò inter Nicomedem &

Pruſi-

Pruſiam faciendæ miſſi eſſent, quorum alter lapide quondam petitus, cicatricoſam frontem oſtendebat, alter pedibus laborabat, tertius verò ingenio planè ſocorde erat. Tùm ille: Legationem, inquit, populus Romanus mittit, quæ neq; caput, neque pedes, neque cor habet.

37. Diximus in præced. th. in Legato juſtam ſtaturam ſani corporis requiri. Sic enim inter reliquas corporis dotes ſanitatem deprædicat *idem Fr. Le Vayer d.c. 2. ſ. 26.* & valetudinariis Legationis munere interdicit, hisq; duntaxat benè ſperare dicit licere, qui animi & corporis conſtantes vires habent quique omnes externas aëris injurias ferre ſine ſanitatis diſpendio poſſunt: ut non miretur T. Manlium Torquatum conſularem dignitatem ob ſolam oculorum valetudinem detrectaſſe, quod indignum duceret, ſibi vitam ac fortunam civium committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur. *Val. Max. l. 6. de dict. & fact. memorab. c. 4.*

38. Devenimus ad ſecuritatem & libertatem Legatorum cum Comitatu. Legatos verò publico jure gentium ſanctos eſſe & inviolabiles, hoc eſt, ab omni violatione tutos, vox eſt Pomponii *in l. fin. ff. legat.* Sanctum nomen Legatorum apud omnes nationes fuit, *Jul. Cæſ. l. 3. de bell. Gall.* & corpora ſancta dixit *Varro. 3. de ling. Lat.* Hinc in ſecuritatis ſignū Legati Romanorum geſtare ſoliti ſunt quaſdam herbas, quæ ſagmina (à quibus ſanctum dictum eſt) vocantur, ſicut Legati Græcorum tulerunt Cerycia *l. 8. §. 1. ff. de rer. diviſ.*

39. Quare contra jus gentium peccant, qui Legatos hoſtium pulſaverint, *Pompon. d. l. fin.* Ergo jus admiſſæ legationis eſt, ut etiam inter hoſtium tela Legatus verſetur incolumis & tutus *Cicer. Verr. 3.*

40. Nec facilè invenias alicubi impunitos violatos fuiſſe Legatos. Ammonitæ miſerè à Davide ſunt perditi, cum ſuos illi Legatos violaſſent, contumelioſèq; tractaſſent. *2. Sam. 10.* Cùm Athenienſes & Lacedæmones Xerxis Legatos terram & aquam Regi poſtulantes, id eſt, tanquam Monarchæ ſummam prædominationem in omnia alia Regna vendicarent, projeciſſent in puteum, terramq; ſuperingeſſiſſent: ad expiandum facinus miſerunt Lacedæmones duos ſuorum civium,

 à qui-

à quibus Rex ob ſuos Legatos violatos ſupplicium ſumeret: quibus tamen ipſe manus injicere noluit, ne ipſe faceret, quod aliis exprobraret. Athenienſes verò, cùm de expiatione parum eſſent ſollicitì, oppreſſi, & urbe exuti ſunt. *Herod. lib. 8.* Quid de Corinthiis dicam, qui Legatos Romanos ſibilis & conviciis ejecerunt è theatro, ſordibusq; perfuderunt? *teſte Polybio & Dione.* Legati, ait *Cic. pro Pompejo*, quod erant appellati ſuperbiùs, Corinthum Patres noſtri totius Græciæ lumen extinctam eſſe voluerunt. Alia exempla omitto.

41. De jure Can. violatores Legatorum excommunicantur & exterminantur è Chriſtiana ſocietate *c. ſi quis. diſt. 94.* Jus verò civile deditionem fieri jubet. *l. fin. ff. de legat.*

42. Salva verò manet Legatorum ſecuritas cum omni comitatu. Ulpianus enim *in l. 7. ff. ad L. Jul. de vi public.* Lege Juliá teneri eos dicit, qui Legatos, Oratores, Comitesvé ipſorum pulſaverint, aut injuriam fecerint. Siquidem Studioſorum famulis eadem privilegia ſunt indulta, quibus ipſi Studioſi gaudent. *l. 2. C. de Comitibus Conſiſtorianis.* Ratio eſt, quia connexitas unionem operatur, & coñexorum idem eſt judicium: & exinde idem judicamus de connexo, quod de principali. *Gail. lib. 1. de pac. public. c. 6. n. 5.*

43. Hoc autem jus gentium Legatorum non præſtabit ſecuritatem & libertatem iis, qui miſſi Legati non ſunt, & Legationis tantum nomen præ ſe ferunt. Nec enim Legatus eſſe poteſt, qui miſſus non eſt.

44. Eum verò; qui Legatus etſi ſit, non eſt tamen ad eum, ad quem ſe miſſum affirmat, (quales Legati Philippi Macedoniæ Regis ad Anibalem miſſi: qui in manus Romanorum incidentes, Legatos ſe ad Romanos dixère miſſos, & felici primùm evasère mendacio, mox verò cogniti, capti ſunt, Romamq; deducti, quia ad Romanos non erant, ſed ad hoſtes. *Liv. lib. 23.* Legationis titulo & Privilegio eximit *Alb. Gent. l. 2. c. 2. & 3.* Sed magis nobis probantur *Greg. Schonb. lib. 3. pol. c. 27. & Herm. Kirch. l. 2. c. 1. n. 2. & ſeqq.* qui Legato ſecuritatem ubivis gentium, & per illorum fines, ad quos non eſt miſſus, præſtandam eſſe judicant. Sic Alexander M. pepercit Legatis Carthaginenſium, qui ad Tyrios in eum animandos venerant. *Curt. lib. 4.*

45. Magis

45. Magis verò probamus, quod *idem Gentil.c.4.* Legatos ſpeculatores, qui ſpeculandi cauſâ miſſi ſunt, à violatione immunes cenſet. Quamvis hîc alii in contrariam abeant ſententiam, & inter eos *Kirchn. n.15.* Atqui ut ita ſentiat, cum Legato ſpeculatore non agi durius poſſe, quàm ut non admittatur, vel expellatur admiſſus, movent ipſum tùm exempla, tùm rationes.

46. Quid verò de Legatis, quibus interdictum ne venirent? Etenim hoc frequentiſſimè fieri, vel veterum Hiſtoricorum, Romanorum inprimis monumenta loquuntur. Nos diſtinctione rem expediemus, an prohibitio juſta de cauſa fiat, vel minùs, & tum Legatorum jus ſtabile permanere teſtatum faciemus.

47. Quæritur & hoc: an illius Legatio, qui antè alterius Legatos violavit, ſit ſecura? Negativa verior eſt ex jure talionis. Nam tritum eſt illud:

Frangenti fidem fides frangatur eidem.

Et fruſtra quis poſtulat ab eo ſibi ſervari fidem, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat, *c. fruſtra. de reg. jur. in 6.* Item: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Sic Franciſcus I. Rex Galliæ, cùm à Carolo Imp. ſuum Legatum detineri audiviſſet, ipſe Imperatoris Legatum quoque detinuit. *Guicciard. lib. 18.* Et Maximilianus II. Rom. Imp. Stephanum Tranſylvaniæ Dynaſtam, ad ſe Legati nomine miſſum, detinuit, quod ſuos itidem Oratores in Polonia periclitari accepiſſet. *Warſevic. in orat. funeb. Stephan.*

48. Jus autem non violandorum Legatorum tamdiu ſervandum eſt, quoad jus legationis honeſtatemq; ſervaverint. Hoc neglecto, negligitur & illud, & per conſequens non minùs ob meritam cauſam, quàm hujus muneris expertes plectendi erunt. Reatus ſiquidem omnem dignitatem excludit. *l. 1. c. ubi ſenat. vel clariſſ.* Hinc ſuo merito Regum Oratores quandoque ultimo ſupplicio affecti judicantur. Adulterii condemnatum, ductumq; ad extremam capitis pœnam in Luſitania Legatum quendam ſcribit *Warſevic. in orat. funeb. Stephan. Reg. Polon.*

49. Aja-

45. A janua ergò aberrant illi, qui ab omni pœnæ metu & ſupplicio Legatos eximunt, nec facilè ob injuriam illatam teneri volunt, ne ipſorum privilegiis, ſecuritati & juri gentium compedes injiciantur. Quaſi verò hæc ad licentiam jus gentium violandi extenderentur, in perniciem civium, tum ipſius Principis, ad quem fuêre miſſi.

50. Examinanda hîc venit celebris illa quæſtio, agitata in Scholis Politicorum & Juriſconſultorum: An Legato fines mandati egredi liceat? In cujus deciſione alii in negantem, alii in affirmantem ſententiam inclinant, alii verò mediâ viâ incedunt, & diſtinguunt.

51. Pro parte negante facit. Quòd mandati fines, præſertim in negotiis principalibus, diligenter ſint cuſtodiendi. *l. diligenter 5. l. poteſt & ab una, 41. l. ſi quis 46. ff. mandati. l. cùm mandati 12. Cod. § is qui 8. Inſtit. eod.*

52. Secundò accedit teſtimonium *Alexandri ab Alexandro lib. 6. genialium dierum c. 6. f. 323.* dicentis: Legati munus eſt, omnia ad præſcriptum Imperiumq; ejus, qui mandavit, agere: Imperatoris verò, ſummæ rei conſulere, & liberum tenere Imperium.

53. Tertiò, ſi res ei, cui mandata eſt, ex animi ſententia non ſuccedat, culpa imparentiæ, & pœna indeprecabilis ſubeunda eſt. Quod ſi verò meliùs forte vertat, fortunæ id beneficium cenſetur. Sic ille, qui in caſtris rem à Duce prohibitam fecit, aut mandata non ſervavit, capite punitur, etiamſi res benè geſſerit. *l. 3. §. 15. in bello ff. de re milit.* Exemplum ejus rei eſt in filio Manlii Torquati *apud. Valer. Max. lib. 6. de dict. & fact. memorab. c. 9. Liv. decad. 1. lib. 8.* qui à patre ſecuri fuit percuſſus, quòd contra edictum adverſus Latinos, quamvis proſperè, pugnaſſet. De Epaminonda Thebano in hunc modum ſcribit *Fulgoſ. lib. 2. de dict. & fact. memorabil. c. 2.* Is cùm Thebani exercitus adverſus Lacedæmones Dux eſſet, & tempus eligendorum Magiſtratuum appeteret, id quod niſi præſente ipſo (nam Prætor erat) fieri non poterat, Thebas profectus eſt, Steſimbroto filio relictâ exercitus curâ, ſub ea lege, ne cum hoſte manum conſereret. Filius autem plus hoſtium contumeliis motus (nam præ ignavia eum detrectare certamen in-

crepabant) quàm paterni imperii memor, in aciem progreſſus, hoſtes penitùs fudit. Itaq; reverſo patri cùm ſe tantâ victoriâ lætũ obtuliſſet, ab eo primùm, ut victor, coronatus eſt. Deinde ſtatim, quia imperium neglexerat; morte mulctatus eſt. Ita etiam cùm P. Craſſus Mutianus in conſulatu obtineret Aſiam provinciam, & circumſedere oppugnareq́; Leucas oppidum pararet, opusq́; eſſet firma ac procera trabe, quâ arietem faceret, quò muros ejus oppidi quateret, ſcripſit ad Magiſtrũ ἀρχιτέκτονα molis Athenienſium ſociorum, amicorumq́; populi Romani, ut ex malis duobus, quos apud eos vidiſſet, uter major eſſet, eum mittendũ curaret. Tum Magiſter ἀρχιτέκτων comperto, quam obrem malum deſideraret, magis idoneum, aptioremq́; faciendo arieti, faciliöremq́; portatu exiſtimabat minorem miſit. Craſſus eum vocari juſſit, & cùm interrogaſſet, cur non, quem juſſerat, miſiſſet, cauſis rationibusq́; ſpretis, veſtimenta detrahi imperavit, virgisq́; multum cecidit. Corrumpi itaq; atq; diſſolvi officium imperantis ratus, ſi quis ad id, quod facere juſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio non conſiderato reſpondet, ut hiſce verbis refert *A. Gellius lib. 1. Noct. Attic. c. 13.*

54. Hûc refero etiam, quod ſcribit *Bodin. lib. 3. de Repub. c. 1. n. 253.* Nihil laudabile debet aut præclarè geſtum videri, quod ab exitu pendeat: argumentis n. certiſſimis ac rationib. oportet agere quicquid agendum ſit, non eventis docere: ſapientem verò potiùs adverſos exitus metuere oportet, quàm ſperare ſecundos. Hinc in ſimili ferè infert, quòd bonus Senator nunquam in fortunæ illecebris ſpem conſiliorum ſuorum collocare debeat: tametſi ſæpè videat eorum, qui temerè ad res agendas aggrediuntur, exitus eſſe feciles. Nam Theologi veteres, inquit, qui fabulis ſapientiam texerunt, Deam illam quam *Fortunam* appellabant, à conſilio Deorum arcere non dubitarunt, ne id quod à prudentia quæri debet, à temeritate fortunæ expreſſum eſſe videatur. Nihil tamen ſæpiùs laudari, nihil ſæpiùs, quàm ex eventis conſilia metiri videmus. Quod ſi lege militari capitale eſt, contra juſſum, Imperatoris hoſtem laceſſere, etiamſi certam victoriam laturus ſis: quantò capitalius eſt, in incerto caſu ſpem conſiliorum, ac Reipublicæ ſtatum collocare.

55. Quartò: Legatus eſt Interpres & veluti os Principis mittentis. Is verò Interpres non eſt, qui diverſa refert ab eo, quod interpretatur. Quâ de re alia Legati non agent, quàm de ea, quæ una ipſis demandatata eſt.

56. Affirmativa adducit illud: quòd exceſſus mandati circa utilitatem mandantis nō noceat mandatariis, quin dō minus obligetur *l. 3. præterea in princ. & l. 5. diligenter. §. 5. melior. ff. madat.* prodeſſe enim dicitur id, quod melius fit, quàm oportuit. *Hieron. Magonius deciſ. Florent. 3. n. 14. & 15.*

57. Propiùs collimant diſtinguentes inter Legationem liberam & adſtrictam ſeu formulariam: in hac certa formula & certum datur mandatum, à cujus tenore recedere non eſt integrum. Quare ſi præter mandatum aliquid de novo emergat, referre alii putant, utrum occaſio vel tempus ferat, quo Legatus Principem utilitatis emergentis certiorem reddere poſſit, & Principi omninò eſſe ſignificandum: aut ſi tempus non ſuppetat, resq; ſit parvi momenti, eo caſu mandato adhærendum: in re verò magni momenti id conſilium, quod in manifeſtam Principis utilitatem vergit, capiendum.

58. In libera verò Legatione conceditur facultas agendi, quod alicui videtur.

59. Liberior etiam agendi facultas indulta eſt Legatis, ſi mandato vel inſtructioni generalis illa clauſula fuerit inſerta: *Reliqua tuæ prudentiæ & diſcretioni committimus*, ut docet *Gail. l. 1. de pac public. c. 4. n. 30* & ſimul ſe vidiſſe aſſeverat, in graviſſimis negotiis clariſſimos viros idipſum eſſe aſſecutos. Diſſentit *Kirch. l. 2. c. 6. n. 30. & ſeqq.*

60. Deniq; quæritur: An Legati debeant vel poſſint munera ab illo capere, ad quem fuere miſſi? Ubi diverſarum Rerumpublicarum diverſa ſtatuta ſe offerunt.

61. Athenienſibus lex fuit, ne Legati munera & Xenia acciperent. *Xenophon. lib Rer. Græc.* & multi ſanguinis pœnam ſuſtinuère, qui acceperant. Callias, etſi pacem glorioſam probatiſſimamque Athenienſibus omnibus cum Perſarum Rege confeciſſet, & in legatione munera accepiſſet, talentis quinquaginta mulctatus eſt. Nec Philocrates, quod donatus à Philippo Macedoniæ Rege rediit, impunè tulit. Corinthii

ean-

eandem contra Legatorum *δωροδοκίαν* legem ſanxerant. *Plutarch. in apophthegmat.* Ad imitationem Græcorum Veneti ſuis ſcitis capitale fecerunt, munera in Legationis functione contrectaſſe. *Hermolaus Barbarus de Repub. Venet.* Dux quoque Moſcovitarum, qui auferre Legatis ad ſe redeuntibus munera omnia ſolet. *Jovius in Icon. Sigismund. Baro in hiſt. Moſcovit.*

62. Sanè eſt res periculi ac ſuſpicionis plena, quia ſacra vis eſt munerum, & hæc faciunt, ut paucis ſit carior fides, quàm pecunia. *Saluſt. in bell. Jugurth.* Sic Legati Bocchi Regis Mauritaniæ corrumpuntuntur donis à Jugurtha Rege Numidiæ. *id. ibid.*

63. Pro munerum acceptatione facit 1. quod Romani Legatis Romam venientibus lautia dare fuerunt ſoliti, aliaq; hoſpitalia comiter præſtare *Liv lib. 42.* nec modò obtulerunt exterorum Legatis, ſed etiam ab aliis oblata dona ipſimet acceperunt, *ut idem Liv. lib. 38.* teſtatur.

64. 2. Quòd Germani veteres nũ ſolùm indignè tulerint, ſed & indignati vehementer fuerint, ſi ipſorum Legati vacui munerum ex Legationibus rediiſſent. *Tacit. de morib. German. Marcellin. lib. 16.*

65. Quòd, ut Divorum munera non ſint rejicienda, ita nec Principum ſpernenda. *Eraſ. in adag.* ſecundùm illud Homericum:

Splendida cælituum non ſunt ſpernenda Deorum
Munera, nemo lubens non illa amplexa tenebit.

66. Quare ita diſtinguimus: an munera à mente ſint data, ut Legati corrumperentur, an v. ad teſtificandam benevolentiam & humanitatem. Quod ſi ergo corruptionis gratiâ dentur, recuſanda, ſi benevolentiæ & honoris, capienda.

* *
*

Aucta-

Auctaria.

I. Diximus ſupra, civitates liberas Imperiales habere jus mittendorum Legatorum. An v. civitates & ſocietates Hanſaticæ idem jus obtineant, anxiè quæritur: Affirmat *Matthias Bortius apud Dn. Arumæ. in Diſcurſ. jure publ. f. 335. & 336.* Negat *Herm. Kirch. lib. 1. de legat. c. 3. n. 55.* Argumenta utriusq; ponderabimus in ipſo actu diſputationis, & quę ad veritatem magis accedant, manifeſtum faciemus.

II. Legatus debet eſſe Mas, non Fœmina, quæ aliâs à foribus omnium civilium & publicorum officiorum repellitur. *l. 2. ff. de reg. jur. l. cum prætor 12. §. 2. de judic. l. pen. de edend. l. 1. §. 1. ad Vellei.* Fœminam inter viros verſari, pudor naturalis non patitur. *l. 14. C. de contrah. & commit. ſtipul.* quî igitur in exteris Regionibus, Aulis & Palatiis vagabitur, & virorum colloquio intererit? latè *Kirch. l. 1. c. 4. n. 206. cum multis ſeqq. & n. 216.* nec non *c. 6. n. 74. ad fin.* Fœminam ne quidem in comitatu viri Legati eſſe debere docet.

III. Legationis jus cùm ſit publicum, ad id ſuſcipiendum invitus quis poteſt cogi, ut expreſsè cautum eſt *in l. 4. §. 5. ff. de legat.* Nam publica à privato declinari non poſſunt *l. ſi ad Magiſtratum 18. C. de decur. l. tutori 20. C de negot geſt.*

IV. Excuſationes tamen juſtæ audiendæ, & parcendum iis, qui oneri ſe impares oſtendunt. Vid. *Kirch. lib. 1. de legat. c. 5. n. 13. & ſeqq. Octavianum Magium cap. 2. de legat. fol. 34. in fin. & ſeqq. Canonher. libr. 2. diſcurſ. in Tacit. fol. 240.*

DISP. XVI.

Diſputatio XVI.

De

PRINCIPIIS, CONDITIONIBUS, ET CAUSIS BELLORUM GERENDORUM.

RESPONDENTE.

JOHANNE Daldorff Eq. Sax.

THESIS PRIMA

COnſideravimus hactenus Rempub. quaten⁹ regitur tempore pacis: nunc videbimus, quæ ejus ſit facies & conſtitutio tempore belli. Cum verò abſq; definitionibus diſputare nihil aliud ſit, quàm ſine fundamentis ædificare: omnium prudentum conſilio à definitione rei propoſitæ omnis tractatio debet initium capere: *Tull. lib. 1. offic. & 2. de fin.* Eſt enim definitio finis, quem primùm omnium intueri oportet *Bodin. l. 1. de Repub. c. 1.* eſt cujusque rei potiſſima pars principium, *Cajus. l. 1. ff. de orig. jur.* Quare operæ pretium facturi videbimur, ſi aleam diſputationis ſubituri, & de militari diſciplina, nobiliſſima ac præſtantiſſima virtute, ut *à Cic. in orat. pro Muren.* indigitatur, placidam collationem inſtituturi, ejuſdem definitionem prælibaverimus.

2. Sic verò *cum Georgio Obrechto in diſp. de belli princip. &*

ejus conſtit.th.29.& Althuſio in polit.c.29. definire placet: Bellum eſt actio hoſtilis ad injuriam propulſandam vel vindicandam à magiſtratu vi armiſq; contra hoſtes pacis retinendæ vel conſequendæ legitimè ſuſcepta & adminiſtrata.

3. Dicitur bellum per periphraſin, quaſi minimè bellum. *Tholozan.lib.11.de Repub.c.12.n.5.* aliis dicitur à beluis, quòd beluarum ſit, non hominum, in mutuum ſævire exitium: *Jun.part.2.q.67.* Unde Poëta:

Pax homines, ſævas trux decet ira feras.

4. Sanè bellum eſſe minimè bellum, & faciem ejus miſerrimam, egregiè diſſerit *Middendorp.quaſt.5.Tholoz.d.l.Eraſm. Roterod.in adag. Dulce bellum inexpertis:* ut non immeritò ſcribat *Silius Italicus:*

——————— *Pax optima rerum*
Quas homini noviſſe datum eſt, pax una triumphis
Innumeris potior.

Itemque *Virgil.1.Æneid.*

Nulla ſalus bello, pacem te poſcimus omnes.

5. Alii rurſus ex eo appellatum volunt, quòd ſit bellum, id eſt, bonum. Siquidem ad habendam pacem comparatum ſit. Quorum ſententia quadantenus approbatur *à Bocero lib.1.de bell.c.3.n.2.& Obrechto th. 9. cum ſeqq.* Ubi bellum diverſo reſpectu & bonum & bellum, & rurſus neque bonum, neq; bellum rectè nominari ſcribunt. Bonum appellant reſpectu finis, quia pacem & tranquilitatem perſequitur, & vim ac injurias hominum coërcet. Malum verò vocant propter incommoda & mala, quæ in eo proveniunt. Ubi tamen bellum per ſe non malum dicunt, ſed per accidens: quia per ſe non propter malum, ſed bonum ſuſcipitur & geritur. Per accidens verò fieri, ut multa mala in eo eveniant.

6. Probabilius tamen eſſe ſcribit *Bocer.d.l.* belli nomen à Græcis petitum, quibus βέλος telum ſignificat ἀπὸ τῦ βάλλειν. *§.item lex Cornelia.verſ.etſi hanc ſignificationem.Inſtit.de public. judic.*

7. Sequitur jam diſtributio ſeu diviſio. Bella verò à Politicis

liticis diſtinguũtur aut ratione objecti, aut finis, aut ſubjecti, aut adjuncti temporis & loci.

8. *Ratione objecti* bellum aliud eſt cum vicinis, aliud cum remotioribus.

9. Illud ſemper eſt periculoſius & funeſtius, quàm cum remotiore genere. *Keckerman. lib. 1. ſyſt. polit. c. 31. fol. 500. à pr.*

10. De hoc poſteriori hunc tradit canonem: Quando bellum geritur cum remotioribus, inprimis danda eſt opera, ut vicinos habeas benevolos, quò tutiùs poſſis per eorum ditionem tranſire, ſi opus ſit, aut ne illi hoſtem per ſuam ditionem patiantur tranſire ad tuam.

11. *Ratione finis*, bellum aliud eſt defenſorium, aliud vindicatorium, *Didac. Covar. in reg. peccatum. p. 2. §. 10. n. 3.*

12. Defenſorium eſt, quòd defenſionis causâ ſuſcipitur.

13. Vindicatorium, quod ad vindicationem injuriæ, vel damni dati reparationem, vel ad recuperationem amiſſorum geritur.

14. *Ratione ſubjecti* bellum dicitur vel in cauſa propria, vel communi.

15. Illud ex cauſis ad ſolum & unicum Principem pertinentibus ortum eſt.

16. Hoc ex cauſis, quæ attingunt plures. Si commune eſt periculum, cum turpitudine conjunctũ eſt deſerere eum, cui ſocietatis jure obſtricti ſumus.

17. *Ratione adjuncti*, bellum eſt vel continuatum, vel interruptum.

18. Continuatum dicitur, cujus actus continuantur, uſque dum finis bello imponatur.

19. Interruptum, cujus actus interrumpitur: quæ interruptio eſt vel major, vel minor.

20. Minor interruptio belli ſunt induciæ breviores.

21. Majoris temporis interruptio eſt, quando induciæ ſanciuntur ad plures annos, & tùm demum bellum reſtauratur. *Keck. d. c. 31.*

22. *Ratione adjuncti* bellum etiam conſtituitur inter-

 num,

num, ſive inteſtinum, quod & civile dicitur, vel externum, *Plat.l.1.de legib.c.6.Lipſ.lib.5.pol.c.3.& l.6.c.1. & 2.*

23. Malè tamen ita dividi bellum, aſſerit *Obrecb. dict. diſp.th.33.*& *ex eodem Platone lib.6.de Repub.c.6.*ſcribit, bellum propriè eſſe, quod contra extraneum & peregrinum ſuſcipitur. Quod autem cives ipſi, aut cognati populi contra ſe mutuò gerunt, ſeditionem eſſe & rixam duntaxat, non autem propiè bellum. Facit *l.hoſtes 118.l.quos nos 234.de verb.ſigniſ.l.24.de captiv.& poſtlimin.reverſ.*vid. *Hotoman. illuſtr.quæſt. 7.à pr.* ubi ſex genera hoſtium recenſet.

24. Inteſtinum itaque bellum vel eſt ſubditorum in Principem, vel Principis in ſubditos, vel ſubditorum inter ſe arma capientium, *Lipſ.d.l.6.c.1 & 2.*

25. Eo caſu, quando geritur contra ſeditioſos & rebelles ſubditos, non eſſe bellum, ſed tantùm executionem jurisdictionis, quam manu militari Princeps exequatur, aſſeverat *idem Obrecht.th.42.& 43.*

26. Externum eſt, quod in Principem, vel populum alienum geritur *Lipſ.d.l.5.c.3.& l.6.c.1.* ubi miſerias belli civilis ob oculos ponit, eoq; nihil miſerius, nihil fœdius, imò mare calamitatum eſſe dicit.

27. *Ratione loci*, bellum eſt terreſtre, vel navale.

28. Terreſtre, quod terrâ geritur, & plerunq; funeſtius eſt, & magis arduum, quo ad vaſtationes, rapinas & incendia, ſiquidem in mari vaſtatio nulla fieri poteſt, niſi naviũ, quod tamen intelligitur devaſtatione ea, quæ eſt connexum belli, non de ea, quæ bellum ſequitur. *Keckerm.d.l.*

29. Navale dicitur, quod in aquis geritur, ſive flumine, ſive mari.

30. Hoc inſignem apparatum navium inſtrumentorumque nauticorum requirit: & commeatum à terreſtri diverſum, quoad præparationem & aſſervationem poſtulat. *Henricus Ranzovius lib.5.comment.bell.*

31. Quæritur modò: An bellum ſit contra pietatem Chriſtianam, ut Chriſtianis prorſus ſit interdicendum? Sic clamitant Anabaptiſtæ, & in novo Teſtamento bella eſſe prohibita omninò ſibi perſuadent.

32. Ve-

32. Verùm pro belli legitimo uſu qui belligerant, gravioris armaturæ ſunt milites. Fortitudo, inquit *D. Ambroſius lib. 1. de offic. c. 27.* quæ vel in bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena juſtitiæ eſt. Et *Lipſ. l. 5. pol. c. 2.* Duo ſunt, quibus Reſpublica ſervatur, in hoſtes fortitudo, & domi concordia. Huc pertinet illud, quod habet Juſtinianus Imp. *in proœm. Inſtit.* Imperatoriam majeſtatem non ſolùm armis decoratam, ſed etiam legibus oportet eſſe armatam, ut utrumq; tempus & bellorum & pacis rectè poſſit gubernari.

33. Imò Deus peculiaria mandata dedit Abrahamo, Moyſi, Joſuæ, Davidi, & aliis, de ſuſcipiendis & gerendis bellis, *Geneſ. 14. Num. 10. & 31. Deut. 20. Joſ. 6. 8. 10. 11. Judic. 1. 6. 7. 8. 11. 1. Sam. 17. & 25. verſ. 28.* Abigail ad Davidem inquit: prælia Domini præliaris.

34. Atqui hæc in Veteri Teſtamento omni dubio carent: in Novo verò bella eſſe interdicta, garriunt Anabaptiſtæ, ſed à janua procul aberrant. Cùm enim milites à Joanne Baptiſta ſalutis conſilium peterēt, hoc ab ipſo tulēre reſponſum: Neminem concuſſeritis, nemini calumniam faciatis: & contenti eſtote ſtipendiis veſtris. *Luc. 3. verſ. 14.* Hic præcurſor recipit & approbat milites in officio manentes: igitur & militiam. Approbatione enim exempli in ſubjecto, approbatur res in genere, ut Logicorum docent Scholæ. Quò facit auctoritas *D. Auguſtini epiſt. 14. ad Marcell.* dicentis. Qui ſtipendia militibus decernit, ille militiam minimè damnat, *& lib. 2. adverſ. Fauſt.* Militare non eſt delictum, ſed militare propter prædam injuſtam; nocendi cupiditatem, ulciſcendi crudelitatem, pio & Chriſtiano homini nefas.

35. Quin etiam Salvator commendat fidem Centurionis Capernaitici, & ait, ſe tantam non inveniſſe in Iſraël. *Matth. 8. v. 10.* Cornelius Centurio etiam nunc, cùm eſſet in ſtatu militari, audit preces & eleemoſynas ſuas placuiſſe Deo. *Act. 10. v. 4.*

36. Cùm verò bella lerna quaſi malorum comitetur, fundatur humanus ſanguis, & ſæpe innoxius, orphani plures fiant & viduæ, ex divitibus pauperes multi, communis omnium ſollicitudo, ſumpt⁹ infiniti, religio vel intercepta, vel ne-

 glecta,

gleċta, magno civium cruore comparentur victoriæ, *Tholoz.l. 11. de Repub.c.1.n.5.* bellorum etiam eventus maximè ſit anceps & dubius: multumque in re militari fortuna valeat, *teſte Cæſare lib.6.de bell.Gall.* nec non inſperata magis accidant, quàm quæ ſperes, *dicente Plauto in Moſtell.* adeò ut caſus ſæpè leviſſimus ex victo victorem, ex victore victum exercitum reddat, *Jovius de bell.Neapol.* non temerè & cœco impetu, ſed tardè & diligenti præcedente conſultatione ſuſcipi debent. Omnia n. priùs conſilio experiri, quàm armis ſapientem decet, *monente Comico.* Et perbellè de bello ſuſcipiendo ſcribit *Bald.in c. olim. n.2.Ext.de reſcript.* initio utendum eſſe verbis, hoc eſt amicam tractationem eſſe intẽtandam: deinde herbis, hoc eſt, omnia juris remedia adhibenda. Tertiò lapidibus, ut ubi non ſufficit virtutis ingenium, ibi valeat armorum præſidium & tutela.

37 Et bello ſe quis facilè induere poteſt, explicare autem ægerrimè. *Comin. lib. 1.* ut in puteum dejici facile, educi difficile: ita bellum omne ſumitur facilè, ſed ægerrimè deſinit: nec in ejusdem poteſtate eſt initium & finis: incipere cuivis ignavo licet, deponere cùm victores volunt, *Saluſt. in bell. Iugurth.*

38. Quare conditiones belli quales quales etiam tentandæ & ineundæ. Nam pax iniqua juſtiſſimo bello eſt præferenda. *Polydor.Vergil.lib. 6. hiſt. Anglic.* Quod ipſum dixit Solon, & ſcribit *Andr.Geil.lib.1.de pac.publ.c.4.n.3.* dicens: Quantumvis bellum juſtum ſit, tamen pax, etiam iniqua, bello præferenda eſt, præſertim inter Chriſtianos. Et Marci Tullii ſententia ſemper una fuit: omnem pacem, quamvis iniquam, civili bello ſibi videri præferendam. *Plutarch.in ejus vit.*

39. Quod ſi verò pax illa iniqua aliquid in ſe habeat turpitudinis, tunc nihil patiendum turpiter, ut ſunt fuga, ſervitus, ac alia duriora, quàm eſt ipſum bellum, ut pace frui valeamus. Quin bellum glorioſum pace turpi eſt optabilius, *dicente Demoſthene.* imò ipſa potior eſt, *Lipſ.l.2.pol. c.19.*

40. Juris etiam via tentanda eſt, ùt ſi fortè is, cui bellum indicitur, ſe judicio ſiſtere velit, & tunc arma ſiſtẽda ſunt *Lipſ.l.5.pol.* & graviſſima Regis Archidami vox eſt *apud Thuc. l.1.* in eum, qui jure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas eſt bellum

bellum ſumere, tanquam injurium. Sic *Machiavel.* diſputat, juſtum bellum eſſe iis, quibus, niſi in armis, ſpes nulla eſt. Unde *D. Auguſt. Epiſt. 205. ad Bonifac.* ait: pacem eſſe voluntatis, bellum neceſſitatis. Nec enim pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur. *c. noli 23. q. 1.* Etenim qui belli ſemina conquirunt, ut ſtrenui videantur, hi muſcas imitari ſtudent, quæ non niſi in ſcabris locis conſiſtere poſſunt, ſpecula polita oderunt. *Bodin. l. 5. de Repub. c. 5. n. 560.* Ab illorum ingenio multum abhorrebat Auguſtus, qui pacem, quantum quidē fieri poterat, ſanctiſſimè coluit: prælium aut bellum ſuſcipiendum omninò negabat, niſi juſtis & neceſſariis cauſis, & cùm major emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtenderetur. Nam minora ſectantes diſcrimina, ſimiles eſſe ajebat aureo hamo piſcantibus: cujus abrupti & perditi detrimentum nullo capturæ lucro compenſari poſſet. Jactantis enim ingenii & leviſſimi eſſe dicebat, ardore triumphandi, & ob lauream coronam, id eſt, folia infructuoſa, in diſcrimen per incertos eventus certaminum, ſecuritatem civium præcipitare. *Sueton. & Aurel. Vict. in ejus vit.*

41. Omnibus autem mediis viisq; juris fruſtra tentatis, juſtum bellum antecedet ejuſdem denunciatio, clarigatio, ſive diffidatio, die Abſagung/Feindbrieff/ *Aur. Bull. Caroli IV. tit. 17. de diffidat.* Ut ille, qui diffidatur, poſſit ſe munire contra adverſarium. *Guido Papa deciſ. 191. n. 2.* quâ diffidatione omiſſâ, non bellum, ſed latrocinium, prædatio & proditio erit. *l. hoſtes 118. ff. de verb. ſignific. & l. 24. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Hinc *Cic. lib. 1. offic.* Nullum, ait, bellum eſt juſtum, niſi quod aut rebus repetitis geritur, aut denunciatum ante ſit, & indictum, ubi particula *aut* congregativa eſt, non disjunctiva, *ut ex Bart. Bald. Zaſ. Varron. & Liv.* oſtendit *Bocer. lib. 1. de bell. c. 3. n. 11. & c. 7. n. 6.* Ritum & modum indicendi bellum apud Romanos deſcribit *Liv. lib. 1. decad. 1.* olim bellum geſturi renunciabant amicitiam. *Bod. lib. 5. de Repub. c. 6.* & etiamnum Principes & Equites, quibus dignitas & exiſtimatio curæ eſt, bellum illaturi, equeſtris ordinis ornamenta reddere ſolent iis, quos contra bellum geſturi ſunt, à quibus eâ fuerint honoris & amicitiæ prærogativâ cumulati. *Kirchner. in Repub. diſp. 10. th. 1. ad lit. b.*

42. Te-

42. Tenetur itaque quis priùs publicè hoſti denunciare, ut præſtet, quod debet: ſi verò præſtationem recuſet, bellum ei per Fecialem ſeu Heroldum, qui pictam veſtem inſignibus ejus Principis, à quo mittitur, ferre ſolet, idem *Kirchner. de legat. l. 1. c. 7. n. 24.* rectè indici poteſt.

43. Quarta conditio juſti belli poſita eſt in auctoritate & juſſu Principis ſummi. Qui enim ſine Imperatoris ſcientia & licentia in Imperio bellum movet, in crimen læſæ majeſtatis incidit, quia uſurpat ſibi ea, quæ ſolius ſunt Principis. *l. 3. ff. ad L. Jul. majeſt. l. neminem. C. de re milit. & l. unic. C. ut armor. uſus inſc. princ. interdict. ſit. Bartol. in l. hoſtes. n. 14. ff. de captiv. & poſtlimin. reverſ. Geil. de pac. public. l. 1. c. 4 n. 5.* Unde pœnâ fractæ pacis publicæ coërcetur, *Geil. d. l. n. 4.* Atque ut ab omni armorum metu libera ſit Reſpub. neque externi Principes poſſunt ſine permiſſu Cæſaris copias in Imperio conſcribere. *in ordinat. Camer. part. 2. tit. 15. ibi:* auß der Keyſerlichen Majeſtet/ oder vnſerm Zugeben oder Erlaubnüß. *& in Receß. Auguſt. de Anno 55.* §. Wo ſich aber. *Receß. Wormat. de An. 64* §. Wiewol auch. *cum ſeqq.* Ubi conſenſus & licentia Præfecti illius circuli, in quo exercitus conſcribitur ab extraneis, requiritur. *Receß. Spir. de An. 70.* §. Vnd was vor etlichen Jahren. *cum ſeqq. Receß. Ratisb. de an. 76.* §. Zum andern haben wir. *cum ſeqq. & de An. 94.* §. Demnach ſetzen/ordnen/vnd wollen wir. *& ſeqq.* cum aliis conſtitutionibus.

44. Et ſic principibus Germaniæ, ex antiquiſſimo libertatis Germanicæ prætenſo jure conceſſum quidam eſſe docent, conſcribere milites in propriam & aliorum ſalutem, modò obſervaverint formam in prædictis conſtitutionibus Imperii expreſſam. *Waremundus de Erenberg lib. 1. medit. pro fœderib. c. 12. n. 56.*

45. Hæ ſunt conditiones & requiſita, quæ juſtum debent præcedere bellum. Perveniamus nunc ad cauſas, quæ legitimum illud conſtituunt.

46. Cauſæ verò bellorum licet pro varietate caſuum infinitæ conſtitui poſſint, ad duo tamen capita omnes ſine magno negotio revocari poſſunt, ut ſcilicet cauſa legitimi belli alia ſit defenſoria, alia vindicatoria.

47. De-

47. Defenſoria cauſa eſt, cùm bellum ſuſcipitur pro ſui ſuorumque, nec non ſociorum, vel etiam oppreſſorum defenſione.

48. Defenſio ſui ipſius eſt juris naturalis. *Cic. pro Milon. & 1. offic. l. 3. de juſt. & jur. cum ſim.*

49. Sociis ut auxiliatrices manus feramus, ipſa ſocietas, fides data & pacta à nobis requirunt.

50. Oppreſſis verò ut opitulemur, charitas Chriſtiana & commune naturæ vinculum, quod homines ad mutuam ſui defenſionem, aliaq; officia præſtanda copulavit, efflagitat. Sic enim *Cic. l. 1. offic.* Duo ſunt genera injuſtitiæ, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab iis, quibus infertur ſi poſſint, non propulſant injuriam *Rurſus*: Qui non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tàm eſt in vitio, quàm ſi Parentes, aut patriam, aut ſocios deſerat.

51. An verò ob ſævitiam Principis, & religionis negotium arma movenda ſubditis, anceps eſt quæſtio, pertracta à Theologis, Juriſconſultis & Politicis tàm vetuſtioribus, quàm recentioribus, qui in hoc ad unum omnes conſentiunt, quòd privati, cujuſcunq; illi ſint ſtatus & conditionis, bellum indicere & gerere non poſſint.

52. Ratio eſt manifeſta. Nam privatis, ut Deus jus gladii nō tradidit, ita nec uſum gladii ab iis repoſcit: & ſi gladium injuſtè ſtringunt, ſeditioſi ſunt, licet juſta cauſa videatur. *Obrecb. de conſtit. bell. th. 187. & ſeq.* Petro dixit Chriſtus: Mitte gladium tuum in vaginam. *Matth. 26. v. 52.*

52. Quippe omnis poteſtas eſt à Deo: & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; adeoque Paulus vel Neroni ipſi ſingulis Chriſtianis obediendum præcepit, *ad Rom. 13. v. 1. & 2. & 1. Petr. 2. v. 18.* præcipitur, ut non tantùm Dominis bonis, ſed & δυσκόλοις ſubditi ſimus. Imò verbis etiam violari prohibentur Principes. Tantùm gladius Spiritus privatis eſt commendatus. Sic Jeremias non tadidit Judæis gladium corporalem contra Nabuchodonoſorem, ſed gladium precum ſpiritualem.

54. Quin Deus ipſe cùm improbos Reges in Judaico populo punire voluit, per Aſſyrios & Babylonios punivit.

Saulem perdidit non Davidis, ſed Philiſteorum manu. Moyſes & Aron crudelitatem fugerunt Pharaonis, Deo autem ſuæ oppreſſionis vindictam reliquerunt.

55. Adhæc: omnis Rex legitimé ſuccedens eſt dextra vel ſiniſtra Dei: ergo non licet illum occidere: quia ſi bonus ſit, horrendum eſt interficere: ſi verò malus, illum occidere non eſt à divina providentia dependere, quæ aliquando Julianos, aliquando Juſtinianos & Conſtantios populo præeſſe jubet. *Caſus lib. 4. ſphær. civit. c. 10.*

56. Cogitent tum ſubditi, contra hos non manibus, ſed genibus flexis opus eſſe. *Obrecht. th. 193.*

57. Hinc piè Palatinus Ungarius Michaël Orzagh: Quemcunq;, inquit, ſacrâ coronâ coronatum videris, etiamſi bos fuerit, adorato. *Anton. Bonif. in hiſt. Ungar. lib. 3. c. 4.*

58. Quamobrem Tyrannos ferre, normam ſapientiæ dicit eſſe *Lipſ. lib. 6. pol. c. 5.*

59. Diximus modò Regi legitimè ſuccedenti à ſubditis non eſſe violentas manus inferendas: quo ſignificare voluimus, quòd non reſiſtendum ſit illi, qui tyrannus eſt exercitio, id eſt, qui juſto titulo magiſtratus ſummus fuit factus, & non ampliùs ex moribus & legibus gubernat, nec quicquam eorum præſtat, quæ in ſe recipit in pacto cum populo inito. *Stephan. Jun. Brut. in vindic. contra tyran. q. 3. Petr. Greg. Tholozan. lib. 6. de Repub. c. 18. & lib. 6. Syntag. jur. univerſ. c. 20.*

60. At illi, qui tyrannus eſt abſque titulo, hoc eſt, qui Rempublicam ſibi non commiſſam, vi ſcelere, vel malis artibus, ſine ullo juſto, vel electionis, vel ſucceſſionis titulo, aut belli juſta cauſa invadit ſine conſenſu populi, etiam privatæ perſonæ reſiſtere poſſunt. Eſt enim his tyranus alienus, cui populus nullo jurejurando vel jure eſt obligatus: Unde ei tanquam privato & aggreſſori vim inferenti rectè à quovis cive reſiſtitur, exemplo Jojadæ, qui expulit & interfecit Athaliam. *2. Reg. 11. Jun. Brut. d. l. Auctor de jure magiſtrat. q. 6. f. 210. Bod. lib. 2. de Repub. c. 5. Tholoſ. lib. 26. de Repub. Dana. lib. 2. Ethic. Chriſt. c. 13. f. 184. col. 2. Althuſ. in polit. c. 14. Vaſq. lib. 1. q. illuſtr. c. 8. n. 33. & ſeqq. Thomas de Aquin.* meritorium eſſe putat, tales extrucidare, ut refert *Dana. d. l.* Et quia hoſtis apertus eſt, ideò ut hoſtis tra-

ſtis tractandus. *Keckerman. in curſ. Philoſ. diſp. 35. q. 4.* Et hæc etiam circa ſubditos merè privatos obtinent.

61. Quod ad publicas perſonas attinet, quæ cum poteſtate ſunt, & habent jus inferioris magiſtratus, totumque populum repræſentant, ut ſunt Ephori ſeu Ordines & ſtatus Regni, qui cùm ex juſſu conſenſu populi jus creandi magiſtratum habeant, etiam poteſtatem eum judicandi & removendi habent. *Tholozan. lib. 26. c. 5. & 7. Dana. lib. 5. pol. Chriſt. c. 2. & lib. 6. c. 3. Keckerman. l. 1. ſyſt. polit. c. 28. fol. 432. Auctor de jure magiſtr. quæſt. 6. Althuſ. in pol. c. 14. Jun. Brut. d. l.* à quibus diſſentit *Bodin. lib. 2. de Repub. c. 5. num. 210.* & contendit, Monarcham tyrannum factum ab ordinibus Regni coërceri non debere, nec poſſe.

62. Reſiſtentibus verò Ephoris & ſtatibus adjungere ſe debent ſubditi, & cives patriæ amantes, qui ſalvam Rempublicam volunt. Detrectantes, ope, pecuniâ, vel conſilio tyrannum adjuvantes, habentur pro hoſtibus & deſertoribus. *Jun. Brut. d. q. 3. fol. 167. & ſeq. Dana. d. lib. 6. c. 3. fol. 458. Althuſ. d. c. 14.*

63. Exempla hujus rei ſunt obvia apud Hiſtoricos. Sic Nero, Claudius Cæſar cùm Senatum populumq; Romanum evertere animo volutaſſet ſuo, adeoque urbem ipſam jam flammis devaſtaſſet, hoſtis Reipub. à Senatu Romano judicatus eſt, pœnâ more majorum conſtitutâ, ut ſcil. nudi cervix furcæ insereretur, corpus virgis ad necem cæderetur. *Sueton. in ejus vit. c. 49.* Idem experimentum dedit in Caligula. *Cuſpin. in ejus vit.* De Cõmodo acclamationes Senatus in Curia fuerũt: Hoſti patriæ honores detrahãtur, parricidę honores detrahãtur. Hoſtis Deorũ carnifex Senatus. Qui Senatũ occidit, unco trahatur. Qui innocentes occidit, unco trahatur. Qui ſanguini ſuo non pepercit, unco trahatur. Item: Carnifex unco trahatur, carnifex Senatus unco trahatur. Sævior Domitiano, impurior Nerone, ſic fecit, ſic patiatur, &c: *Lampr. in comm. in fin.* De Maximino: Hoſtis publici capur in profluentem abjiciatur, corpus ejus nemo ſepeliat. Qui Senatui mortem & vincula minatus eſt, ut debebat, interemptus, &c. *Capitolin. in Maxim.*

 Conſtat

Conſtat ex Hiſtoricis, quòd Electores Wenceslaum Bohemum propter ignaviam, ſocordiam, & alia flagitia ab Imperio deturbarint. *Cuſpin. in vita Wenceslai.* Idem jus in Adolphum poſtea ſtatuerunt. *Bodin.l.2.de Repub.c.5.n.209.*

64. Primò autem verbis debet reſiſti omnibus verò mediis fruſtra tentatis, demùm factis & armis. *Lipſ. lib. 5. pol. cap. 9. Althuſ. d. c. 14. Keckerman. d. c. 28. Machiavel. lib. 2. diſp. cap. 20.*

65. Devenimus ad cauſam vindicatoriam. Hæc verò eſt, quando injuriæ vindicandæ, vel noſtrarum rerum vi ab illis detentarum, repetundarum gratia, nec non ob juſtitiæ denegationem alterius ditionem invadimus. *c. quod militare Althuſ. c. 7. & 29. Bocer. de jur. bell. c 6. 23. q. 1.* Ubi refert Didac. Covar. Oldrad. Bart. Innocent. Nicol. Boër. Frideri. Schenck. ſcribentes, quod Imperator poſſit Saracenis, Turcis, & aliis infidelibus bellum indicere pro recuperatione Provinciarum amiſſarum. Accedit *Anguſtin. in c. dominus noſter 23. quaſt. 1.* dicens: Juſta bella ſunt, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit id, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per injurias ablatum eſt. Sic Dominus jubet ultionem expeti de Madianitis, quod proſtitutione ſuarum puellarum Iſraëlitas in itinere circum veniſſent. *Num. 31.* & ob publicum ſtuprum à Gabaonitis concubinæ Levitæ illatum, adeoque ſcelus in Iſraël perpetratum, reliquæ tribus Iſraëlis bellum moverunt contra Gabaa Benjamin, & totam ferè tribum Benjamin deleverunt. *Judic. c. 19. & 20.*

66. Legatorum violationem, multoque magis internecionem, eſſe legitimam belli movendi cauſam, multis deducit *Polyb. lib. 1. & 2.* ſunt enim illi ſancti, omnique jure tàm divino, quàm humano ſecuri & inviolabiles. Ita ob Legatos interemptos contra Fidenates Romani grave bellum ſuſceperunt. *Liv. lib. 4.* Crotoniatæ adverſus Sibaritas. *Athena. l. 12. c. 6.* Herodes contra Arabas. *Egeſipp. l. 1. c. 23.* David propter violationem ſuorum Legatorum contra Ammonitas. *2. Sam. 10. 1. Paralip. 19.*

67. Inter

67. Inter caufas denegatæ juſtitiæ, adeoque belli gerendi, & hanc vulgò ponunt, ſi peregrinus populum tranſitum innoxium per Provinciam ſuam petentibus deneget. *Didac. Covar. in c. peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. relect. §. 49. n. 4. Althuſ. c. 7. fol. 72. edit. prior. Bocer. d. c. 6. num. 15.* Quam belli cauſam hiſtoria etiam ſacra narrat *Numer. c. 21. verſ. 21. cum ſeqq. Deuter. 2. v. 22. & 23. Judic. 11. v. 19. 20.* & probat *Auguſtin. lib. q. 4. ſuper Numer. quæſt. 44.* Sententiam tamen Auguſtini *Herman Kirch. de legat. lib. 2. c. 1. n. 7.* intelligit de tranſitu innoxio concedendo, de profectionibus ac itineribus Legatorum potiùs, quàm de amicorum etiam expeditionibus.

68. Cæterùm vindictam iujuriæ Alexand. M. juſtam prætexit bellandi cauſam contra Perſas, quòd graviſſimas ab illis Græciæ illatas injurias ulciſci vellet, ita concludens: Repello igitur bellum, non infero, *Curt. lib. 4.*

69. Ob privatam tamen injuriam, aut damnum Principi vel alii illatum, non eſſe univerſæ cuidam genti aut provinciæ bellum inferendum, ex Receſs. deputationis Wormatienſis de anno 1564. §. Dannerſtlich/ ſo begebe ſich &c. inculcat *Bocer. d. c. 6. n. 11.*

70. Alias cauſas, præter dictas, ſpernit *Lipſ.* quæ à *Gregorio Schönbornero lib. 6. polit. c. 3.* dicuntur manifeſtæ, quæ in oculos conſiderationemq; hominum incurrunt, & plerunq; juſtiori nituntur titulo.

71. Occultæ verò vocantur, quæ latent in intimis animorum receſſibus, nec ſeſe exerunt, niſi quibuſdam ſignis de quibus *c. 4.* differit, ſunt illæ ipſæ: Ambitio, gloria, libido dominandi, odium privatum, nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacata atque implacabilis mens, feritas rebellandi, vel etiam ſtultitia; luxus & nimia felicitas, de quibus *in cauſ. 23. q. 1. c. 4. quid culpatur.*

72. Legitimæ belli gerendi cauſæ quæ ſint, hactenus diximus, quæ item illegitimæ: inter has retulimus libidinem dominandi, ſeu amplificationem Imperii. Ubi tamen nonnulli apertè ſcribere ſunt auſi, Principem Chriſtianum rectè poſſe ejus rei cauſâ arma movere, & illud Imperium eſſe legi-

timum, ac fundamentum regiminis habere, quod ejuſmodi invaſione ac bello acquiratur. *Machiavel. in tract. de princ. c. 3.* ubi ait: Cùm natura regnandi cupiditate nunquam ſatiatur, nulli vitio, ſed potiùs laudi dandum eſſe, quovis modo ſive per pellem Leoninam, ſive vulpinam ditiones amplificare. In eo ſaltem dicit vitium eſſe, ſi quis ea affectet, quæ conſequi ſuis viribus non poſſit. Huic accinit *Hippol. à Collib. in princ. c. 34.* qui ſe duo media propagandi reperire ſcribit: noſtra augendo, & aliena attrahendo.

73. Verùm audiant illi gravem vocem Papiniani *in l. 15. ff. de condit. Inſtit.* & Proculi *in l. 125. de verb. ſignific.* Poſſe id demum quemq; dicimus, quod jure, quod honeſtate & dignitate ſalvâ poteſt. Et hoc ipſum eſt, quod docent ſapientes, utilitatem ab honeſtate ſejungi non debere. Quin ſine juſta cauſa bellum non tàm bellum, quàm latrocinium eſt appellandum. Unde *Lucanus & Seneca lib. 1. de beneſic.* Alexandrum M. orbis terrarum prædonem vocant: idq; probrum ei objecit Demetrius Pirata, cùm diceret, ſe nihil prӕter Piraticā didiciſſe, nec aliud quicquam de paterna hereditate creviſſe, præter duos Myoparones: Alexandrum verò, qui Piraticam in Demetrio improbaret, cum exercitu potentiſſimo terrâ mariq; impunè latrocinari, tametſi à patre Regnum Macedoniæ florentiſſimū accepiſſet. *Bod. l. 1. de Repub. c. 1. n. 2.* At quantò rectiùs Pompejus Magnus, qui Phraati Parthorum Regi per Legatos poſtulanti, ut Euphratem Romanæ ditionis terminum eſſe vellet: imò reſpondit, illud magis poſtulandum eſt, ut Romanorum fines à Parthorum Regno juſtitia dirimat. *Plutarch. in apopht.* Nihil enim anguſtum, quod ſorte ſuâ contentum eſt. Nec rarum, ut Principes inhiantes alienis, amittant propriā. *Cromer. l. 6. hiſt. Polon.* Cameli cùm per Oratorem cornua à Jove poſtulaſſent, ille offenſus ſtultâ poſtulatione, etiam aures reſecuit. Hinc Adagium natum: Camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit, de quo *Eraſm. chil. 3. adag. cent. 5. adag. 8* Multisque evenit, quod cani Æſopico, qui carnis, quam fauce vehebat, umbram in aqua captabat, & id, quod in faucibus erat, perdebat, tùm rei tùm ſpei jacturâ perculſus. Quod extremo ſuo

malo

malo expertus eſt Cyrus I. Rex Perſarum, dum non contentus ampliſſimo Regno, Aſiam ſubegit, tandem Scythis bellum intulit, ubi infeliciter pugnans cæſus eſt cum exercitu. Refertur de Principe quodam Tartarorum, quod captum Regem Rutinorum non neceſſarium bellum moventem interfecerit, & ex Calvaria ipſius poculum inauratum fieri curaverit, cui hæc verba inſcripſit: *Hic appetendo aliena, amiſit propria*. Aſtutè ergo Terentianus ille Sanio: Ego inquit, ſpem pretio non emo.

74. Devenimus ad aparatum & requiſita bellica.

75. Tria verò Principi ad belli molem ſuſtinendam ſunt neceſſaria: Apparatus, milites & conſilia. *Lipſ. l. 5. polit. cap. 6.*

76. Apparatus pecunias, commeatum, & arma complectitur.

77. Pecunia tàm neceſſaria eſt, ut nervus belli rectè dicatur, & Spiritus vitalis. Quemadmodum igitur homines ſine nervis ambulare nequeunt, *Petron. in ſatyr.* ita nec bellum usquam ſine re monetaria progredi poteſt *Lipſ. d. l.* bellum eſt non in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, per quos efficacia arma & utilia fiunt, *Thucyd. lib. 1.* illudque axioma apud Rerumpub. gubernatores perinde indubitatum eſt, ut apud Mathematicos totum ſuâ parte majus eſſe. *Scipio Amiratus lib. 18. diſcept. polit. in Tacit. diſc. 8.*

78. Nec fidelem, obſequentem, & ſtrenum militem habebit, cui deeſt pecunia. Miles enim in officio ab eo contineri non poteſt, qui neceſſaria non ſubminiſtrat. Unde *Auguſt. tract. 19. de verb. Dom.* & transſumptivè *in c. militare 23. q. 1.* militantibus ſtipendia conſtituta eſſe dicit, ne dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur. Atque ita tuendæ rei militaris latrociniorumq; coercendorum unica ratio eſt, ſi milites ſua certa ſtipendia habeant. *Hippol. in princ. c. 12.*

79. Sine commeatu miles intractabilis. Vix enim diſciplinam militarem ſervare jejunus exercitus poteſt. Hinc Alexander Severus militem benè veſtitum, caligatumque ac ſaturum a jebat, ſi quid præterea nummorum in baltheo ſecū geſtaret, ſemper dicto audientem fore dixit; quia inopiæ plerunque

runque deſperatio conjuncta eſſet. *Fulgoſ.l.2.c.2.de dict. & fact. memorabil.* exercitus pecuniâ potius, quàm pugnâ conſumeretur. Qui n.frumentum neceſſariumq; commeatum non præparat, ſine ferro vincitur. *Veget.lib.3.c.26.* omniumq; diffi cilimum eſt cum natura & hoſte ſimul certare.

80. Arma eſſe neceſſaria, tàm eſt in proclivi, quàm pluvias, ut cùm eſt imber. Conſultum igitur vel armamentarium Princeps habeat, in quo omnis generis arma & tela, itemque tormenta & machinæ reponantur. Addo naves & inſtrumentum omne bellicum, ſi regio ejus maritima & portuoſa. Nam ſubitò iſta ægrè parantur, & ſemel parata non ſolùm in bellum valent, ſed ne ſit bellum *Lipſ. 5. polit. 6. in fin.* Hæc de apparatu.

81. Reliqua duo requiſita bellica ſunt milites & conſilia.

82. Milites nonnulli definiunt, ſeu potiùs deſcribunt homines à magiſtratu ad bellum tractandum electi & ordinati.

83. Miles autem, inquit Ulpianus *in l.1.ff.de teſtament. milit.* appellatur vel à militia, (pro militia *Bocer.l.1.de bell.* mollitiem καὶ ἀντίφρασιν, legendum exiſtimat: atque ita etiam legit *Obrecht. diſp. prior. de bell. th. 649.*) id eſt, duritia, quam pro nobis ſuſtinent: aut à multitudine, aut à malo, quod arcere milites ſolent: aut à numero mille hominum, ut ſit miles quaſi milleſimus quiſque: Unde ipſum Ducem χιλίαρχον appellant. Hanc poſteriorem notationem probat etiam *Laurentius Valla libr. 1. eleg. cap. 14.* ubi militem dicit, quaſi unum ex mille lectum.

84. Milites non ſunt uninus generis: alii enim primarii & majores: alii minores & gregarii ſunt.

85. Secundò alii ſunt tyrones, alii veteres, alii veterani.

86. Tertiò diſpeſcuntur in ordinarios & ſubſidiarios, de qua diſtinctione *Lipſ. 3. pol. 11.*

87. Ordinarii in omnem eventum belli ſunt conducti, & toto quaſi vitæ genere milites ſunt, vocanturque alicubi

Außſchuß

Auſſchuß. *Beſold.claſſ.2.diſp.pol.7.th.8.* qu bus accedunt vaſalli. *Tholozan.l.11.de Repub.c.3.*

88. Subſidiarii ordinariis tempore majoris neceſſitatis adduntur,& ſuccurrunt.

89. Ordinarij itidem vel ſunt limitanei, vel ſtatioaarii.

90. Limitanei dicuntur,qui in hoſtium finitimis locis ad repentinas ipſorum incurſiones intenti ſunt, ſo auff den Gränßheuſern liegen.

91. Stationarii ſeu Præſidiarii milites ſunt,qui ad Provinciæ quietem aluntur: vel, qui in propugnaculis Principum,& Dominorum ſtipendia merent.ſo auff der Fürſten vnd anderer Herren Veſtungen in der Beſaßung liegen.

92. His annumerantur Prætoriani,quos Princeps ſemper circa ſe habet paratos,ut ſi quid ſibi, vel Regno ingruat, ſemper ſint expediti,vocanturSatellites illi⁹, perpetuò ipſum comitantes,& contra vim atq; inſidias defendentes. Tales apud Turcas ſunt Janizari.

93. Subſidiarii,ordinariis tempore majoris neceſſitatis adduntur & ſuccurrunt.

94. Quartò milites vel ſunt pedites,vel equites.

95. Deniq; tàm pedites quàm equites vel gravis,vel levis ſunt armaturæ.

96. Gravis armaturæ milites vocantur, qui gravia arma gerunt,ut ſunt inter equites Cataphracti, Küriſſer: inter pedites Sclopetarii majores,vel etiam Haſtarii, qui oblongas haſtas gerunt.

97. Levis armaturæ milites ſunt, qui levia arma ferunt.

98. Circa milites conſideranda veniunt 1. Horum conſcriptio.2.Delectus. 3.Luſtratio. 4. Receptio & auctoratio. 5. Præſtatio juramenti.

99. Modus conſcribendi militem fit vel ex improviſo, vel deliberatò. Hodiè is modus uſu magis obſervatur, quando conquiſitores emittuntur,qui publico ſigno dato,ad expeditionem milites alliciunt: allecti nomina ſua profitentur,& partem ſtipendii capiunt, *Schönborn.l.6.pol.c.12.*

100. Deligendi erunt milites cum diſcrimine, non ex omni hominum fece, numeri duntaxat augendi gratiâ. Nam ſine diſcrimine facta militum conquiſitio multarum calamitatum ſæpiùs cauſa extitit, & hinc vel ad ſolum hoſtium adventantium ſtrepitum & clamorem caſtra deſerta, & pugnæ infeliciter commiſſæ ſunt.

101. Exercitum itaq; conſcripturus, ad has boni & fortis militis notas ac certa indicia reſpiciat: patriam, ætatem, corpus, animum, vitam. *Lipſ.5.pol.c.12.* ubi latius id deducit.

102. Lecti milites convocari ſolent ad certum diem & locum, eumq; amplum & patentem: quo ipſorum mores & arma explorantur: qualis & quàm idoneus quiſque ad militiam ſit: probati recipiuntur, & de novo inſcribuntur in peculiarem catalogum à Duce belli, vel conſiliariis militaribus. *l.1.C.qui milit.poſſ.* inepti, & ii, quibus Dominus & Dux exercitus non omnibus indiget, rejiciuntur.

103. Actus iſte, quo inepti, puſillanimes, alique ejus farinæ homines è ſocietate militum exterminantur, probatoria militum dicitur *Bocer.l.1.de bell.c.9.* à *Cic.l.5. Epiſt.4.* Luſtratio, noſtris die Muſterung.

104. Receptis & in numerum relatis datur approbationis aliquod ſymbolum, videlicet vel pecunia, vel aliquod armorum genus.

105. Olim cingebantur zonâ appenſo enſe. *l.25. l.39. §.1.l.43.ff.de mili. teſtam.* tàm equites, quàm pedites. *Bocer. l.1. c.11.n.4.& 5.*. Solebant olim & ſtigmata, id eſt, notæ publicæ manibus ipſorum imprimi, ut latitantes hoc modo cognoſci poſſent, *l.3.C.de Fabricenſ.Ubi Cujac.Geil.2 obſ.118.n.3.& l.1.de pac.public.c.4.n.23.*

106. Atque hinc de jure civili ſex ſunt in milite neceſſaria ad hoc, quod habeat privilegia militibus cōceſſa.1. quòd enſe cingatur. 2. quòd in numero aliorum ponatur, & in matricula ſcribatur. 3. quòd præſtet Sacramentum, quòd mortem non evitabit pro Repub. neq; à ſignis recedet. 4. quòd ſtigma, ſeu nota publica brachiis ſuis inſcribatur. 5. quòd examinetur. 6. quòd non ſit negotiator. *gloſſ. ad Rubric. tit. de teſtament.milit.inſtit.*

107. In-

107. Inſuper juramentum milites recepti hodiè præſtant, ſi non ſigillatim, ſaltem ſimul, *Bocer. lib. 1. c. 10. n. 4.* ſe ſcilicet Ducis imperio morem geſturos, nec fugam captaturos, nec mortem detrectaturos: articulosq; militares, ut vocant, ſtrenue obſervaturos. *Veget. l. b. 2. de re milit. c. 5.*

108. Sequitur requiſitum tertium, quod eſt de Conſiliis. His ergo nihil magis neceſſarium. Quid enim ſine iis apparatus omnes ſunt? fumus; quid viri? funus. *Lipſ. l. 5. c. 16.* Et *Horat.*

Vis conſilii expers mole ruit ſuâ:
Vim temperatam Dii quoq; provehunt
in majus: Iidem odêre vires
omne nefas animo moventes.

Parva ſunt foris arma, niſi eſt conſilium domi. *Cic. 1. de offic.* Unicum rectum conſilium magnam militum vincit manum. *Eurip.* Sic *Aimonius l. 1. c. 14. de reb. geſt. Franc.* Plus conſiliis, quàm armis Burgundiones Remp. ſuam tutaſſe refert. Et plures urbes ſe conſiliis, quàm armis occupaſſe, Pyrrhus Rex Epirotarum teſtatur.

109. Eſt verò conſilium vel directum vel indirectum.

110. Directum eſt, quod directè & apertè ſine dolo ſuſcipitur, ut nimirum poſſis occaſionem in bello obſervare, eaq; uti: hoſti oblatam adimere.

111 Indirectum obliquum ſeu occultum, quòd viâ indirectâ & dolo, ſed bono ſuſcipitur.

112. Circa duo illa requiſita bellica: *Milites* ſcilicet *&* *Conſilia,* quædam quæſtiones diſcutiendæ veniunt.

113. Quæritur itaq; primò circa diſtributionem militum in ordinarios & extraordinarios. An ſubditi armorum exercitationibus pacis tempore præparandi ad bellum?

114. Quamvis verò reperiantur, quibus negativa arridet ſententia, nobis tamen magis affirmativa.

115. Nunquam enim non hoſtes ac latrones inveniuntur, qui nefariâ conſpiratione, conſcriptis Legionibus vagantur, alienis imperiis ac civitatibus inſidiantur: nullâ injuriâ

laceſſiti pacatis populis bellum inferunt. Jam verò faciliori negotio cives exercitati & armis præparati, exercitum armatum & bellicoſiſſimum hoſtem ferient ac repellent, quàm imbelles, qui nulla tela, nullos clypeos, gladios, & haſtas ad improborum offenſionem atque exitium ſibi compararunt. Facilè ait *Plato*, eæ civitates ab exteris vincũtur, quæ prorſus arma deſeruerunt, ſeque totas paci & otio tradiderunt: abjecto omni rei bellicæ exercitio, rerumq; militarium ſtudio.

116. Juvatur hæc ſententia exemplo Reipublicæ Judaicæ, in qua David conſtituit, qui docerent Judæos arcum. *2.Sam.1.v.18.* Et de Benjamin erant ſeptingenti viri fortiſſimi, ita ſiniſtrâ ut dextrâ præliantes: & ſic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoq; poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. *Jud.20.v.13.*

117. Romana quoque Reſpub. nullâ re magis floruit, quàm arte militari, pacis tempore alebat armatas militias. *l.5. §.1 ff. de re milit.* quæ armorum quotidiano exercitio ad bellas ſe præparabat. *l.15. Cod. eod.* ut bellorum neceſſitate ingruente, ab ea Rempublicam defendere poſſent. *l 31. C. de locat. & conduct.*

118. Circa militum delectum hæc dubia exoritur quæſtio: An domeſtici & indigeni, an verò peregrini & mercenarii milites ſint eligendi? Quod illi, tùm rationes & argumenta, tùm etiam exempla luculentiſſima jubent.

119. Nam primò, amicos eos, non inimicos eſſe oportet, qui pro nobis ſine excuſatione ſunt pugnaturi: & tales quidem amicos, ut neque ſecundis in rebus ſint Imperatori invisi, neq; in adverſis eum proditur i. *Xenoph. de pædia Cyri lib. 2.* Ad quid milites mercede conducti? Non pugnant ex affectu & amore erga patriam. *Ariſt. 3. Eth. 8.* quo loco oſtendit, milites quidem mercenarios propter experientiam aptiores ad bellicas actiones eſſe, ſed tamen minùs conſtantes. Ratio hæc affertur ab interpretibus, quia ſolùm pro mercede militant, non pro ſalute patriæ, & ſuorum Parentum, liberorum, & conjugum. Ideoque quando vident aleam inclinandam eſſe, & parvam affulgere ſpem victoriæ conſequendæ, ſolent detrectare pugnam, & reſilire. Cives autem ſunt conſtantes

ſtantes uſque ad mortem, qui pro ſua, ſuorumq; ſalute ac vita, pro aris & focis dimicare neceſſe habent: & ita non fortitudinem magis, quàm fidem colunt. *Curt. lib. 10. de geſt. Alex. M.* Quod ipſum docet *Ariſtot. d. l.* exemplo civium Coronenſium, qui in pugna ſecunda Phocenſes conſtanter perſtiterunt uſq; ad finem: mercenarii milites poſt primum impetum deſeruerunt. Suffragatur *Machiavel. in princ. c. 12.* dicens: Neque benevolentiâ, neque ullâ causâ in caſtris retinentur mercenarij, quàm ſtipendiolo quodam, in quod ſatis non eſt ad eos impellendos, ut tuâ causâ mortem ſibi appetendam putent, cupiunt ſanè in tuum exercitum allegi: at ubi eſt cum hoſtibus congrediendum, tunc aut fugâ, aut diſceſſu (te deſerto) ſibi conſulunt. Id ſanè nullo negotio perſuadere poſſem. Sic Sfortia, Franciſci Sfortiæ pater, cum Joannæ Neapolitanorum Reginæ ſtipendia mereret, repentè illam intermem deſeruit, ſic ut ne regnum amitteret, in Arragoniorum Regis ſinum coacta fuerit ſeſe conjicere.

120. Adhæc: Exteri luxum & otium cupiunt, diſciplinam & laborem aſpernantur. *Tacit. 1. Annal.*

121. Ergone, inquis *cum Machiavello d. c. 12.* externa & auxiliaria arma prorſus erunt rejicienda & inutilia? Id verò nequaquam. Præferendos domeſticos peregrinis, non planè ſpernendos hos dicimus. Nam gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli non tantùm ad robur corporum, ſed etiam animorum facit. *Veget. l. 1. de re milit. c. 2.* Quare ſi major vis & neceſſitas ingruat, erunt legendi & adſcribendi hâc tamen adhibitâ cautione, ne numerus auxiliariorum ex peregrinis amplior ſit, quam civium & domeſticorum. *Liv. l. 25. Alex. ab Alex. l. 1. gen. dier. c. 5. & 20.* Idem his verbis inculcat *Caſtellan. l. 2. c. 8. de offic. reg.* In bello ſi auxilia ſuis Legionibus addenda cenſeat Princeps, animadvertendum, ut ea majora non ſint, quam popularis exercitus. Cn. Scipio in Hiſpania, cùm exiguum Italorum exercitum haberet, ſed magis Celtiberorum auxiliis confideret, ſe ſuosque perdidit. Nam deſertus ab auxiliaribus copiis, cum exercitu ab hoſtibus cæſus eſt. Quam rem cùm *Livius* narraret: id quidem, inquit, cavendũ ſemper Romanis Ducibus erit, exemplaque hæc verè pro do-

Conſtat ex Hiſtoricis, quòd Electores Wenceslaum Bohemum propter ignaviam, ſocordiam, & alia flagitia ab Imperio deturbarint. *Cuſpin. in vita Wenceslai.* Idem jus in Adolphum poſtea ſtatuerunt. *Bodin.l.2.de Repub.c.5.n.209.*

64. Primò autem verbis debet reſiſti omnibus verò mediis fruſtra tentatis, demùm factis & armis. *Lipſ. lib. 5. pol. cap. 9. Althuſ. d. c. 14. Keckerman. d. c. 28. Machiavel. lib. 2. diſp. cap. 20.*

65. Devenimus ad cauſam vindicatoriam. Hæc verò eſt, quando injuriæ vindicandæ, vel noſtrarum rerum vi ab illis detentarum, repetundarum gratia, nec non ob juſtitiæ denegationem alterius ditionem invadimus. *c. quod militare Althuſ. c. 7. & 29. Bocer. de jur. bell. c 6. 23. q. 1.* Ubi refert Didac. Covar. Oldrad. Bart. Innocent. Nicol. Boer. Frideri. Schenck. ſcribentes, quod Imperator poſſit Saracenis, Turcis, & aliis infidelibus bellum indicere pro recuperatione Provinciarum amiſſarum. Accedit *Auguſtin. in c. dominus noſter 23. quaſt. 1.* dicens: Juſta bella ſunt, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit id, quod à ſuis improbè factum eſt, vel reddere, quod per injurias ablatum eſt. Sic Dominus jubet ultionem expeti de Madianitis, quod proſtitutione ſuarum puellarum Iſraëlitas in itinere circum veniſſent. *Num. 31.* & ob publicum ſtuprum à Gabaonitis concubinæ Levitæ illatum, adeoque ſcelus in Iſraël perpetratum, reliquæ tribus Iſraëlis bellum moverunt contra Gabaa Benjamin, & totam ferè tribum Benjamin deleverunt. *Judic. c. 19. & 20.*

66. Legatorum violationem, multoque magis internecionem, eſſe legitimam belli movendi cauſam, multis deducit *Polyb. lib. 1. & 2.* ſunt enim illi ſancti, omniqueque jure tàm divino, quàm humano ſecuri & inviolabiles. Ita ob Legatos interemptos contra Fidenates Romani grave bellum ſuſceperunt. *Liv. lib. 4.* Crotoniatæ adverſus Sibaritas. *Athene. l. 12. c. 6.* Herodes contra Arabas. *Egeſipp. l. 1. c. 23.* David propter violationem ſuorum Legatorum contra Ammonitas. *2. Sam. 10. 1. Paralip. 19.*

67. Inter

67. Inter cauſas denegatæ juſtitiæ, adeoque belli gerendi, & hanc vulgò ponunt, ſi peregrinus populum tranſitum innoxium per Provinciam ſuam petentibus deneget. *Didac. Covar. in c. peccatum de reg. jur. in 6. part. 2. relect. §. 49. n. 4. Altbuſ. c. 7. fol. 72. edit. prior. Bocer. d. c. 6. num. 15.* Quam belli cauſam hiſtoria etiam ſacra narrat *Numer. c. 21. verſ. 21. cum ſeqq. Deuter. 2. v. 22. & 23. Judic. 11. v. 19. 20.* & probat *Auguſtin. lib. q. 4. ſuper Numer. quaeſt. 44.* Sententiam tamen Auguſtini *Herman Kirch. de legat. lib. 2. c. 1. n. 7.* intelligit de tranſitu innoxio concedendo, de profectionibus ac itineribus Legatorum potiùs, quàm de amicorum etiam expeditionibus.

68. Cæterùm vindictam injuriæ Alexand. M. juſtam prætexit bellandi cauſam contra Perſas, quòd graviſſimas ab illis Græciæ illatas injurias ulciſci vellet, ita concludens: Repello igitur bellum, non infero, *Curt. lib. 4.*

69. Ob privatam tamen injuriam, aut damnum Principi vel alii illatum, non eſſe univerſæ cuidam genti aut provinciæ bellum inferendum, ex Receſs. deputationis Wormatienſis de anno 1564. §. Dannerſtlich/ ſo begebe ſich &c. inculcat *Bocer. d. c. 6. n. 11.*

70. Alias cauſas, præter dictas, ſpernit *Lipſ.* quæ à *Gregorio Schônbornero lib. 6. polit. c. 3.* dicuntur manifeſtæ, quæ in oculos conſiderationemq; hominum incurrunt, & plerunq; juſtiori nituntur titulo.

71. Occultæ verò vocantur, quæ latent in intimis animorum receſſibus, nec ſeſe exerunt, niſi quibuſdam ſignis de quibus *c. 4* diſſerit, ſunt illæ ipſæ: Ambitio, gloria, libido dominandi, odium privatum, nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacata atque implacabilis mens, feritas rebellandi, vel etiam ſtultitia, luxus & nimia felicitas, de quibus *in cauſ. 23. q. 1. c. 4. quid culpatur.*

72. Legitimæ belli gerendi cauſæ quæ ſint, hactenus diximus, quæ item illegitimæ: inter has retulimus libidinem dominandi, ſeu amplificationem Imperii. Ubi tamen nonnulli apertè ſcribere ſunt auſi, Principem Chriſtiannm rectè poſſe ejus rei causâ arma movere, & illud Imperium eſſe legi-

timum, ac fundamentum regiminis habere, quod ejuſmodi invaſione ac bello acquiratur. *Machiavel. in tract. de princ. c. 3.* ubi ait: Cùm natura regnandi cupiditate nunquam ſatiatur, nulli vitio, ſed potiùs laudi dandum eſſe, quovis modo ſive per pellem Leoninam, ſive vulpinam ditiones amplificare. In eo ſaltem dicit vitium eſſe, ſi quis ea affectet, quæ conſequi ſuis viribus non poſſit. Huic accinit *Hippol. à Collib. in princ. c. 34.* qui ſe duo media propagandi reperire ſcribit: noſtra augendo, & aliena attrahendo.

73. Verùm audiant illi gravem vocem Papiniani *in l. 15. ff. de condit. Inſtit.* & Proculi *in l. 125. de verb. ſignific.* Poſſe id demum quemq; dicimus, quod jure, quod honeſtate & dignitate ſalvâ poteſt. Et hoc ipſum eſt, quod docent ſapientes, utilitatem ab honeſtate ſejungi non debere. Quin ſine juſta cauſa bellum non tàm bellum, quàm latrocinium eſt appellandum, Unde *Lucanus & Seneca lib. 1. de benefic.* Alexandrum M. orbis terrarum prædonem vocant: idq; probrum ei objecit Demetrius Pirata, cùm diceret, ſe nihil preter Piraticã didiciſſe, nec aliud quicquam de paterna hereditate creviſſe, præter duos Myoparones: Alexandrum verò, qui Piraticam in Demetrio improbaret, cum exercitu potentiſſimo terrâ mariq; impunè latrocinari, tametſi à patre Regnum Macedoniæ florentiſſimũ accepiſſet. *Bod. l. 1. de Repub. c. 1. n. 2.* At quantò rectiùs Pompejus Magnus, qui Phraati Parthorum Regi per Legatos poſtulanti, ut Euphratem Romanæ ditionis terminum eſſe vellet: imò reſpondit, illud magis poſtulandum eſt, ut Romanorum fines à Parthorum Regno juſtitia dirimat. *Plutarch. in apopht.* Nihil enim anguſtum, quod ſorte ſuâ contentum eſt. Nec rarum, ut Principes inhiantes alienis, amittant propriã. *Cromer. l. 6. hiſt. Polon.* Cameli cùm per Oratorem cornua à Jove poſtulaſſent, ille offenſus ſtultâ poſtulatione, etiam aures reſecuit, Hinc Adagium natum: Camelus deſiderans cornua, etiam aures perdidit, de quo *Eraſm. chil. 3. adag. cent. 5. adag. 8* Multisque evenit, quod cani Æſopico, qui carnis, quam fauce vehebat, umbram in aqua captabat, & id, quod in faucibus erat, perdebat, tùm rei tùm ſpei jacturâ perculſus. Quod extremo ſuo malo

malo expertus eſt Cyrus I. Rex Perſarum, dum non contentus ampliſſimo Regno, Aſiam ſubegit, tandem Scythis bellum intulit, ubi infeliciter pugnans cæſus eſt cum exercitu. Refertur de Principe quodam Tartarorum, quod captum Regem Rutinorum non neceſſarium bellum moventem interfecerit, & ex Calvaria ipſius poculum inauratum fieri curaverit, cui hæc verba inſcripſit: *Hic appetendo aliena, amiſit propria.* Aſtutè ergo Terentianus ille Sanio: Ego inquit, ſpem pretio non emo.

74. Devenimus ad aparatum & requiſita bellica.

75. Tria verò Principi ad belli molem ſuſtinendam ſunt neceſſaria: Apparatus, milites & conſilia. *Lipſ. l. 5. polit. cap. 6.*

76. Apparatus pecunias, commeatum, & arma complectitur.

77. Pecunia tàm neceſſaria eſt, ut nervus belli rectè dicatur, & Spiritus vitalis. Quemadmodum igitur homines ſine nervis ambulare nequeunt, *Petron. in ſatyr.* ita nec bellum usquam ſine re monetaria progredi poteſt *Lipſ. d. l.* bellum eſt non in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, per quos efficacia arma & utilia fiunt, *Thucyd. lib. 1.* illudque axioma apud Rerumpub: gubernatores perinde indubitatum eſt, ut apud Mathematicos totum ſuâ parte majus eſſe. *Scipio Amiratus lib. 18. diſcept. polit. in Tacit. diſc. 8.*

78. Nec fidelem, obſequentem, & ſtrenum militem habebit, cui deeſt pecunia. Miles enim in officio ab eo contineri non poteſt, qui neceſſaria non ſubminiſtrat. Unde *Auguſt. tract. 19. de verb. Dom.* & transſumptivè *in c. militare 23. q. 1.* militantibus ſtipendia conſtituta eſſe dicit, ne dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur. Atque ita tuendæ rei militaris latrociniorumq; coercendorum unica ratio eſt, ſi milites ſua certa ſtipendia habeant. *Hippol. in princ. c. 12.*

79. Sine commeatu miles intractabilis. Vix enim diſciplinam militarem ſervare jejunus exercitus poteſt. Hinc Alexander Severus militem benè veſtitum, caligatumque ac ſaturum a jebat, ſi quid præterea nummorum in baltheo ſecū geſtaret, ſemper dicto audientem fore dixit: quia inopiæ plerunque

runque deſperatio conjuncta eſſet. *Fulgoſ. l. 2. c. 2. de dict. & fact. memorabil.* exercitus pecuniâ potius, quàm pugnâ conſumeretur. Qui n. frumentum neceſſariumq; commeatum non præparat, ſine ferro vincitur. *Veget, lib. 3. c. 26.* omniumq; difficilimum eſt cum natura & hoſte ſimul certare.

80. Arma eſſe neceſſaria, tàm eſt in proclivi, quàm pluvias, ut cùm eſt imber. Conſultum igitur vel armamentarium Princeps habeat, in quo omnis generis arma & tela, itemque tormenta & machinæ reponantur. Addo naves & inſtrumentum omne bellicum, ſi regio ejus maritima & portuoſa. Nam ſubitò iſta ægrè parantur, & ſemel parata non ſolùm in bellum valent, ſed ne ſit bellum *Lipſ. 5. polit. 6. in fin.* Hæc de apparatu.

81. Reliqua duo requiſita bellica ſunt milites & conſilia.

82. Milites nonnulli definiunt, ſeu potiùs deſcribunt homines à magiſtratu ad bellum tractandum electi & ordinati.

83. Miles autem, inquit Ulpianus *in l. 1. ff. de teſtament. milit.* appellatur vel à militia, (pro militia *Bocer. l. 1. de bell.* mollitiem κατ᾽ ἀντίφρασιν, legendum exiſtimat: atque ita etiam legit *Obrecht. diſp. prior. de bell. th. 649.*) id eſt, duritia, quam pro nobis ſuſtinent: aut à multitudine, aut à malo, quod arcere milites ſolent: aut à numero mille hominum, ut ſit miles quaſi milleſimus quiſque: Unde ipſum Ducem χιλίαρχον appellant. Hanc poſteriorem notationem probat etiam *Laurentius Valla libr. 1. eleg. cap. 14.* ubi militem dicit, quaſi unum ex mille lectum;

84. Milites non ſunt uninus generis: alii enim primarii & majores: alii minores & gregarii ſunt.

85. Secundò alii ſunt tyrones, alii veteres, alii veterani.

86. Tertiò diſpeſcuntur in ordinarios & ſubſidiarios, de qua diſtinctione *Lipſ. 3. pol. 11.*

87. Ordinarii in omnem eventum belli ſunt conducti, & toto quaſi vitæ genere milites ſunt, vocanturque alicubi

Außſchuß

Ausſchuß. *Beſold.claſſ.2.diſp.pol.7.th.8.* qu bus accedunt vaſalli. *Tholozan.l.11.de Repub.c.3.*

88. Subſidiarii ordinariis tempore majoris neceſſitatis adduntur,& ſuccurrunt.

89. Ordinarij itidem vel ſunt limitanei, vel ſtationarii.

90. Limitanei dicuntur,qui in hoſtium finitimis locis ad repentinas ipſorum incurſiones intenti ſunt, ſo auff den Grän⸗ßheuſern liegen.

91. Stationarii ſeu Præſidiarii milites ſunt,qui ad Provinciæ quietem aluntur: vel, qui in propugnaculis Principum,& Dominorum ſtipendia merent.ſo auff der Fürſten vnd anderer Herren Veſtungen in der Beſatzung liegen.

92. His annumerantur Prætoriani,quos Princeps ſemper circa ſe habet paratos,ut ſi quid ſibi, vel Regno ingruat, ſemper ſint expediti,vocanturSatellites illi⁹, perpetuò ipſum comitantes,& contra vim atq; inſidias defendentes. Tales apud Turcas ſunt Janizari.

93. Subſidiarii,ordinariis tempore majoris neceſſitatis adduntur & ſuccurrunt.

94. Quartò milites vel ſunt pedites,vel equites.

95. Deniq; tàm pedites quàm equites vel gravis,vel levis ſunt armaturæ.

96. Gravis armaturæ milites vocantur, qui gravia arma gerunt,ut ſunt inter equites Cataphracti, Kürıſſer: inter pedites Sclopetarii majores,vel etiam Haſtarii, qui oblongas haſtas gerunt.

97. Levis armaturæ milites ſunt, qui levia arma ferunt.

98. Circa milites conſideranda veniunt 1. Horum conſcriptio.2.Delectus. 3.Luſtratio. 4. Receptio & auctoratio. 5. Præſtatio juramenti.

99. Modus conſcribendi militem fit vel ex improviſo, vel deliberatò. Hodiè is modus uſu magis obſervatur, quando conquiſitores emittuntur,qui publico ſigno dato,ad expeditionem milites alliciunt: allecti nomina ſua profiteantur,& partem ſtipendii capiunt, *Schonborn.l.6.pol.c.12.*

100. Deligendi erunt milites cum diſcrimine, non ex omni hominum fece, numeri duntaxat augendi gratiâ. Nam ſine diſcrimine facta militum conquiſitio multarum calamitatum ſæpiùs cauſa extitit, & hinc vel ad ſolum hoſtium adventantium ſtrepitum & clamorem caſtra deſerta, & pugnæ infeliciter commiſſæ ſunt.

101. Exercitum itaq; conſcripturus, ad has boni & fortis militis notas ac certa indicia reſpiciat: patriam, ætatem, corpus, animum, vitam. *Lipſ. 5. pol. c. 12.* ubi latius id deducit.

102. Lecti milites convocari ſolent ad certum diem & locum, eumq; amplum & patentem: quo ipſorum mores & arma explorantur: qualis & quàm idoneus quiſque ad militiam ſit: probati recipiuntur, & de novo inſcribuntur in peculiarem catalogum à Duce belli, vel conſiliariis militaribus. *l. 1. C. qui milit. poſſ.* inepti, & ii, quibus Dominus & Dux exercitus non omnibus indiget, rejiciuntur.

103. Actus iſte, quo inepti, puſillanimes, aliique ejus farinæ homines è ſocietate militum exterminantur, probatoria militum dicitur *Bocer. l. 1. de bell. c. 9. 4. Cic. l. 5. Epiſt. 4.* Luſtratio, noſtris die Muſterung.

104. Receptis & in numerum relatis datur approbationis aliquod ſymbolum, videlicet vel pecunia, vel aliquod armorum genus.

105. Olim cingebantur zonâ appenſo enſe. *l. 25. l. 39. §. 1. l. 43. ff. de mili. teſtam.* tàm equites, quam pedites. *Bocer. l. 1. c. 11. n. 4. & 5.*. Solebant olim & ſtigmata, id eſt, notæ publicæ manibus ipſorum imprimi, ut latitantes hoc modo cognoſci poſſent, *l. 3. C. de Fabricenſ. Ubi Cujac. Geil. 2. obſ. 118. n. 3. & l. 1. de pac. public. c. 4. n. 23.*

106. Atque hinc de jure civili ſex ſunt in milite neceſſaria ad hoc, quod habeat privilegia militibus cõceſſa. 1. quòd enſe cingatur. 2. quòd in numero aliorum ponatur, & in matricula ſcribatur. 3. quòd præſtet Sacramentum, quòd mortem non evitabit pro Repub. neq; à ſignis recedet. 4. quòd ſtigma, ſeu nota publica brachiis ſuis inſcribatur. 5. quòd examinetur. 6. quòd non ſit negotiator. *gloſſ. ad Rubric. tit. de teſtament. milit. inſtit.*

107. In-

107. Inſuper juramentnm milites recepti hodiè præſtant,ſi non ſigillatim,ſaltem ſimul,*Bocer.lib.1.c.10.n. 4.* ſe ſcilicet Ducis imperio morem geſturos,nec fugam captaturos, nec mortem detrectaturos:articulosq; militares, ut vocant, ſtrenue obſervaturos.*Veget.l b.2. de re milit.c. 5.*

108. Sequitur requiſitum tertium,quod eſt deConſiliis.His ergo nihil magis neceſſarium. Quid enim ſine iis apparatus omnes ſunt?fumus;quid viri? funus. *Lipſ. l. 5.c. 16.* Et *Horat.*

Vis conſilii expers mole ruit ſuâ:
Vim temperatam Dii quoq; provehunt
in majus : Iidem odêre vires
omne nefas animo moventes.

Parva ſunt foris arma,niſi eſt conſilium domi. *Cic. 1. de offic.*Unicum rectum conſilium magnam militum vincit manum.*Eurip.*Sic *Aimonius l.1.c.14.de reb. geſt. Franc.* Plus conſiliis,quàm armis Burgundiones Remp.ſuam tutaſſe refert. Et plures urbes ſe conſiliis,quàm armis occupaſſe, Pyrrhus Rex Epirotarum teſtatur.

109. Eſt verò conſilium vel directum vel indirectum.

110. Directum eſt,quod directè & apertè ſine dolo ſuſcipitur,ut nimirum poſſis occaſionem in bello obſervare, eaq; uti: hoſti oblatam adimere.

111.Indirectum obliquum ſeu occultum,quòd viâ indirectâ & dolo,ſed bono ſuſcipitur.

112. Circa duo illa requiſita bellica:*Milites* ſcilicet *&* *Conſilia,* quædam quæſtiones diſcutiendæ veniunt.

113. Quæritur itaq; primò circa diſtributionem militum in òrdinarios & extraordinarios. An ſubditi armorum exercitationibus pacis tempore præparandi ad bellum?

114. Quamvis verò reperiantur,quibus negativa arridet ſententia,nobis tamen magis affirmativa.

115. Nunquam enim non hoſtes ac latrones inveniuntur,qui nefariâ conſpiratione,conſcriptis Legionibus vagantur,alienis imperiis ac civitatibus inſidiantur : nullâ injuriâ

Nn 2 laceſſiti

laceſſiti pacatis populis bellum inferunt. Jam verò faciliori negotio cives exercitati & armis præparati, exercitum armatum & bellicoſiſſimum hoſtem ferient ac repellent, quàm imbelles, qui nulla tela, nullos clypeos, gladios, & haſtas ad improborum offenſionem atque exitium ſibi compararunt. Facilè ait *Plato*, eæ civitates ab exteris vincũtur, quæ prorſus arma deſeruerunt, ſeque totas paci & otio tradiderunt: abjecto omni rei bellicæ exercitio, rerumq; militarium ſtudio.

116. Juvatur hæc ſententia exemplo Reipublicæ Judaicæ, in qua David conſtituit, qui docerent Judæos arcum. *2.Sam.1.v.18.* Et de Benjamin erant ſeptingenti viri fortiſſimi, ita ſiniſtrâ ut dextrâ præliantes: & ſic fundis lapides ad certum jacientes, ut capillum quoq; poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur. *Iud.20. v. 13.*

117. Romana quoque Reſpub. nullâ re magis floruit, quàm arte militari, pacis tempore alebat armatas militias. *l.5. §.1 ff. de re milit.* quæ armorum quotidiano exercitio ad bellas ſe præparabat. *l.15. Cod. eod.* ut bellorum neceſſitate ingruente, ab ea Rempublicam defendere poſſent. *l 31. C. de locat. & conduct.*

118 Circa militum delectum hæc dubia exoritur quæſtio: An domeſtici & indigeni, an verò peregrini & mercenarii milites ſint eligendi? Quod illi, tùm rationes & argumenta, tùm etiam exempla luculentiſſima jubent.

119. Nam primò, amicos eos, non inimicos eſſe oportet, qui pro nobis ſine excuſatione ſunt pugnaturi: & tales quidem amicos, ut neque ſecundis in rebus ſint Imperatori inviſi, neq; in adverſis eum produturi. *Xenoph. de pædia Cyri lib. 2.* Ad quid milites mercede conducti? Non pugnant ex affectu & amore erga patriam. *Ariſt. 3. Eth. 8.* quo loco oſtendit, milites quidem mercenarios propter experientiam aptiores ad bellicas actiones eſſe, ſed tamen minùs conſtantes. Ratio hæc affertur ab interpretibus, quia ſolùm pro mercede militant, non pro ſalute patriæ, & ſuorum Parentum, liberorum, & conjugum. Ideoque quando vident aleam inclinandam eſſe, & parvam affulgere ſpem victoriæ conſequendæ ſolent detrectare pugnam, & reſilire. Cives autem ſunt conſtantes

ſtantes

ſtantes uſque ad mortem, qui pro ſua, ſuorumq; ſalute ac vita, pro aris & focis dimicare neceſſe habent: & ita non fortitudinem magis, quàm fidem colunt. *Curt. lib. 10. de geſt. Alex. M.* Quod ipſum docet *Ariſtot. d. l.* exemplo civium Coronenſium, qui in pugna ſecunda Phocenſes conſtanter perſtiterunt uſq; ad finem: mercenarii milites poſt primum impetum deſeruerunt. Suffragatur *Machiavel. in princ. c. 12.* dicens: Neque benevolentiâ, neque ullâ causâ in caſtris retinentur mercenarij, quàm ſtipendiolo quodam, in quod ſatis non eſt ad eos impellendos, ut tuâ causâ mortem ſibi appetendam putent, cupiunt ſanè in tuum exercitum allegi: at ubi eſt cum hoſtibus congrediendum, tunc aut fugâ, aut diſceſſu (te deſerto) ſibi conſulunt. Id ſane nullo negotio perſuadere poſſem. Sic Sfortia, Franciſci Sfortiæ pater, cum Joannæ Neapolitanorum Reginæ ſtipendia mereret, repentè illam intermem deſeruit, ſic ut ne regnum amitteret, in Arragoniorum Regis ſinum coacta fuerit ſeſe conjicere.

120. Adhæc: Exteri luxum & otium cupiunt, diſciplinam & laborem aſpernantur. *Tacit. 1. Annal.*

121. Ergòne, inquis *cum Machiavello d. c. 12.* externa & auxiliaria arma prorſus erunt rejicienda & inutilia? Id verò nequaquam. Præferendos domeſticos peregrinis, non planè ſpernendos hos ducimus. Nam gens gentem præcedit in bello, & plaga cœli non tantùm ad robur corporum, ſed etiam animorum facit. *Veget. l. 1. de re milit. c. 2.* Quare ſi major vis & neceſſitas ingruat, erunt legendi & adſcribendi hâc tamen adhibitâ cautione, ne numerus auxiliariorum ex peregrinis amplior ſit, quàm civium & domeſticorum. *Liv. l. 25. Alex. ab Alex. l. 1. gen. dier. c. 5. & 20.* Idem his verbis inculcat *Caſtellan. l. 2. c. 8. de offic. reg.* In bello ſi auxilia ſuis Legionibus addenda cenſeat Princeps, animadvertendum, ut ea majora non ſint, quàm popularis exercitus. Cn. Scipio in Hiſpania, cùm exiguum Italorum exercitum haberet, ſed magis Celtiberorum auxiliis confideret, ſe ſuosque perdidit. Nam deſertus ab auxiliaribus copiis, cum exercitu ab hoſtibus cæſus eſt. Quam rem cùm *Livius* narraret: id quidem, inquit, cavendũ ſemper Romanis Ducibus erit, exemplaque hæc verè pro do-

cumentis habenda, ne ita externis credant auxiliis, ut non plus ſui roboris, ſuarumque propriè virium in caſtris habeant.

122. Stet itaque hæc ſententia: viros & robur exercitus è domeſticis ſint, nec corp⁹ exteri faciant, ſed membrum, *Lipſ.l.5.polit.c.9.* cum iſta tamen adjectione: *Si fieri poſſit.* Neceſſitati n. aliquid indulgendum, quæ etiam ante rationem eſt, maximè in bello. *Curt. l.7.* & quam ne Dii quidem ſuperant. *Liv l.9.* Et tum, quando Princeps vel Dux belli extraneos milites ſuis numero plures eligere cogitur, cavendum jubet *Obrecb.th.474.de bell.* ne eos ſimul jungat: ſed diverſa in loca deducat: quia aliàs facilè contra ipſum conſpirare inter ſe poſſunt, ut fecit Giſco *apud Polyb.l.1.*

123. Diximus ſup. Milites alios eſſe pedites, alios equites. Utri præferendi, non ſatis liquet.

124. Equites in bello præfert, *Polyb.l.3.* Et *Tacit. de mor.Germ.* Equeſtrium virium proprium dicit certò parare, citò cedere victoriam. Apud antiquos omne robur belli in equite fuiſſe, aſſerit *Ariſtot.4 pol.13.* Noſtrâ quoq; ætate equitum robore plus ſemper effectum, cùm in acie hoſtili perfringenda, tum in ipſis hoſtibus aut opinione celeriùs circumveniendis, aut ab iiſdem commeatu & auxiliis avertendis, affirmat *Henricus Ranzovius l.1.comm.bell.c.11.* Alii ad protegendos pedites, & ad excurſiones ad prædas agendas, ad fugiendos hoſtes perſequendos, atq; etiam ad equitatum hoſtilem ſuſtinendum neceſſarios dicunt.

125. Contra verò plerique pedites potiores dicunt. *Bocer.l.10.de polit illuſt.c.9.Lipſ.l.5.c.7. Machiavel.l.2.c.18.* nec deſtituuntur rationibus & exemplis. Romanorum ſanè fuit inſtitutum, ut plus ſemper in pedite virium ac ſpei haberent. Legionibus enim ſuis orbem terrarum ſubegerunt: in quibus equites vix decima pars erant. *Polyb.l.1.* Sed & Cattis omne in pedite robur. *Tacit de morib.German.*

126. Rationes hæ ſunt: pedites ubiq; proſunt, & omni in loco certare poſſunt, multa loca penetrare, ad quæ equites pervenire nequeunt: puta montes, ſylvas, valles & paludes.

127. Ad

127. Ad oppida aut propugnacula aut expugnanda quis equitum magnus uſus? *Lipſ.d.c.7.*

128. Fortiore etiam animo in prælio ſunt pedites, cùm amiſsâ victoriâ certè ſibi pereundũ eſſe ſciunt, non in equorum celeritate ſpem habentes aliquam reſiduam elabendi.

129. Adhæc pedites longè minori ſumptu & ſtipendio aluntur. *Veget l.2.de re mil. c.1.*

130. Controverſia hæc à *Juſto Lipſio, Machiavello & Keckermanno l.1.ſyſt pol. c.30.fol. 458.* duplici determinatur diſtinctione: quarum prior eſt inter univerſum bellum & pugnam. Ratione univerſi belli, ſive omnium actionum bellicoſarum extra prælium, majorem uſum peditum eſſe ajunt: reſpectu verò prælii, tanquam partis belli, plus roboris penes peditem Poſterior diſtinctio ſumitur ex loco, in quo bellum geritur. Nam ſi loca, inquiunt, ſint montoſa, vel invia, major eſt utilitas peditum, quàm equitum: ſi verò loca ſunt plana & expedita, utique præſtant equites: ideoque monent eſſe Ducis, ut peditatum quàm firmiſſimum habeat.

131. Circa conſilia, eaque indirecta ſeu ſtratagemata quærimus: an ijs uti liceat in bello?

132. Sunt qui contra jus & fas eſſe dicunt, occultè hoſtem aggredi: veri militis eſſe non fraude, ſed palàm & armatum eundem ulciſci, *Tacit.2.annal* Sic Achæi *dicente Polybio l.13.* in tantum abhorruerunt à machinationibus iſtis, ut nec hoſtes ſuos vellent vincere, exiſtimantes parum generoſam victoriam eſſe, quæ non apertâ manu & virtute ſit parata.

133. Nos quidem non inviti fatemur, eſſe ſanè militis, imò viri palàm ac armatum aggredi hoſtem & ulciſci: verùm cùm is hoſtis ſit, quem perdere jus fasq; eſt, nihil referre exiſtimamus, quibus mediis & quomodo fiat: Tritum illud Virgilianum *ex l.2. Æneid.* innotuit: Dolus an virtus quis in hoſte requirat? ſic & Juriſconſulti dolum illum approbant. Nam dolum bonum pro ſolertia ipſi accipiunt, maximè ſi adverſus hoſtem, aut latrones quis machinetur *l 1. §. 3. non fuit ff. de dol, mal. l. 5. in fin. ff. de re milit,* Illa belli furta pulcherrimam habent

habent laudem,quibus & hoſtes maximè decipiuntur,& amici plurimum juvantur, inquit Dux Braſidas *apud Tucyd. lib. 5*.Et optimus Imp.Lyſander: Quò leonis pellis non attingit, inſuenda eſt vulpina.*Plutarch.in ejus vit*.Imò in bellicis rebus, *teſte Polybio l.8*.minoris ſunt momenti,quæ manifeſtè & cum violentia perficiuntur, quàm quæ dolo & opportunè fiunt, tùm maximè ſi fortes hoſtes ſint. Sed quid verbis opus? Ipſe Auguſtinus teſtatur, cùm bellum juſtum ſuſcipitur, utrùm apertè quis pugnet,an ex inſidiis,nihil ad juſtitiam intereſſe. *c.dominus noſter 23.q.2*.

134. In ſacr s literis hujus rei extant luculentiſſima exempla.Abrahamus diviſit exercitum, & hoſtem ſecurum occupavit per inſidias.*Gen.14.v.13*.Idem fecère Iſraëlitæ, cùm obſiderunt Benjamitas.*Judic.c.20.verſ.29*.Et Deus ipſe Joſuæ mandat,ut urbi Hai inſidias ſtruat.*Joſuæ. 8*. Davidum jubet à tergo Philiſteos adoriri.*2.Sam.5.verſ.23*.Nec ignota eſt hiſtoria Judithæ,quæ pudicitiam & caſtitatem ſuam periculo expoſuit,ut callidè obtruncaret Holofernem,*Iudith.cap. 13*. In hiſtoriis profanis exempla extant plurima apud auctores,qui de ſtrategematis ex profeſſo ſcripſerunt, Polyænum dico, Frontinum,Reuſnerum & Ranzovium,

135. Ad conſilia indirecta referuntur etiam corruptio hoſtis,ſeu procuratio proditionis,& exploratio.

136. De proditione dubitatur: An illa culpabilis, vel minùs.Sanè ab Heurico Quarto Imp.proditoribus patriæ ea pœna irrogata fuit, ut alligatis ad palum uterus novaculà à pudendis ad crates uſq; pectoris diſſecaretur,evulſisq; inteſtinis & extis cor circumſtantibus ſpectandum exhiberetur.

137. De jure civili proditores & transfugæ, qui & ſecreta nunciarunt hoſtibus,capitis pœnam luunt.*l.6.§.4.l.7.ff. de re mil.* quiq; munitionibus fidei ſuæ commiſſis cedit, crimen læſæ majeſtatis incurrit.*l.1.& 3.ff.ad L. Iul. Majeſt*. Antigonus,Philippus Macedo & Julius Cæſar proditores amarunt,proditionem verò odio habuerunt.

138. Quòd ſi tamen bellum vel controverſia inter aliquos inciderit, quorum altera pars juſtam bonamq; cauſam habere cognoſcatur: ſi altera, quæ tuetur deteriorem &

propte-

propterea injuſtè agit, ad bonas æquasq; conditiones adduci ſe nullo modo patiatur: profectò boni viri, qui fortaſſis in ea parte reperiuntur, eâ ratione, quâ poſſunt, juſtitiam promovere, juvare atque tueri debent, ac ſi oporteat ab injuſtis ad juſtos deficere. Nec eorum proditio ſeu mala jure damnari poteſt, quamlibet iis, qui perversè agunt, amici & admodum conjuncti prius fuerint. *Pet. Martyr. claſſ. 4. l. comm. c. 16. ſect. 29. & ſect. 30.* multis exemplis Scripturæ ſacræ probat, quòd in juſta cauſa, etiam extra pericula bellica interdum proditio liceat. inter alia adducit illud Rahab, quæ ſuam Rempub. ſeu Regem prodidit, recipiendo, occultando, & dimittendo capitales ejus hoſtes. *Joſ. 2.* quæ tamen *in Epiſt. ad Hebræos 11.* fide iſta feciſſe dicitur. Et ſuccensâ urbe Siceleg, & prædâ ex ea abductâ ab Amalechitis, quidam vir Ægyptius ab his morbi causâ in agro derelictus. Davidem perſequentem ad cuneum iſtum duxit, *1. Sam. 30. verſ. 11. & ſeqq.* Eadem eſt mens & ſententia *Keckerman. l. 1. ſyſt. polit. c. 18 fol. 307.* dicentis: proditio omninò licita eſt, quando nempè proditor ſcit, certò ſe bonam cauſam promovere, & facere id juſtitiæ & honoris causâ, quando alia media non adſunt: & denique quando mendacium nullum miſcetur. Juvare namque quovis modo oportet Magiſtratum, ut vitia extirpentur. *Plutarch. in apophteg. Lacon.*

139. Idem autem judicium fert *Petr. Martyr. claſſ. 4. lcc. com. c. 16. ſ. 15.* quod de proditionibus, inquiens: ut pugnare licet cum hoſtibus vi atq; armis, cùm bellum juſtè ſuſceptum fuerit: ita juſtum & fas eſt, explorandi arte ſeu aſtutiâ uti. Quòd ſi bellum iniquum fuerit, exploratio quoq; illi ſubſerviens, injuſta erit. Sed & *Caſus l. 5. ſphær. civit. c. 9.* juſtam dicit proditionem, ſi cauſam honeſtam habeat: injuſtam, ſi ſolam ſpeciem & larvam virtutis gerat. Imò ex mandato Dei à Moyſe mittuntur duodecim exploratores ad terram Chanaan cognoſcendam. *Numer. 13.* Itemq; qui explorarent Jazer. *cap. 21. v. 32.* Et Joſua viros duos Speculatores ad explorandam undique Jericho miſit, iiq; à meretrice Rahab ſervati ſunt. *Ioſ. 2.*

140. Multos ergò Dux belli habeat oculos, multasq; aures, ut Xenophon de Cyro affirmat, hoc eſt, multos habeat

Oo homines

homines fidos, qui ferè referant ea, quæ paſſim in exercitu, & extra apud hoſtes fiunt & audiuntur. *Obrecb. in diſp. de admini-ſtrat. bel. th. 128.* Sic Cæſari, ut ait *Tacit.* nihil ex iis incognitum; conſilia, locos, prompta, occulta noverat, aſtusq́ue hoſtium in peniciem vertebat.

141. Diſcutienda hîc venit maſcula illa quæſtio, ut vocatur *à Keckerman. l. 1. ſyſt. polit. c. 31. fol. 493. à pr.* An Princeps in acie ſtare debeat?

142. Pro negante facit 1. quòd Princeps Reipublicæ & ſummæ rerum ſit reſervandus, utpote ex cujus clade inſignis mutatio, & majus ſecuturum ſit incommodum, quàm ſi ſiniſtra belli alea eſſet jacta. In milite unius ſors eſt, in Imperatore univerſum periculum. *Egeſipp. l. 5. c. 30:* Hinc Iſraelitæ Davidi contra Abſolonem filium ad pugnam egredi volenti: Non exibis, inquiunt, ſive enim fugerimus, non magnoperè ad eos de nobis pertinebit: ſive media pars reciderit è nobis, non ſatis curabunt: quia tu ſolus pro decem millibus computaris. Melius eſt igitur, ut ſis nobis in urbe præſidio. *2. Sam. 18. v. 3.*

143. Secundò, Principē à prælio hodiè facilè deterrebunt tormenta bellica, quibus etiam ab ignavo ſtrenuus quiſque Dux & miles necari poteſt.

144. Pro ſententia verò affirmativa militant argumenta ſequentia. 1. Negari non poteſt, quin Principis præſentia, & communio periculorum magnum afferat ad victoriam adjumentum. Animum enim incredibilem militibus addit, ac confidentiam parit, eosq́; accendit ad virtutem, ut vel metus pœnæ pudorq́ue, vel ſpes premii alacriores reddat: eoq́ue magis, ſi exercitui carus ſit. Unde *Virgilius libr. 9. Æneid:* Urget præſentia Turni. Sic Alex. M. tantam feciſſe militibus confidentiam legitur, ut ſe præſente, nullius hoſtis arma, nec inermes timuerint, cum hoſte nullo congreſſi, quem non vicerint, nullam urbem obſederint, quam non expugnaverint, nullam gentem adierint, quam non ſuperaverint. *Juſtin. l. 12. in fin.*

145. Secundò certiſſimum eſt, Principis præſentiam exercitus fugam ſæpenumerò repreſſiſſe, victoriæque cauſam

dediſſe.

dediſſe. Sic magnanimus & ſtrenuus bellator Julius Cæſar inclinatam aciem ſolus ſæpè reſtituit, quoſdam etiam contortis faucibus in hoſtilem aciem convertit: nec non Aquilifero moranti cuſpide eſt cominatus. *Suet. in ejus vit. c. 62.*

146. Tertiò cùm ſummus Imperator non adeſt, citiùs quod non facto opus eſt, fit, quàm quod facto opus eſt. *Plaut. in Amph.*

147. Quartò, intentioris cuſtodiæ ſunt milites, quod cùm Rex in caſtris ſit, uſque vereantur, ne ipſe, quod aliquando Cæſar feciſſe dicitur, excubias & vigilias circumeat. *Vincent. Caſtellan. l. 2. de offic. reg. c. 32.*

148. Nos diſtinguendum putamus, dicendo 1. quòd ſi Princeps ſit animo forti, magno & alacri. 2. ſi proſpero ſucceſſu fruatur, tunc expedire, ut ipſe aciei interſit, & cum Turno erigat milites: ſin verò ipſe deſeratur à fortuna bellica, & omnia ſiniſtra experiatur, ac equo Sejano, qui omnibus ſeſſoribus fuit fatalis, *teſte A. Gellio l. 3. c. 9.* vehatur, multoque magis, ſi ſit timidus & puſillanimus, ſorti ſuæ non debere ipſum reſiſtere, & à pugna abeſſe, ne animus cæterorum frangatur. Timidi enim nunquam ſtatuerunt trophæum *Eraſm. Roterod. chil. 2. adag. cent. 6. adag. 25.* Id quod vel Xerxis exemplum docet *Apud Hero. l. 7. & Iuſtin. l. 2.*

149. De captivis deniq; quæritur: An occidendi, an verò ſervandi ſint?

150. Quamvis autem jure hoſtis occidi poſſit, ut eſt *apud Iul. Cæſar. l. 1. de bell. Gall.* tamen longè major eſt gloria ſervati, quàm cæſi hoſtis, tantoq; triumphus illuſtrior, quantò plures relicti ſunt, de quibus triumphetur. *Æn. Sylv. l. 1. com. c. 34.* & Ageſilaus Rex Spartanorũ in concione ſolebat admonere milites, ne captivos, ut facinoroſos cruciarent, ſed ut homines ſervarent. *Xenophon. l. 2. de reb. Græcor.* Sic Alex. M. ſicut prælio terribilis: ita partâ victoriâ fuit clemẽs, *Plut. in ejus vit.* ſingularis & propè divina fuit clementia Domi. Aurel. Imp. qui cùm Thyanâ, Bithyniæ urbe obſeſsâ, fortè per iracundiam dixiſſet: ſe ne quidem canem in ea civitate incolumẽ relicturum: eaq; voce milites in ſpem prædæ erexiſſet, captâ demum per proditorem civitate: unum proditorem Heracleonem

occidi paſſus: reliquis omnibus parcens civibus:ſummâ commendatione bonitatis & clementiæ,ac deinde militibus civitatis direptionem flagitantibus:Agite,inquit, canem negavi me relicturum,canes omnes occidite. *Flav.Vop:ſc.in ejus vit.* Et ſic militum eluſit avaritiam,cùm veniam daret his,quibus veniâ opus fuit,ut loquitur *Seneca*.Quid dicam de humanitate Caroli V.in Franciſcum I.Regem, Galliæ ad Ticinum captum:quid de clementia Cyri erga Crœſum Regem Lydorum?quid de benevolentia Iuſtiniani erga Gilimerem Regem Wandalorum?

151. Deinde nullà alià re homines magis imitantur Deum,quàm clementià.*Senec.de clem.*Et nihil magnum quod non ſit placidum, *dicente eodem*.imò quò major,eò placabilior, juxta Symbolum Domitiani Aureliani. Hinc præclarè Poëta:

Quò quiſquam eſt major,magis eſt placabilis ira:
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, cùm jacet hoſtis, habet:
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.

152. Deniq; jure antiquo belli,capti ab hoſtibus ſervi fiebant,nec occidebantur: & ſic à ſervando ſervi ſunt dicti §. 3. *Inſt. de jur.perſon.l.239.§.1.ff.de verb.ſignific* ex quo plerique deducunt,non licere hoſtem,poſtquam captus eſt,&in præſidia noſtra deductus, occidere: antè verò quàm deductus ſit, interfici jure poſſe,cùm multa interim poſſint accidere, & ſic deditítium hominem occidere,crudeliſſimum eſt, nec boni Impp.hoc patiuntur: ab ea quippe humanitate abhorrent, quam homo homini naturaliter debet. *Mynſinger.in com.ad d. §.3.n.3.*

153. Sic itaq; habe:parcendum eſt dedititiis,&ſubijcere ſe volentibus,deq; illatis injuriis ſatisfacturis : haud verò obfirmantiſſimo animo reſiſtentibus,& armis perperam

facta

facta defenſuris. Hæc duo Poëta expreſſit, cùm propriam notam populi Romani hanc eſſe dixit:

Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Et Romæ in Capitolio ſcriptum fuit: Parce victis, frange ſuperbos.

154. Deinde juſtè videntur interfici, quibus ignotum eſt ſæpiùs, & nihilominus ad ingenium, ſeu priſtina maleficia redierint.

155. Nec raro perimuntur captivi ob ultionem: nempè, quòd Adverſarii captivos, quos cœperant, crudeliſſimè interfecerunt.

Additamenta.

I. Militarem vitam multas in ſe virtutis partes continere, aſſerit *Ariſtot. 2. polit. 2.* per hanc virtutem polum ſe pulſaſſe apud Ennium gloriatur Scipio Africanus: Et Cicero Herculem eâdem viâ cœlum conſcendiſſe teſtatur. Hinc apud Romanos illis, qui ſtrenuè & fortiter in bello ſe geſſerant, militare cingulum, corona, torques aureus, armillæ, haſtæ, phaleræ dabantur: quiq; pro Repub. ceciderant honoribus etiam defuncti afficiebantur, & in perpetuum per gloriam vivere intelligebantur, ut ait Imp. Juſtin. *in princ. tit. Inſtit. de excuſ. tut.* Hujus rei veſtigia etiamnum extant in quibuſdam locis & præmia honoris, quæ nonnulli Imperatores, Reges & Principes in ſuis Imperiis, Regnis & Principatibus, peculiariter & particulariter tribuunt illis, qui fortiter in bello ſtetêrunt, ac pro ſalute patriæ gnaviter dimicârunt, eosque in hunc, vel iſtum ordinem præmii & honoris loco cooptant, ut eſt in Imperio Romano ordo Equitum Teutonicorum, Marianorum, ab Imp.

Henrico VI. Frid. Barbaroſſæ filio, cùm pro recuperanda Hieroſolyma Chriſtiani bellum gererent, inſtitutus, Anno 1190. in Gallia ordo Equitum Lunæ & Stellæ, Militum S. Stephani, & Spiritus S. ab Heinrico Rege Galliæ introductus: item S. Michaëlis, quem Ludovicus XI. Anno 1469. inſtituit, & ſymboli loco inſignivit aureo torque: In Hiſpania ordo Equitum Aurei Velleris, cujus auctor Philippus Burgundiæ Dux cognomento Bonus, Pater Caroli Burgundi, An. 1429. Finem ordinis epitaphium ejus indicat:

Tuta à nobilibus quò Eccleſia firmior eſſet,
Nobilis inventus Velleris ordo mihi.

In Anglia ordo 40. Equitum Garteriorum, qui etiam honor aureæ periſcelidos ſeu faſciæ cruralis dicitur, collatus ab Edovardo III. Rege Angliæ, Anno 1350. In Ducatu Sabaudiæ habetur ordo equeſtris Annunciationis Mariæ, ab Amadeo Comite Sabaudiæ inſtitutus, Anno 1420 In Ducatu Mediolanenſi viget ordo S. Ambroſii & Nemus, & alii in aliis locis, de quibus *Wolfius in Memorabil.*

II. Non rectè *Bodinus l.5. de Repub. c.5. n.564.* Venetos æquiparat beſtiis imbellibus, ut cervis, columbis & leporibus, quòd bellorum cauſas omnes ſtudioſiſſimè declinent: & illata difficilè ſuſcipiant: ſuſcepta verò finire, ac pacem modis omnibus magnoque ſæpiùs cum detrimento ineant, ut in fœderibus cum Julio II. Pontifice Maximo, cum Maximiliano Imperatore, cum Alphonſo Rege Neapoleos, Anno 1508. & cum Selimo Principe Turcarum percuſſis: à quo pacem petere amiſsâ Cypro non dubitarunt, Anno 1570.

III. Quod navis ſine gubernatore, id exercitus ſine Duce. *Polyb. lib. 6.* Et *Curt. lib. 10.* Militaris ſine Duce turba eſt corpus ſine Spiritu. Hinc Demades, defuncto Alexandro M. exercitum Macedonicum Cyclopi excœcato adæquabat, *Plutarch. in Galba.* & membris

bris rectore carentibus, ruituris in mutuam perniciem. *Melanch. libr. 2. Chronic. Carion. in loc. de tertia Monarchia.* ut non immerito dixerit *Tacit. de moribus Germ.* plus eſſe in Duce, quàm in toto exercitu. Quod ſi enim ille bonus, benè & peritè diriget, ſi malus, malè, *Libſ. lib. 5. polit. c. 14.* Quin Ducis in conſilio poſita eſt virtus militaris, fruſtra ſunt fortes milites, ni Ducis prudentiâ regantur. *Mimus Publianus.*

IV. Expedit verò, ut imperii militaris ſumma ſit penes unum, non plures. Nec enim de nihilo invaluit adagio: *Multi imperantes perdidère Cariam.* Multi ſiquidem imperantes habent imperium & regimen nullum, aut incertum, & diſcordiis obnoxium. Nam inter tales certamina oriuntur, qui alteri imperare & jubere poſſit, in extrema diſcrimina exercitum adducunt: pugnandum ille, abſtinendum eſſe hic imperat: quo ſæpiùs optimæ occaſiones hoſtium frangendi vires impediuntur, quod Gallis accidiſſe conqueritur *Gregor. Tholozan. lib. 11. de Repub c. 4.* Inſuper quod multorum commune eſt, id nemini curæ eſſe ſolet. *Ariſtot. 2. polit.* Ergo legendus unus peritus, prudens, ne is, quem tu imperare juſſeris, is ſibi alium Imperatorem quærat. *Saluſt. in Iugurth.* Numantini Romanos, quòd diſparibus gubernarentur Ducibus, ſæpiſſimè fuderunt: at mutato Duce, & ſummâ rerum Scipioni traditâ, fortuna quoq; verſa eſt. Unde Numantini ſenioribus ſuis, ecqua de cauſa ab iis, quos ſæpè fugaſſent, toties nunc funderentur, percunctantibus reſponderunt: Eaſdem quidem eſſe oves, at paſtorem ſive Ducem alium ac diverſum. Sed & Dictatori ijdem Romani tempore belli imperii militaris ſummam committebant.

V. Requiſita autem & notæ boni Ducis quatuor ponit *Bocer. lib. 1. de jur. bell. c. 7. n. 10.* quinque *Iuſtus Lipſius. lib. 5. polit. c. 15.* ſex *Gregor. Schönborn. lib. 5. c. 11.* Duodecim verò *Bartholomæus Keckermanus lib. 1. ſyſt. polit. c. 30. f. 453. & ſeq.* Præcipuas, quibus reliquæ comprehen-

prehenduntur, attingit *Lipſius*, ſcientiam ſcillicet rei militaris, virtutem, providentiam, felicitatem & auctoritatem. Has ipſas, exceptâ providentiâ, ponit *Bocer.* Marcus Tullius de Pompei laudibus differens: hæ ſunt, inquit, virtutes Imperatoriæ: fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo, conſilium in providendo. Omnium tamen iſtarum virtutum genere qui excelluerint, perquàm pauci in omni ætate ſunt inventi.

VI. An tormentorum bellicorum uſus ſit licitus, Polemici controvertunt? Sunt qui certis argumentis negativam defendunt, quæ tamen non ſunt tanti momenti, ut propter ea machinas abjiciamus.

VII. An expediat arces & civitates munitiſſimas habere? Reperiuntur qui negant, ſecuti auctoritatem Ageſilai Ducis Lacedæmoniorum, qui cuidam interroganti, cur Sparta mœnibus careret? probè inſtitutam juventutem civitatis eſſe nervos, muros, & mœnia reſpondit. Nec deſtituuntur rationibus, quæ tamen ab affirmante ſententia nos non deturbant.

Coro-

CORONIS
ſeu
Α'νάβασις

AD SEPTIMUM CAPUT MAIESTATIS
propoſitum ſup. diſp. 7 theſi penult. quod eſt de jure vectigalium & Tributorum: itemq; Collectorum.

RESPONDENTE

WOLFFGANGO ab Arenßwaldt
Equite Boruſſo.

THESIS I.

RECTE *Marcus Tullius Cicero in epiſt. ad Quint. Frat.* ſcribit, quod ſine vectigalibus Imperium nullo modo retineri poſſit. Hac enim de cauſa cum Nero vectigalia omittere ſtatuiſſet, ſenatores impetum ejus cohibuerunt, diſſolutionem Imperii docendo, ſi fructus, quibus Reſpublica ſuſtinetur, diminuerentur: quibus Reſpublica ſuſtinetur: quippe ſublatis portariis, conſequens, ut tributorum abolitio expoſtularetur. *Tacit. lib. 13. annal.*

2. Vnde hoc jus exigendi vectigalia *à Friderico* Imperatore *lib. 2. feud. tit. 56.* inter regalia ſeu reſervata Imperatoris ponitur: & fiſcum augere à Feudiſtis dicitur.

3. In omni autem re & materia propoſita priùs noſſe oportet, quot & quibus modis quid dicatur, ex monito Philoſophorum, & præſcripto *Gal. lib. 1. de method. c. 5.* dicertis: in omni diſputatione & re eſt nomen. Verba enim, *juxta Platonem in Cratylo*, ſunt inſtrumenta, quibus res ſignificantur.

4. Quare & nos de ſignificatione vocis priùs dicemus.

5. Nomen ergo vectigalis, à vectura dicti, 1. latiſſimè & generaliſſimè patet, ita ut interdum tributum & ſtipendium complectatur. *Dn. Arniſæ. lib. 3. de jur. majeſt. c. 7. n* 5. ex deſcriptione Feſti, quâ Vectigal æs dicitur, quod ob tributum & ſtipendium & extraordinarium populo debetur.

6. Deinde generaliùs & latiùs ſumitur ab Ulpiano *in l. 17. §. 1. ff. de verbor. ſignific.* ut teſtatur *Sixtin. de Regal. c. 8. n. 2.* publica vectigalia intelligere debemus, ex quibus vectigal fiſcus capit: quale eſt vectigal portus, vel venalium rerum: item ſalinarum, & metallorum, picariarum.

7. Specialiùs vero & propriùs vectigal dicitur, quod pro avectione & invectione mercium debetur. *Sixtin. d. c. 8. num. 1. & Weſenbec. in paratit. de publican. & vectigal. n. 2.* vectigal eſt id, inquit, quod præſtatur ex his rebus, quæ invehuntur, aut evehuntur. Præſtari autem ſolet octava pars. *l. 7. ex præſtatione. C. de vectigal.* olim quinquageſima tantùm, aut etiam centeſima, *Cujac. obſ. lib. 6. c. 28. Weſenb. d. n. 2.*

8. Poteſtas autem & auctoritas inſtituendi vectigalia vel telonia publica eſt, & ad ſolum ſummum Principem ſpectat. *l. 10. ff. de publican. & vectigal. l. 2. & 3. C. vectigalia nov. inſtit. non poſſ. Bodin. lib. 1. de Repub. c. ult. n. 169.* Nullis enim ex Principibus Cæſarem ſuperiorem agnoſcentibus aliisque ordinibus Imperii licet vectigalia nova propriâ auctoritate inſtituere, *Sixtin. n. 14.* ideoq; qui nova inſtituit ſine conſenſu Imperatoris, tenetu L. Iuliâ de ambitu, *l. unic. ff. §. 3. item 15. ff. ad L. Iul. de ambit.* qui exigit, ſeu exercet, L. Iuliâ de vi publica *l. ult. ff. ad L. Iul. de vi public.*

9. Diximus modò, nova vectigalia propriâ auctoritate inſtitui non poſſe. Per *nova* autem poſt *Cujac. in paratit. C.* vecti-

vectigal.nov.inſtit.non poſſ. Arniſæ d. l. intelligit non tantùm, quæ de novo eriguntur, ſed quæcunq; abhorrent à priſca conſuetudine. *c. prohibemus. de cenſib. & l. 9. locatio §. 5. quod illicitè ff. de public. & vectigal.* Nam puniendos cenſet Imp. Conſtantinus, qui ultra antiquam conſuetudinem, & Imperatoriæ terminos juſſionis aliquid profligarint, *l. 4. Cod. ne vectig. nov. inſt.* Sanè in Alexandro Severo inter alia & hoc reprehenſum, quòd vectigalia multa inveniebat, *teſte Lampridio in vit. Alex.*

10. Proinde nec vetera vectigalia augendi facultas cuiquam, absq; ſcitu & permiſſu Cæſaris conceſſa eſt. Sic enim Hermogenianus ſcribit *in l. 10. d. tit. de publican. & vectigal.* vectigalia ſine Imperatorum præcepto, neq; præſidi, neq; curatori, neq; curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel diminuere licet. Quod etiam docet *Roſenthal. de feud. c. 5. concluſ. 44. n. 3. & Frider. Mindan. lib. 2. proceſſ. de mandat. jud. l. 2. c. 42. n. 5. Waremund. ab Erenberg de ſubſid. Reg. & oner. ſubdit. c. 5. n. 29. & in Receſſ. Ratisbon. ſub Maximil. II. de Anno 1576. §.* weiters ſeynd wir. expreſsè dicitur: den Zoll ſteigern gehört zu Keyſerlicher beſondern Hoheit vnnd Reſervaten.

11. Atque hæc res eſt adeò odioſa, adeoq; publicæ utilitati, legibus & conſtitutionibus Imperii repugnat, ipſoque jure nullum cenſetur, quicquid ejus rei fit, ut mandata etiam ſine clauſula adverſus eos, qui talia moliuntur, obtineri poſſint, & ſic quaſi ab executione poſſit inchoari, *Sixtin. n. 16.* ubi refert, ſe in Camera vidiſſe hujusmodi mandata clauſulam juſtificatoriam non habentia annexa decerni, & quidem contra eos, qui nova vectigalia non inſtituere, ſed vetera augere conati ſunt.

12. Quod ſi ergò utilitas & neceſſitas aliqua ſigularis hoc requirat, ut vel nova inſtituantur, vel vetera augeantur, conceſſio Imperatoria efflagitanda eſt. *l. 1. & 3. Cod. vectig. nov. inſt. non poſſ. Bod. d. l.* quo loco Senatum etiam Francorum ſæpè id decreviſſe, & curiam Pariſiorum ſæpiſſimè judicaſſe teſtatur.

 13. Ex-

13. Exactio verò & impoſitio vectigalium rationabili ex cauſa facienda eſt: quæ eſt vel in utilitate publica, quod aliter planum & ſecurum iter præſtari non poteſt: vel in ſublevanda tenuitate patriæ, cui vectigalium jus conceditur. *Schönborn. l. 4. polit. c. 25.* Unde rectè à viatoribus in recompenſationem ſumptuum vectigal pendi ſcribit.

14. Hoc quoque diſpectione dignum judicat, ne vicina nimis inſtituantur vectigalia.

15. Nunc de ſpeciebus ſeu rebus, quarum nomine vectigal ſolvendum, videbimus. Omnes verò res huic oneri ſunt obnoxiæ. *l. 6. omnium & l. 7. ex præſtatione. C. de vectigal.*

16. Res tamen ad proprium alicujus uſum, hoc eſt, victum, quæ vehuntur, à vectigalis onere liberantur & eximuntur. Iniquum n. judicatum eſt, pro iis rebus, quib. quis ad ſuſtentationem ſui carere non poteſt, vectigalis onus ſuſtineri *l. 5. univ. eod. tit. & in l. 4. ſi publ. ff. de publican. & vectigal. l. 203. in lege cenſoria. ff. de verb. ſignific.* ſed, ut ait. *Arniſæ. d. n. 5.* eò res devenit etiam in nonnullis Germaniæ provinciis, ut pro frumento, quod ad molendinum defertur, pro eo, quod edimus, quod bibimus, quo ſuſtentamus corpus & vitam, vectigal præſtare cogamur, & ea, quæ noſtra ſunt, quaſi iterum emere, cum tamen Sueton. inter inſolita vectigalia Caii referat, quod pro edulijs, quæ totâ urbe venirent, certum ſtatumq; exegerit. Et memorabiliter *ex Athenæo lib. 3. Dipſnoſ. c. 1.* memorat *Schönborn. d. c. 25.* à Lyſimacho olim in Troade vectigal ſalinarium conſtitutum eſſe, & naturâ quaſi id refugiente ſtatim exaruiſſe ſalinas, ac remiſſo vectigali rurſus prodiiſſe. Diſpendiarũ ergo ſequatur tantùm ea, ex quibus ſequitur compendium, quales ſunt ſpecies & merces mercatorum, quæ lucri gratiâ de loco in locum transportantur. *d. l. 5. & 203.*

17. Deinde res exercitui paratas, præſtationi vectigalium ſubjici non placuit Juriſconſulto Paulo *in l. 9. locatio. §. 7. ff. de publican.*

18. Tertio, pro rebus, quæ exercendi ruris causâ vehuntur, à ruſticis vectigal non penditur. *d. l. 5. univerſi.*

19. Nec vectigalia ſint nugatoria, quale illud, quod

pro

pro aëre & umbra exactum fuit. *Cujac.10.ob.7.* vel illicita, quorum exempla plura refert *idem Arviſe.ibid.*

20. Nunc de perſonis diſpiciendum. Omnes autem perſonæ, quæ privatam degunt vitam, & quæ negotiationis ſeu transferendarum mercium habent curam, ad vectigalis ſolutionem tenentur. *d.l.omnium.& l.7.ex præſtatione. de vectig.* quædam tamen ab eorum præſtatione liberantur. 1. à præſtatione immunis eſt fiſcus. *d.l.locatio.§.fin.de publican.*

21 2. Inter privatos excipiuntur navicularii, *l.1.remittit. C.de navicular.ſeu naucleris publicas ſpecies portantibus. cum ſimil.* quâ appellatione veniunt illí nautæ, qui annonæ urbis ſerviunt. *l.5.ſemper.ff.de jure immunit.§.3.negotiatores.Sixtin.n.67.& n.69.* docet malè Interpretes ſimpliciter hanc immunitatem ad nautas porrigere.

22. 3. Privilegiati & exempti ab onere ſolvendi vectigalia ſunt Legati; Sed certo quodam reſpectu. Ita enim reſcribunt Impp. Grat. Valent. & Theod. *in l.8.C.de vectigal.* à legatis gentium devotarum, ex his tantùm ſpeciebus, quas de locis proprii unde conveniunt, huc deportant, octavarij vectigal accipiant: quas vero ex Romano ſolo, quæ ſunt tamen lege conceſſæ, ad propria deferunt, has habeant à præſtatione immunes ac liberas.

23. 4. Perſonæ Eccleſiaſticæ immunitatem vectigalium habent in rebus propriis, in quibus nulla exerceatur negotiatio. *C.quanquam de cenſib.in 6.Clem.fin.eod. Sixtin.n.71.*

24. 5. Hoc privilegium Imp. Fridericus II. indulſit Studioſis, ut de rebus propriis, quas ſtudiorum causâ habent, nullum teneantur ſolvere vectigal. *in Auth.Habita. C. ne fil. pro pat.& ibi Dd.communiter. Rebuff. de privileg. ſtudioſor.* Etſi enim immunitatis vectigalium & ſimilium onerum non fiat expreſsè mentio, tamen eò pertineri hæc verba: *veniant, & ſecurè habitent*, docet *Sixtin.n.74.* pertinet, inquit, conſtitutio Friderici II. ad ſola ſtudia, non facit autem iter, & habitat ſecurè quis, ubi gravatur vectigalibus & ſimilibus oneribus. Eamq; interpretationem crebrioribus calculis Interpretum receptam, privilegiisq; Academiarum ſcribit eſſe conformem. *n.76.* ampliùs hoc docet *ex Horat.Luc.in tract.de privil. Schol. privil.*

59. non valere conſuetudinem, nec ſubſiſtere, quæ à Scholaribus vectigal exigit, ut quæ damnata ſit *in d. Auth. Habita.* Admonēdos verò dicit Studioſos *n.77.* ne illicitè aliquid ſuis rebus adiiciant, & ſic efficiant, ut fiſco omnia vendicentur *l. 11. contra. §. 2. doming. ff. de public. l. 1. C. de navib. non excuſand.* licet æquius ſit & humanius, illicita tantùm in commiſſum cadere, *ex. Baldo. in l. cùm proponas n. 10. c. de naut. fœn.*

25. Ab his perſonis privilegiatis vectigalia exigentes variis pœnis ſubjacent: *d. l. 1. c. de naucler.* & ſi privilegiati à privilegiatis vectigal exigunt, privantur ob ejusmodi exactionem ſuis privilegiis, cùm privilegia non mereantur, qui aliis derogant. *c. dilecti filii, de privileg. Sixtin. n. 93. & 94.* imò in quibusdam caſibus capitali pœnâ plectuntur, qui à privilegiatis vectigal exigunt. *d. l. 5. & Dionyſ. Gothofred. in not ſub lit. h.* ideoque pœnâ capitali teneri etiam eos, quia à Scholaſticis extorquent, docet *Bolognet. in d. Authen. Habita. Horat. Lu. in tract. privil. Schol. privil. 56.* relati *à Sixtino n. 92.*

26. Qui vectigal præſtare tenentur, nec præſtant, eorum res, quas vehunt, cadunt in commiſſum. Unde etiam commiſſæ res dicuntur. *l. 14. commiſſa. l. 16. interdum. §. 3. quoties. de publican.* Germanis Contrabaudt. Vel eo ſolo nomine, quòd quis non eſt profeſſus res, quæ vehuntur, etiamſi poſt omiſſam præſtationem vectigal pendere paratus ſit. *d. § 3. & 12. eod. tit.*

27. Etſi autem non faciens debitam vectigalium profeſſionem, amittat quidem rerum ſuarum dominium ipſo jure, tamen ad auferendam poſſeſſionem declaratoria ſententia ferri debet. *Bartol. in d. l. commiſſa. Geil. 2. obſ. 51. n. 5. & l. 2. de pac. public. c. 2. n. 11.* per rationem, quia poſſeſſio in acquirendo plus habet facti, quàm juris. *l. 19 deniq. ff. ex quib. cauſ. major. l. 3. poſſideri. § 6. in amittenda. & l. 23 cùm heredes. ff. de acquirend. poſſeſſ.*

28. Jure Saxonico quadruplē pœnam ſubeunt, qui vectigal non ſolvunt. Carpzov Drecht *lib. 2. art. 27.*

29. In commiſſi pœnam quoq; incurrit, ſi quis illicitas merces vendiderit, vel vexerit. *d. l. cotem. 11. § 2. dominus. de publican.*

blican. Quæ autem illicitæ ſit merces, proponitur *in l. 1. C. quæ res export. non deb.* item, ſi quis minorem, quàm habet, quantitatem profeſſus fuerit poſt *Petr. Frid. Mindan. lib. 2 de mand. jud. c. 43. n. 11. Schônb. l. pol. 4. c. 27.*

30. Et licet quis ſe ignoraſſe dicat, nihilominùs in pœnam vectigalis incidit *l. 16. interdum. §. 5. licet. ff. de public.*

31. Sunt tamen caſus, in quibus res ob non ſolutum vectigal in commiſſum non cadunt. Ut ſi publicanus remiſerit ſolutionem vectigalis, *d. l. 16. §. 12. ſi quis* & ſi ob neceſſitatem adverſæ tempeſtatis onus expoſitum fuerit. *d. l. 16. §. 8. ſi propter.* item, quando illicitè vectigal eſt inſtitutum, & injuſtum, quia ipſo jure eſt prohibitum, & ſic nullum, ut diximus ſup. & *poſt Bartol. in l. 10. vectigalia docet Sixtin. n. 100.*

32. Sed & certis perſonis ſuccurritur, ne eorum bona in commiſſum cadant, utpote pupillis, modò intra diem trigeſimum vectigal ſolvant. *l. 7. Imperatores. §. 1. Item ff. de publican.* ſubvenitur item minoribus per reſtitutionem in integrum, ſi res ipſorum in commiſſum inciderint, nec dolus ipſorum intervenerit. *d. l. 16. §. 9. l. 9. ſi ex cauſa. §. 5. ſi in commiſſum. ff. de minor.* à pœna commiſſi ob amiſſam præſtationem excipiuntur etiam milites. *l. 3. omnibus. C. de vectigal.*

33. Notandum hîc: quod Principibus & civitatibus certo pretio licentia locandi ſua vectigalia conceſſa ſit. *l. ult. C. de vectigal.* non tamen debitoribus fiſci, itemq; Reipublicæ. *d. l. 9.* locatio. §. 3. ita ut non minus quàm triennio locatio concludatur, quo tempore peracto, rurſus locanda ſunt. *l. 4. penes. C. de vectig. d. l. 9. §. 1.* nemo autem ad conducendum cogitur invitus. *eod. §. 1. l. 3. §. 6. ff. de jure fiſci.* ita autem locationem vectigalium admittit *d. l. 9. à pr.* ſi eo nomine cautio offeratur. Expilatores autem & fœneratores à conductione prorſus repellendos monet *Schônb. l. 4. c. 26. in fin.* ne aliqua exinde ad ipſos locatores redundet invidia.

34. Hactenus de vectigalibus, quæ penduntur pro rebus invehendis aut evehendis, item venalibus, de foro, pontibus, propter uſum viæ publicæ, per quam res vehuntur: quam cum magna cura & ſumptu Principes planam & tutam comeantibus

antibus præſtare tenentur. *l. 13. congruit. ff. de offic. præſid.* quare rectè in compenſationem iſtorum ſumptuum commodum & emolumentum aliquod expectant.

35. Sequitur ut agamus de tributis, quæ ut ſtipendia, ſunt onus fructuum, *l. 7. uſufructu. §. 2. ff. de uſufruct. l. 13. neq;. ff. de impens. in res dot. fact.* & conferuntur ob poſſeſſiones privati ſoli. Sic ergo vectigal à tributo differt, ut tributum ſit annona, vel publica functio, ſeu penſitatio, quæ ratione ſoli & bonorum immobilium penditur à poſſidentibus, *l. 1. & tot. tit. C. ſine cenſ. & c. Weſenbec. in paratit. de publican. n. 3.* Hinc *Caſſiod. 4. variar. in epiſt. ad Geſilam Saion 14.* adductus *ab Arniſæo. d. c. 7. n. 8.* ait: is ſolvat tributum debitasq; functiones, qui poſſeſſionis noſcitur habere compendium. Potiſſimùm tamen capitur pro pecunia, quæ ab Imperatoribus atq; præſidib⁹ in ſtipendia militum, & ſumptus belli à provincialibus imperatur. *l. 27. ager §. 1. ff. de verb. ſign. Tac. lib. 20. Weſenb. d. n. 2.* cujus hos fines conſtituit *Cicero pro leg. Manil.* ut ſit ornamentum pacis, ſubſidium belli, & nervus Reip. *& Tacit. 4. Hiſt.* neque quies gentium ſine armis, neq; arma ſine ſtipendiis, neq; ſtipendia ſine tributis haberi poſſunt.

36. Quilibet verò pro quantitate patrimonii debet conferre tributum. *l. 2. bis. C. de immunit. nem. conced.* Hinc Varro: Eſt pecunia populo imperata, quæ tributim à ſingulis pro portione cenſus exigebatur. *Proportione* cenſus dicit. Nam ut refert *Arniſæ. d. n. 8.* cùm ante Servii Tullii tempora *viritim* pacis munia ſubirent, is inſtituit, ut *pro habitu pecuniarum*, ut ait *Liv. lib. 1.* ſeu, ut *Halicarnaſſ. lib. 4. pro cenſu facultatum ſuarum* quisq; conferret.

37. Iſtud verò *tributum capitum*, ſeu *capitatio*, cujus fuit uſus in regio Imperii Romani dominatu, ad Tarquinium ſuperbum primam originem referre ſcribitur. Is enim ſuperbiæ nomine inviſus pro capite cujusq; decem denarios exegit, *teſte Halicarnaſſeo.* Eamq; tributi ſpeciem hodiè Turcis eſſe familiarem, refert Schônborn *lib. 4. polit. c. 19. in fin.* Talia tributa, tanquam acerbiſſima meritò damnavit *Cicero lib. 3. epiſt. 8.* & tanquam nimis gravia ſublata in Imperio à Conſtantino. *l. unic. C. de capitatione civium cenſibus eximenda.*

37. Cùm

38. Cùm verò pro quantitate patrimonii tributum jure exigatur: Hinc aucto fundo, vel poſſeſſione, augetur quoque ejus tributum. Sic enim illi, quos inundatio Nili fluminis reddidit ditiores, pro terris, quas poſſident, tributorum præſtationem agnoſcere jubentur *in l.2.C. de alluvion.* niſi tamen ſumptibus, curâ, vel induſtriâ poſſeſſoris id factum ſit. *l. 2. ſi quos. C. de fundo rei privata.*

39. Econtrà ob deteriorationem prædiorum, & imminutionem tempeſtatum, ut ſi chaſmate perierit, ob ſterilitatem relevanda tributa. *l.4. formâ cenſuali.* §.1. *illam.ff. de cenſib. d.l.C. de alluv. l.25. ſi merces.* §.6. *vis major ff. locat. l.8. licet.* C. *eod. l.15. ſi quis. C. de omni agro deſerto,* vel ſi territorium hoſtiliter deceſſerit. *Geil.1.obſ.21.n.18. Myns. cent.3.obſ.39.* aliosq; ob caſus fortuitos. Hinc Aſiæ Urbes terrimotibus afflictas in tempus levatas tributis, *è Tacit.* refert *Schönb.l.4.pol.c.21.* & civitati Cibyraticæ apud Aſiam, Ægirenſi apud Achaiam, motu terræ labefactatis tributum in triennium fuiſſe remiſſum: Agaminenſibus terræ motu convulſis, per quinquennnium.

40. Exactio verò tributorum ſit modica, & in mediocritatis ratione conſiſtens, eaq; præſtitu facilis, non crebra, nova: crudelitas item & avaritia miniſtrorum abſit in exigendo. *Althus. in polit.c.19.fol.258.edit.prior.* fiet à fide digniſſimis & probiſſimis miniſtris, quos ipſe populus elegerit, inquit *idem ibidem.*

41. Peccat enim magiſtratus, inquit *D. Ægid. Hunnius tom.1.diſp.Theol. Marp.44. de civili magiſtratu, th.34.* qui contra jus cives ſuos iniquis divexat exactionibus, & fortunas ipſorum expilat, qua de re paſſim in ſacris comminatio eſt. *Ieſa. 3. 10. Amos 8. Mich.3. Habac.2.*

42. Sanè Tiberius Nero præſidibus provinciarum tributa ſuadentibus, reſcripſit: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere. *Cuſpin. in ejus vit.* Qui enim totum lac ex uberibus ovium emulſerit, agnos fraudans cibo, prædo eſt, non Paſtor. *Pompon. Lat in vit. Cæſar.*

43. Quâ ergo ratione probabitur Imperator Veſpaſianus, qui magiſtratus ſuos emungere ſolebat, dicens: Se eos inſtar ſpongiarum habere. Siquidem rapaciſſimos quosque

promovit, ut mox ditatos condemnaret, & ſic ceu humectantes ſpongias exſiccaret ac exprimeret *Sueton. in ejus vit.* Quâ ratione excuſabitur Peſcennius Niger, qui Palæſtinis rogantibus, ut ipſorum cenſitio levaretur: vos, inquit, terras veſtras levare vultis: ego etiam aërem veſtrum cenſere cuperem? *Ælian. Spartian.* Quî Antigonus Rex Macedoniæ ab inſigni vitio avaritiæ, & nota turpitudinis liberabitur, in extorquendis pecuniis adeò acer & rigidus, ut cum ei obiiceretur, Alexandrum talem non extitiſſe, reſponderet: Meritò: Aſiam enim metebat: ego culmos, lege *Plutarch. in Apophteg.*

44. Hinc inexplebiles illi harpages, milvi, & gryphi corvis & felibus rapaciores, ſordida, turpia, & nefanda ſæpè effinxêre & impoſuêre tributa. Sic Veſpaſianus non citra ſordiciei maculam etiam urinæ vectigalia excogitavit. *Suet.* Sic Caligula pro litibus atq; judiciis ubicunq; conceptis quadrageſimam ſummæ, de qua litigabatur, exegit, idem *Suet. ejus vit. c. 40.* Sic Heliogabalus Diis ſuis fecit nuptias, ut iis pro dote pecuniam extorqueret. *Herodia. in ejus vit.* At quid turpius, quàm ex omni cauſa odorari? *Ammian Marcellin. lib. 22.*

45. Quare *Tacit. 4. hiſt.* iſtud tyrannorum eſſe ſcribit, novos ſubinde ſinus, & varia prædandi vocabula exquirere. Similiter *Ariſtot. lib. 5. polit. c. 11.* immanem tributorum exactionem notam tyrannidis rectè conſtituit. Et inter cauſas conſervandæ tyrannidis ponit, ut cives ad inopiam redigantur. Quod accidiſſe ſcribit Syracuſis, quos Dionyſius tyrannus quinquennii tributo fortunis & facultatibus omnibus ſpoliavit & exhauſit.

46. Sed quis non intelligit, Principes illos, ſeu potiùs tyrannos, pecuniis acerbè conquirendis plus ſibi invidiæ, quàm virium addidiſſe, ut loquitur *Tacit. 3. hiſt.* quippe qui vehementer emungit, elicit ſanguinem. *Proverb. 30. v. ult.* Et cui ignotum, quandoque totalem defectionem ſecutam eſſe talem extorſionem illicitam? Sic nulla alia fuit cauſa defectionis tribuum Iſraëlis à Robeamo Rege, quàm gravium onerum impoſitio & oppreſſio populi. *1. Reg. 12. 2. Paralip. 10.* Sic Vngari Matthiam Corvinum deſtituerunt in medio Regni curſu, quòd exhauſto per longa bella ærario, ad nova vectigalia

galia & tributa cogeretur confugere. Et Galli in Ludovicum XI. bellum excitarunt ad avertendas exactiones, cui *Boni publici* nomen prætexuerunt. *Dn. Arniſæ lib. 2. de Repub. c. 3. ſect. 6. n. 51.* Ab Hiſpano Belgas ſeparavit, quod Dux Albanus omnium rerum decimam exegerat, *Chytræ. in Chron. Saxon. lib. 21.*

47. Tutiſſimum ergo in obſequio ſubditos retinendi remedium eſt: moderata tributorum indictio. *Schônborn. lib. 4. polit. c. 23. & c. 22.* exactores duos jubet evitare ſcopulos: Violentiam, & imposturam. Ubi vide.

48. De tributis, penſitationibus & collectis non neceſſariis à Principibus indictis, iisq; deprecandis à conſiliariis, agit *Dn. Beſoldus in tract. de jurisdict. Imperii Romani quæſt. 19. fol. 57.*

49. Tributa & vectigalia, ubi neceſſitas cogebat, Marcus Antoninus Philoſophus remiſit. *Iul. Capitolinus in ejus vit.* idque Principi maximè faciendum. Beneficentia n. ſi publica eſt, & tributa non neceſſaria remittuntur, vel minuuntur, conciliat favorem populi. *Althuſ. in polit. c. 19. fol. 258. edit. prior. Keckerman. lib. 1. ſyſt. polit. c. 3. fol. 89.*

50. Et cùm novum imperium inchoantibus opus ſit famæ clementiâ, vel potiſſimùm Princeps ſibi benevolentiâ & beneficentiâ devinciet illos, quos recens ſubegit: & proinde eis ab initio ſui Principatus tributa aut condonabit, aut diminuet. Ita Byzantinis in quinquennium tributa remiſſa ſunt. *Tacit. 12. annal. & l. 2.* ait: Cappadoces in formam provinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepêre, & quædam ex regiis tributis diminuta, quò mitiùs Romanum Imperium ſperaretur.

51. Hæc de exactione tributorum. Diſpenſatio exactorum erit parca, utilis, reſtricta, in uſus Reipub. facta, atq; æqualiter ſingulis impoſita, ſine perſonarum reſpectu. *Althuſ. d. f. 258.* Nam Princeps veluti publicæ pecuniæ, non ſuæ propriæ, cuſtodem & quæſtorem ſe præſtabit. *Ariſtot. d. c. 11.* Eodem prorſus modo Principi auctor eſt *Schônb. d. c. 22.* ut in exactione Theſeum illud æqualitatis filum rectè teneat, nempe ut juſta & uniformis ſit contributio, nec per bonam malamvè

 gratiam

gratiam hi ſubleventur, iſti premantur: Commoda civium, addit, non divellenda, omneſq; eâdem æquitate continendi. *à Cicer. 2. offic.* ut ſol & dies omnibus in commune naſcitur, *à Plin. in Pagegyr.*

52. Hæc de tributis, quæ certam ſingulis annis & ordinariam habent exactionem, ex generali legis proviſione. Sequitur, ut tandem de collectis agamus, quæ non habent certam ac annuam præſtationem, nec earum impoſitio fit ob cauſam ordinariam, ſed ob utilitatem publicam, & occurrentem neceſſitatem ſunt comparatæ & permiſſæ, etſi earũm uſus quandoq; intervertatur, & ad quæſtum transferatur. *Geil. 2. obſervat. 52. n. 1. & 10.* & hæc munera patrimoniorum vocat extraordinaria, & quidem munera propriè, ſecundum Doctores à ſe alleg.

53. Indictiones verò, ſive tributa, vulgariter Steẘren/ quorum impoſitio certâ & generali lege proviſa eſt, ita ut quotannis recurrant, certamque præſtationem habent, ordinaria appellat.

54. Si qua igitur neceſſitas illorum munerum alicui Reipublicæ obvenerit, dandam eſſe operam monet *d. n. 1.* ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendum.

55. Collectæ in duplici ſunt genere: Quædam enim ſunt Imperiales, quædam verò provinciales.

56. Imperiales generales ſunt, & ad omnes Imperio Romano ſubjectos ſpectant, quæq; ob publicam utilitatem, pacem, & tranquillitatem in Imperio, & ubique contra hoſtem Chriſtiani nominis conſervandam, neceſſitate poſtulante à Cæſare, ex placitis Imperii, & ſtatuum voluntate atque conſenſu indicuntur *Geil. 2. obſ. 53. n. 1.* item ſi Camerale judicium reformatione indigeat, quæ cauſæ in omnibus fere comitiis ventilari ſolent. *Schonb. d. c. 24.* Vulgò Reichsſtewr: oder des Heyligen Reichs Anlagen.

57. Ab his collectis Cæſar non poteſt alicui immunitatē concedere, cùm illa conceſſio in totius Imperii præjudicium vergat. Nec in communi periculo fas eſt aliquem eximi, ſiquidem ob immunitatem uni conceſſam cæteri prægravantur,

vantur, ut plus impendere cogantur, quod naturalis ratio fieri non concedit. *Matthias Stephani de jurisdict. lib. 2. part. 1. c. 1. memb. 1. n. 99. & ſeqq. Schönb. lib. 5. polit. c. 12.* ubi tamen ex urgentiſſima cauſa immunitatem illam concedi poſſe, *ex Carolo Tapia de Conſtit. princ. c. 4. n. 31.* ſcribit & ſentit.

58. Collectæ provinciales ad certas provincias referuntur, Landſtewren.

59. Sed nec ab his immunitatem quis habet: atq; adeò is, qui de comitatu quodam ſub clauſula: Frey gerühſich ohne Stewer: inveſtitus, licet exemptus ſit à præſtatione collectarum provincialium, non tamen immunis erit ab onere Collectarum Imperialium: *Poſt Modeſtin. Piſtor. conſil. 4. in pr. n. 6, & ſeqq. vol. 1. Schönb. d. c. 24.*

60. Ejusmodi collectæ variis ex cauſis, non tamen niſi neceſſariis indici poſſunt. Id enim juſtiſſimum eſt, quod neceſſarium: & pia illa, quæ civibus imperantur tributa vel collectæ, ſine quibus civitas ipſa funditus ſit interitura. *Bod. lib. 6. de Repub. c. 2. n. 654.* Quod ſi ergo vis aliqua major inopinatò Rempublicam oppreſſerit, tunc demum cives ærario ſuccurrere oportet, inquit *idem ibid.*

61. In hoc ergo genere ponendæ collectæ, quæ ſubditis tempore belli vel imminentis, vel vigentis, imperantur in Regnis.

62. Exempla paſſim apud Hiſtoricos ſunt obvia. Apud Romanos ubi opus erat, ad bellum pecunias pro facultatibus cives contulere, *teſte Plutarcho in vita Publicola.*

63. In Anglia bellorum cauſâ pecunia colligi cœpit primùm tempore Henrici I. Regis: quod his verbis teſtatum facit *Polydor. Vergil. lib. 11. Hiſt. Anglic. in vit. Henrici fol. 292.* Henricus, qui avitum Regnum civili bello ac diſſenſionibus vaſtatum, opibus ſpoliatum, atque propè confectum paulò antè adeptus erat, cùm rei domeſticæ inopiâ preſſus, non poſſet ſine auxilio ſuorum, Aſiaticum bellum juvare, vitamque regalem decenter degere, Principes exegêre priùs tributum pro eo bello gerendo, poſteà excogitarunt novum vectigalis genus, ut pro ſua quisque parte Regem ſuum eâ indigentiâ levaret, &c. Et Ricardo I. Rege in Auſtria à Leo-

Qq 3 poldo

poldo Duce Auſtriæ capto, redemptionis nomine coactus fuit ſolvere millia librarum ducenta, ſive prout quibusdem placet, centum quadraginta millia marcharum. Idem *Vergil. lib.14. in vita Ricardi, fol. 252. & ſeqq.*

64. In Polonia, in uſum belli à Stephano I. Rege contra Ioannem Baſiliadem magnum Ducem Moſchorum geſtum, anno 1579. & omnium ordinum ſententiis Warſavicenſibus comitiis ante decretum, grande tributum fuit imperatum, *referente Chriſtophoro Warſevicio in Panegyrico ad Stephanum Regem.*

65. Romani tamen uſum iſtum & jus remisêre, dum bello Punico ſecundo pecuniam mutuò à civibus ſumere maluerunt, quàm tributum extorquere. *Liv. lib.26.* Et Marcus Antoninus Philoſophus cùm ad bellum Marcomanicum omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neq; in animum induceret, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret, in foro Divi Trajani auctionem ornamentorum Imperialium fecit, vendiditq; aurea pocula, & cryſtallina, & murrhina, vaſa etiam regia, & veſtem uxoriam ſericam & auratam, gemmasq; etiam quas multas in repoſtorio ſanctiore Adriani repererat: & per duos quidem menſes hæc venditio celebrata eſt: tantumque auri redactum, ut reliquias belli Marcomanici ex ſententia perſequutus, poſteà dederit poteſtatem emptoribus, ſi quis vellet empta reddere, atq; aurum recipere, ſciret licere. Nec moleſtus ulli fuit, qui vel non reddidit empta, vel reddidit, ut his verbis refert *Iul. Capitolin. in ejus vit.*

66. Sed cum tributa, (latiùs accepto vocabulo) quæ ſubditis difficilimo belli tempore imperantur, confecto bello ſæpè continuentur, & inter arcana veterum tyrannorum nimis tritum fuerit, belli occaſiones conquirere, ut tributis ſubditos, etiam bello confecto, ſemper urgeant, ex ſententia & doctrina *Bodini d.l.* commodius erit, mutuas à ſubditis pecunias accipere, quàm illos onerare tributis. Quæ ratio, ut inquit idem, cùm difficultates, quæ in cogendis tributis eſſe ſolent, expediat, tùm etiam facilius reddit mutuum eorum, qui & fœnus, & ſortem ſibi, & gratiam à Republica reddi ſperant.

67. Ad

67. Ad collectas provinciales etiam pertinet, quod Principes, Comites & Barones Germaniæ, ut & Galliæ, *teſte Tiraquello in peculiari repetitione* §. *1. l. 89. ff. de verb. ſignific. relato à Ioanne Gæddæo in Com. ad d.* §. *1.* in elocandis filiabus ſuis à ſubditis exigunt collectam: atque ita ex publica collecta dotem paratam habent. Quod utrùm rectè fiat, nec ne, anxiè quæritur & diſceptatur inter Iuriſconſultos: Nec ſunt quintæ claſſis viri, quibus negativa ſententia arridet. *Nicol. Boërius decis. Burdegal. 126. n. 1. 6. & 7. & decis. 129. per tot. Vaſquius lib. 1. illuſtr. controverſ. 7.* Affirmativa verò placet potiori parti, cui manus porrigimus. Quamvis enim nullâ lege id cautum, conſuetudine tamen diuturnâ, quæ vim legis obtinet, *l. 3. c. quæ ſit longa conſuet.* rectè defendi poſſe ſtatuimus.

Deo ſit laus & honor in æternum.

F I N I S.

Corrigenda Errata.

D*iſp. 1. th. 36. pro æquilatatem lege æqualitatem th. 53. in fin. dele illa verba: Alciat ad th. 56. pro libr. liber. th. 93. in fin. pro ff. Cod. theſ. 98. pro illis: Apud Venetos nobilitatem æſtimari, nobilitas æſtimatur. in diſput. 2. theſ. 24. pro verb. deditionem, ditionem. in diſput. 4. theſ. 1. pro diſputitionibus, diſputationibus. th 12. pro allis, alliis. diſp. 7. th. 8. ipſi Monarcha, Monarchia. Diſp. X. th. 2. pro derevatione, derivatione. in tit. Coronidis, pro verb. Collectorum, Collectarum. Cætera pro candore ſuo æquus lector in meliorem partem ipſe interpretabitur.*